This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

6

ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

[illegible]



878
T5
G61



ALBII TIBULLI

QUÆ SUPERSUNT

OMNIA OPERA.

ALBII TIBULLI

QUÆ SUPERSUNT

OMNIA OPERA.

21087

ALBII TIBULLI

QUÆ SUPERSUNT

OMNIA OPERA

VARIETATE LECTIONUM

NOVIS COMMENTARIIS, EXCURSIBUS

IMITATIONIBUS GALLICIS

VITA AUCTORIS ET INDICE ABSOLUTISSIMO

INSTRUXIT

PHILIPP. AMAT. DE GOLBÉRY

E REGIA ANTIQUARIORUM SOCIETATE

ET IN SUPREMA ALSATIÆ CURIA CONSILIARIUS, ETC.

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

M DCCC XXVI.

878
T5
G61

EXCUDEBAT DONDEY-DUPRÉ.

PRÆFATIO EDITORIS.

SOMNIIS agitatus quam infestissimis, de typographorum in me delictis integram noctem cogitabam. Illi enim nuper lineolas aliquot mihi ita deformaverant, ut fere jurassem me in posterum a stylo ac charta manus procul habiturum. Nihil omnino est, quod ægrum scriptorem magis excruciare possit, quam ineptiæ istæ, quibus, velit nolit, onustus, in medium prodire cogitur, inscitiæ atque insulsitatis accusationibus ipse obnoxius, dum illi curis soluti hoc tantum in animo habent, ut jam novum auctorem dilacerent. Erat sane, cur memet anxius huc illuc in lecto volutarem; typographi enim loco Cattorum quos inter Persas ortos, in Germaniam migrasse dixeram, Celtas nostros ad orientem solem relegaverant. At ista dum trepidam mentem exagitant, *pressit languentis lumina sera quies*[1]: ecce Tibullus ipse *est visus nostra ponere sede pedem*[2]; hunc pone sequebatur venustissima puella : quis non primo adspectu Deliam agnovisset? Talis enim erat, qualis describi non potest; vel qualis tibi, amice lector, inter ferventes amoris æstus illa videbatur, cui primum dixisti, *tu mihi sola places*[3]. Post januam Nemesis adstare, juxtaque imago vaga ac incerta, modo Glyceræ, modo Neæræ nomen mentita. Nullus fere aberat eorum qui in poetæ carminibus memorantur, nisi forte Marathus, quem abesse gaudebam, et Messala, qui

[1] Liv. III, El. IV, v. 22.

[2] *Ibid*, v. 24.

[3] Lib. IV, El. XIII, v. 3.

nunc, inter heroas versatur, neque quidquam horriduli poematis, quod Tibullo obtrudunt, compertum habet. Nam latet eum, tam fœdo carmine sua facta celebrata fuisse, ne triumphis mala precatus, sese potius devictum voveat, quam ita cantatum victorem.

Delia, rubore subfusa genas, pudoris aliquid retinebat; Tibullus vero leniter irati vultum præ se ferens, his verbis me obstupentem alloquitur :

O bone, typographis nunc sollicitus tu maledicta ingeris, quorum minima culpa rationis expertem te facit. Quid vero si tibi eadem, quæ mihi, accidissent? Me, quem in deliciis habuerunt romanæ puellæ; me, quem, propter dulcia carmina, tot sibi amatorem exoptarunt, quot in circo spectaturæ vel spectandæ sedebant, nunc, una cum Delia mea, viginti abhinc sæculis, me tenet vinctum *dives in ignava luridus Orcus aqua*[1], et meî præter nomen nihil superest... Quo animo me putas in interpretes esse, quorum nullus exstitit, quin me aliquo vocabulo spoliaret? Quo in librarios, qui codicem super codice coacervantes, ne litterarum quidem ductus servare idonei, Elegos, quos cecineram, fœdum in modum deformarunt? Quo tandem in ipsos editores, qui nihil non fecere, ut mala, vel potius, ut calumnias de me deque Delia pervulgarent?....... Nunc rumor apud inferos est, te quoque nugas tuas illorum delictis addere velle, novamque moliri editionem; quæ causa fuit, cur te conveniremus. Prædico, et precor, a tanto vulnere abstineas; nam si propositum eodem modo, quo reliqui editores, perficis, res prorsus in desperatis atque perditis habenda erit, ut lubenter quidquid papyro mandaveram, igni devorandum concesserim. Ferrem tamen, si truncata, si manca

[1] Lib. III, El. III, v. 38.

tantum essent carmina; sed quod stultissimus quisque lacunas ex ingenio resarcire ausus sit, illud me maxime torquet. O terque, quaterque felices, qui altas turres, quique Deorum immortalium templa exstruxere! Hi pristinam majestatem, inter ipsa rudera, retinent; neque ullus ad hanc usque diem eo audaciæ venit, ut superbam Jovis statoris domum lignea fulciret columella. Verum audaculi homunciones, ubi disticha mea uno vel altero pede claudicare arbitrabantur, conjecturas mihi suas, infausto labore, dono dederunt; quorum in malam crucem abeat sinistra liberalitas, cujus ope carmina mea non absimilia sunt militibus qui e bello ligneis cruribus redeunt. Cave itaque, iterum moneo, cave ne conjecturis indulgeas; sin minus, Delia te, olim ad inferos descendentem, curvis unguibus excipiet, tibique adhuc vivo *nocturnus* occurret *furor* [1], non ea forma, qua nunc insignis placet, sed ὀςέα μονον καὶ κρανιον, ut Lucianus ille protervus, qui binis post sæculis ad nos venit, Helenen describit. — Hæc Tibullus. Facile intelliges, lector humanissime, qui me perculerit horror: *at, o Deorum quidquid in cælo regit terras et humanum genus* [2], quantum humeris onus suscepi! Ignosce, Tibulle; ignosce, tu quoque Delia, si majora, quam pro viribus, adgressus sum; non proprio Marte militaturus, auspiciis magni magistri gaudeo. Hic, Galliarum nunc maximum decus, scriptores optimos e veteri Latio Lutetiam, ante pedes regis optati simul et patroni reduxit, BIBLIOTHECÆ hujus CLASSICÆ diligens EDITOR, qui mihi....

TIBULLUS.

Novimus hunc; quamvis nomen, olim Romæ inauditum.

[1] Horat. *Epod.* V, v. Nocturnus occurram furor. — [2] *Ibid.*

Hunc sequere, si potis es, et *vestigia semper adora* [1]. Hic interpretum turbam longe pone se relinquens, poetarum in docto choro constitit; et lyram ipse, *plectro modulatus eburno*, non semel *felices cantus ore sonante dedit* [2].

DELIA.

Tali duce, per me licet, Tibulli mei Elegias notulis illustra; ipsa nunc faveo : at, quæso, dic mihi, amicissime editor, nonne contigit illi fratris filius?

EDITOR.

Ita sane; neque hunc ignorant Musæ, patruo tam benignæ.

DELIA.

Nuper in Plutonia loca descendit Græcus quis a Turcis, quum pro patria dimicaret, occisus; is perelegans carmen, eodem nomine signatum, nobis ad verbum recitavit.

EDITOR.

Athenarum Panorama dicis, o puella; sed hoc quid ad rem?

DELIA.

Nonne intelligis, nostra multum interesse duplici lauro tantum nomen insigniri? O utinam, patrui vestigia premens, nova luce Romanas exornet Musas bonus ille juvenis!

EDITOR.

Neque vana voveris, Delia; nam Fortuna, quasi in his præcipue luderet, binos triumphos iisdem nominibus

[1] Stat. *Theb.* Lib. XII, v. 827.

[2] Tibullus, Lib. III, El. IV, v 40.

semper voluit affingere; duosque Scaligeros protulit, Stephanos, Dousas, Burmannos, Vossios.

DELIA.

Væ mihi! væ Tibullo! quæ dixisti nomina?

EDITOR.

Doctorum certe, præstantiumque virorum.

DELIA.

Immo potius audaculorum et protervorum.

TIBULLUS.

Nolito mirari, quod mea Delia illis infensa sit. Scaliger enim carmina, e quibus æternum sibi nomen fore exspectabat, in minutas discerpsit partes; deinde, quasi in urna schedularum fieret sortitio, omnes versus ita miscuit ac confudit, ut jam nullam Elegiam integram sineret, somniis confisus suis. Hunc autem facinoris apud inferos valde nunc pœnitet, licet olim magnifice jactaverit sese viginti dierum spatio hæc perpetrasse.

DELIA.

Majori adhuc damno me affecit H. Voss. nam, quod ad Scaligerum attinet, Vulpio Heynioque pœnas luit : at ille (qui tamen Germanos, eleganter metrica versione, amoris nostri participes fecit) me lecto descendere, ut mos est puellis, non patitur; totisque ingenii viribus contendit Tibullum scripsisse *derepere*, quod anum infirmam fortasse decebat, minime vero juniorem puellam.

TIBULLUS.

Præmoneo, editor, ne talia admittas. Brouckhusio per-

quam iratus sum : parum abfuit quin, in ipsis inferis, mihi vultus unguibus lacerarent Nemesis et Delia, quum me ille ad summœnianas uxores seduxerit, quarum janua Romæ in Suburra omnibus patebat. Delia, simul ac compertum habuit surrexisse interpretem, qui hæc serio assereret, non potuit sibi temperare, quominus aliquid de mea fide suspicaretur ; merum autem esse mendacium nullo modo existimabat, firmiterque in opinione remansit, hæc clam se, et clam Nemesi, a me revera commissa esse.

DELIA.

Id etiam cave ne, quod Codicis Lipsiensis librarius inepte fecit, Lydiam pro me nescio quam Tibullo submittas, qui se satis infidum erga me præstitit.

TIBULLUS.

Nimium dicax evadis, o semper carissima ; jocaris certe.

DELIA.

Seria loquor; id te fugit nunc, quod cecinisti quondam perfide jactabundus ; *sæpe aliam tenui.*

TIBULLUS.

Tu quoque oblita quod sequitur, hæc taces,

sed jam, quum gaudia adirem,
Admonuit dominæ deseruitque Venus [1].

Ceterum pudet dicere, quæ damno meo subintellexerint hic pravi ac perditi homines : *Dî meliora piis, erroremque hostibus illum* [2] !

[1] Lib. I, Eleg. v, v. 39-40.

[2] Virg. *Georg.* III, v. 513.

EDITOR.

Suspicor, optime Tibulle, hic te majore in culpa versari quam editores. Ovidius enim hoc modo, quæ dixisti, imitatus est, *sed postquam nullas consurgere posse per artes*[1]....

DELIA.

Possem et ego...... at

> Si quis et imprudens adspexerit, occulat ille,
> Perque Deos omnes se meminisse neget[2].

Sed Gebhardhum adhuc carpere libet; is enim, quia olim Isidis in fano pro Tibulli felici reditu vota solvi, me genibus jussit, perinde ac scopis, humum verrere : quod deambulandi genus sibi habeat!

EDITOR.

Difficile est, mehercule, novam editionem proferre; præsertim post tot eruditorum virorum lucubrationes. Eorum nullus est, qui non me plurimum doctrina ingenioque vincat. Quid proficiam, si Statium, si Brouckhusium, si Heynium vana elusit opera? Quid? si neque H. Voss. neque Wunderlich. metam attigere? Nonne eadem persona fungar, qua, apud illustrem fabularum conditorem Gallicarum musca illa celeberrima, quæ, aurigæ naso insidens, nunc ad equorum colla, nunc rursus ad rhedam volitat. Non is sum, qui aliorum lucubrationibus provectus, subito exclamem, montis cacumen nunc demum et mea ipsius opera superatum esse; incepto igitur labori renuntio : *Ipse mihi si præscribat*[3] varias lectiones Tibullus.

[1] Am. Lib. III, El. VII, v. 75.

[2] Tibul. Lib. I, El. II, v. 37, 38.

[3] Carm. in Messal. v. 179.

TIBULLUS.

Ne animum despondeas, precor, amice. Licet enim illi homines, quos nominasti, te in omnibus longe præstent, sunt tamen quædam in quibus nos adjuvare possis. Quod ad lectiones attinet, fata invisa me loqui vetant; necesse erit igitur, optimas ex illis, quas offerunt libri, seligas : facilis et felix erit labor, dum simpliciores amplexus, tu sensum semper qui in promptu erit, sequaris, et peritas atque longe petitas lectiones latitare sinas. Elegantiæ vel exquisiti sensus nimia consectatio plerumque interpretes decepit, et a vera scriptura avocavit. Mihi, pariterque Deliæ et Nemesi concede, ut quiete carminibus frui possimus; neque Lygdamum excogita, cui magnam eorum partem condones, quippe qui Lygdamus ipse fuerim, licet tuo Vossio *ilia rumpantur.* De Neæra quoque tace, quod supposititium nomen, æque ac illud Glyceræ, multos fefellit; quibus pro pœna sit, ut etiam nullas, nisi quæ nomine tantum exstiterint, in amplexibus habeant. Utere, quæso, utere doctorum lucubrationibus, ut in commentariis plerumque Huschkii vestigiis insistas, et H. Vossium præcipue refugias. Hic enim, ex quo me feliciter germanice loqui jussit, societatem carminum mecum iniisse ratus, et germanicis, quæ ipse condidit, non satiatus, etiam in latinis meis portiunculam sibi quæsivit, ita ut sæpe, in uno ac eodem versu, vocabulum ille locaret omnino suum, mihi vero cætera relinqueret; ut avis illa, quæ ova in alieno nido ponit. Restat adhuc, ut de vita præcipiam : multa circumferuntur, eaque perabsurda. Hic me *adsiduo igne* prohibet; ille mihi nobilioribus vinis interdicit; huic si accredas, ne torus quidem supererat; illi etiam Delia stola denudanda videtur, quam, intelligo, lubenter veste exueret. Certe si nobis per mediam silvam iter facientibus

latrones occurrerent, non tanta de nobis spolia auferrent, quanta interpretes; quamquam Horatius mihi *mundum* concesserit *victum, non deficiente crumena*[1]. At audaculi pro ista jactura, tenebrionis cujusdam inficetum carmen meo nomine inscribunt, ubi ille ait:

> Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
> Quum memor anteactos semper dolor admovet annos[2].

EDITOR.

Mirum sane donum. At tu, si vacas, precor atque iterum precor, omnia nunc ordine ipse enarres. De Delia, deque Nemesi me recta via edoce...... quæ et quales fuerint Sulpicia, Neæra, Glycera.....

TIBULLUS.

Eheu... jam nullus sum: me revocat *scelerata sedes, in nocte profunda Abdita, quam circum flumina nigra sonant*[3].

Hæc fatus, Deliam, reliquasque umbras caligine involutas secum abduxit, interque voces confusas vix intelligere potui...... *De vita optime divinavit Spohn, licet multa*......... evanescente paulatim Tibulli voce, ne syllabam quidem ultra hæc verba assecutus sum; at

> Jam nox ætherium, nigris emensa quadrigis,
> Mundum cæruleo laverat amne rotas[4];

et vana somnia mihi excussit aurora. Profuit tamen mihi frater diræ mortis, licet veris falsa miscuerit. Præceptis enim a Tibullo prolatis, quantum fieri potuit, obsequens,

[1] Horat. I, Ep. IV, v. 11.

[2] Carm. in Mess., v. 189, 190.

[3] Tibul. Lib. I, El. III, v. 67, 68.

[4] Tib. Lib. III, Eleg. IV, v. 17, 18.

doctorum quotquot dixi virorum labores adhibui, notasque quam plurimas, proprio ex fonte haustas, addidi, nullum locum præteriens quin meam ipsius sententiam declaraverim. Codices mihi ubique fulcro sumpsi, nec unquam ab eorum auctoritate recedere ausus sum. Verum, ne ingeniosis emendationibus careres, lector, quas Heinsius præcipue et H. Voss. passim adtulerunt, notis inseruimus quodcunque textu procul esse statuimus. Vitam omnino reficiendam censuimus, egregia dissertatione usi, quam an. 1819 edidit Lipsiæ FR. A. GUIL. SPOHN, cujus pars altera valde desideratur, neque tamen in omnibus huic docto viro consentimus. Excursus mythologicos quosdam, ex illustris Creutzeri symbolica, maximam partem, excerpsimus. Quod ad indicem pertinet qui Heynii primum erat, deinde Huschkii editioni insertus est, nunc denuo immensa opera auctus in lucem prodit. Unum adhuc superest, de quo te monitum esse velim; si te Tibulli legendi desiderium tenet, textum sequere, unice textum, præterea nihil; editores omnes abige, qui poetam mendosa scriptura onerant, et barbare loqui interdum cogunt; denique

Me quoque servato, peccet ut *ille* minus[1].

[1] Tib. Lib. I, El. VI, v. 16.

DE TIBULLI

CODICIBUS ET EDITIONIBUS.

Jos. Scaliger, in *Comment.* p. 216, ait : « Lege vitam poetæ apud » Gyraldum ; ibi videbis exemplar, ex quo omnia quæ Tibulli hodie » exstant propagata sunt, aliquot pagellis transpositis, turbatum » fuisse ». Quis non in verba tanti magistri juraret? Ex quo Scaliger hæc pronuntiavit, nullus fere fuit editorum, quin eamdem iniret sententiam, qua tamen nihil stultius esse potest. Omnes enim codices ex uno exemplari fluxisse nemo existimabit, qui lectionum varietatem immensam, qua laborat Tibullus, novit; præterea falsum est Gyraldum eadem dixisse, quæ ei adtribuit Scaliger. Vita Tibulli legitur in dialogo quarto, p. 222, neque tamen Heynius, neque Vossius, neque ipse ego vestigium istius assertionis reperire potuimus; abusus est itaque Gyraldi loco Scaliger, ut merito notat *Spohn*, et jam de fabula illa, quam inter somnia creavit doctus vir, nihil omnino superest. Quid de hisce sentiremus, sine dubitatione jam ad libri III, Elegiam VII, v. 32, declaravimus, ubi etiam argumento fuit nobis codicum diversitas, quam non solum in singulis lectionibus reperire est, sed etiam in Elegiis ordinandis atque disponendis. Attamen fatendum est, codices omnes recentioris esse temporis, atque vix sæculum XIV excedere. Tanta versantur in corruptela, ut ægre legi possint tersissimi poetæ carmina, præsertim ex quo, proterva temeritate, Scaliger omnia miscuit in editionibus. Fuerunt et ante typographiæ inventionem viri docti quidam ex Italia, qui studia in operibus Tibulli collocarunt; in hac re laudandi sunt (Bachii nota est, quam hic transcripsimus) : 1°. « Franciscus Philelphus Tolen» tinensis, natus 1398, et mortuus 1481, vir suæ ætatis multo doc» tissimus, et Epistolis, Orationibus, aliis operibus editis celeber» rimus ; 2°. Jovianus Pontanus Cerretensis, natus 1426 et mortuus » 1503; præter philosophica opera, scripsit Historiam belli Neap.

» lib. VII, latini sermonis bonitate satis celebratus; 3°. J. Aurispa, » natione Siculorum oriundus, non multum ab initiis sæculi XV » floruit, versu et prosa oratione plurimum valere creditus; fuit » ab epistolis latinis Eugenio Quarto, qui factus est pontifex an. 1431 » et obiit 1446. (Cf. Brouckh. ad I, 2, 24); 4°.[1] Seneca quidam » de quo non exploratum est; nomen ejus in quibusdam codicibus » Tibulli, Catulli, Virgilii, adscriptum exstat ».

Contendunt editores plerique, ab his viris malam manum emendandis, vel supplendis veterum scriptorum locis adhibitam esse; quod licet concesserim, nullus tamen mihi persuasum faciet interpolationem ubique irrepsisse in textum, cujus margini nomina eorum adscripta sunt: nam eorum versuum, qui pro interpolatis habendi sunt, secundum nasutos quosdam editores, multi illorum nomine circumferuntur, qui jam in libris leguntur vetustissimis, ita ut manifesto Philelphi, Pontani, et Aurispæ ætatem excedant.

Heynius, qui Scaligero nonnullis in delictis accessit, pariter statuit codices omnes ex uno fluxisse: « Nec ullus exstare videtur anti- » quior, nisi forte Scaligeri excerpta cum fragmento Cujaciano, » nescio an unum quoque Heinsii excipias Anglicanum ». At quod

[1] Huschk. de conjectura meminit, prodita in *Ephem. litter.* academ. Jen. 99 a. 1777, amplificata ab Harlesio supplem. ad brevior. notit. litterat. Rom. P. 1. p. 347, ubi scribit: « Medio sæculo XV floruit quidam Thomas Seneca *Camers*, non latinis modo, sed etiam etruscis litteris commendatus, et poeta; cujus latina habentur inter carmina illustrium poetarum ital. Florent. 1721, tom. IX, p. 39. Is qui Cæsii, Arimini, Bononiæ et Florentiæ docebat, una cum Porcello seu Porcellio (de quo multus est *Zenus* in Dissertazioni Vossiane, tom. I, p. 15-21). Studium litterarum græcarum, quas ignorabat, stulte sprevit. Quod igitur uterque, homini latino, græcis non opus esse litteris temere prædicabat, immo potius odio iraque in Basinium Parmensem, græcarum litterarum amantissimum, inflammatus, hunc, omne tempus, in litteris græcis consumptum, omnino perdidisse clamitabat. Basinium gravem nactus est adversarium, qui quidem in binis epistolis, altera prosa oratione exarata, altera poetica, in qua ostendit, *poetas latinos sine litteris græcis nihil posse*, contra utrumque stylum acuit; in utraque autem epistola *Thomam Senecam Camertem*, nomine tantum Senecæ, adpellavit. Hic igitur Seneca forsan fuit, qui interpolaret Tibullum, Virgilium, aliosque poetas et cujus nomen adpingeretur versibus interpolatis ». Huschkius subjicit: « Tamen Senecam de quo agitur paulo maturius floruisse crediderim, siquidem interpolationes ejus jam notantur in codice Paris., qui scriptus est an. 1423 ».

ad antiquiorem illum attinet, qui, more *errantis Judei*, sæcula omnia regionesque terrarum universas Tibulliana prole poetica conseverit, periisse videtur, si docto viro accredas; mirum sane fatum, quod, ope duorum tantum librorum, Tibulli carmina propagavit, ut auctor est Heynius, apud quem unicum illud exemplar ex antiquiore aliquo prodiit, quod vetustate ac situ, aut casu vitiatum erat. Quin adeo hoc haud multo post Tibullum tempore evenit. « Nam Augustei ævi monumenta ingeniorum quoque maximam partem interiisse videntur, primis statim sæculis, incendiis maxime urbis, » quæ sub Nerone et per bellum civile, quod ejus mortem insecutum est, facta sunt; colligo hoc etiam ex eo, quod Domitiano » laude datum est, quod bibliothecas incendio absumptas impensissime reparari curavit, exemplaribus undique petitis (Suet. Dom. » 20) ». Itaque, quæ opinio Heynii est, videtur a Nerone vel saltem a Domitiano, ad sæculum XIV usque, pristinus ille codex semel tantum exscriptus, subito innumeris librariis in manus incidisse, et ab iis variegatus atque deformatus, omnibus nostris pro fonte fuisse; quis non hæc admiratus cum poeta exclamaret?

« .... et habent sua fata libelli ».

Nunc codices recensendi sunt omnes, quos editores adhibuere, de quibusve mentio quæcumque apud eos est; initium faciet Heynii catalogus, quem tamen multis in locis emendavimus, Huschkii aliorumque observationes secuti; deinde codices indicabimus quos H. Voss. habuit, denique Bachii quatuor Berolinensium nomine insignitos.

Heynii itáque verba sunt quæ subsequentur: nos te monitum tamen esse volumus, ne iis confidas quæ de editionibus hic loci narrat; nam de his infra Huschkium secuti te multo meliora edocebimus. Neque aliter eæ hic memorantur, nisi quatenus codicum originem et usum spectant. Accidit enim ut libri scripti plerumque nunc desiderentur, ita ut licet vulgandis editionibus inserviissent, tamen eorum ævum ac forma penitus ignorentur: ubi vero passim dignosci potuit unus vel alter, qui olim a docto viro inspectus, nunc iterum in catalogo infra posito occurrit, te notula de hac re certiorem facimus.

» Quum sub sæculi XV exitum sub prelo excudi libri veteres cœpissent, traditi sunt operis *Tibulli codices*, qui ad manum erant, ne-

que adeo emendatissimi, ut in aliis quoque scriptoribus antiquis factum. *Editionem principem* 1472 [1] nondum quisquam satis accurate excussit; fit tamen probabile, Venetam 1475 ex ea esse expressam, quippe quæ etiam Statii Silvas complectitur, quas prior illa continebat. Ex hac, diuturna comparatione instituta, intellexi ductas esse editiones Regiensem 1482, Vicentinam 1481, Lipsiensem s. a. sed, aliam aliter, in nonnullis locis correctas. Præferunt eæ editiones plerumque eas lectiones, quas e libris scriptis viri docti restituerunt. Neglecta tamen, nescio quo fato, a sequentibus editoribus est hæc editionum antiquarum classis, nec inspecta, nisi forte Mureto una, et altera Dousæ patri. Obtinuit enim principatum altera, etsi deterior, lectio, per Venetas et Aldinas propagata, quam tandem deprehendi ex *Romana* manasse. Hæc igitur *Romana* quasi pro *altera principe* habenda, ducta et ipsa haud dubie ex codice, sed minus emendato, diligenter olim a me excussa, prodiit 1475, subjectis Cyllenii commentariis, quos ille ad codicem suum scriptum adornaverat. Ex hac certatim expressæ sunt Brixienses 1486, Venetæ 1487, 1491, 1493, 1500 et 1520, sed passim ac varie ex Cyllenii commentariis forte et aliis edd. interpolatæ, quibus alius, ut dixi, codex pro fundo fuit. Successere his editiones Aldinæ, quæ olim, quum Dresdæ viverem, ad manus non erant, nunc autem partim in bibliotheca Georgiæ Augustæ, partim virorum omni ingenii humanitatisque cultu expolitorum et amicissimorum, Duvii et Brandesii, tum Kulenkampi, collegæ conjunctissimi benevolentia, mihi sunt oblatæ ac missæ : atque horum demum exemplarium comparatione in tramitem eum deductus sum, quo lectionis Tibulli propagatæ vestigia certa deprehenderem. Nam in superiore recensione intellexeram equidem, differre inter se plurimum editiones Colinæanas, Gryphianas, Basileenses, et reliquas, nec tamen certam rationem, ad quam earum discrepantiam referrem, reperire poteram. Broukhusius enim, qui magnam molem variæ lectionis habuit, de editionibus et earum auctoritate parum laboraverat. Nunc igitur intellexi, *Aldinam primam* a. 1502, Venetas modo dictas expressisse, nec tamen unam, sed correcto hinc inde contextu, partim ex comparatis inter se pluribus hujus generis edi-

[1] De hac editione vide infra quæ Huschkius dixerit, et pariter de ea quæ ejusdem anni est : ambas confundere videtur Heynius.

tionibus, partim viri docti judicio; nam codex scriptus adhibitus non esse videtur. Insecuta est a. 1515, *altera Aldina*, a doctissimo viro curata, et magno eruditionis apparatu correcta, si non libris scriptis comparatis, etsi et hoc esse factum probabile fit, crisi tamen subtili, et, si pauca excipias, felici. In hac editione sublati sunt aut asteriscis notati plerique ex versibus suppositítiis, et omnino jactum est emendatiori Tibulli lectioni fundamentum præclarum. Alterutram ex his Aldinis secutæ sunt editiones sequentes omnes, sed, quod mirum est, delectu non semper cum bono judicio facto: nam priorem, altera haud dubie longe inferiorem, unice expressere Colinæanæ et Basileenses; alteram autem Veneta per Scotum 1549, et Gryphianæ, numero plures. Nec quicquam innovatum vidi ante *Muretum* : cui doctissimo viro Tibullus non parum debet, plus etiam debere putaretur, nisi Scaliger eum debita laude fraudasset. Nam editus est a Paullo Manutio, aut verius ex ed. Aldina altera repetitus, a. 1558, Tibullus cum Catullo et Propertio a Mureto diligenter castigatus, libro utique uno et altero adhibito, uno saltem quem suum appellat; sed consuluerat, quantum comparatione diligenter facta intellexi, hinc illinc editiones veteres ex Veneta pr. ductas, quas tamen more istius sæculi et ipsas veterum codicum nomine declarat; sæpe etiam, dum alios sic vel sic legere narrat, non libros seu scriptos seu prelo vulgatos, sed virorum doctorum emendationes protulisse putandus est [1].

» *Achilles Statius*, jam tum Catullo doctis commentariis instructo clarus, Venetiis 1567, Tibullum cum commentariis edidit. Secutus ille est Aldinam secundam, Mureti, quod sæpe miratus sum, vix verbo mentione facta : ut tamen nec eum convicio vel obtrectatione vellicare videri possit. Fertur tamen, quum Italiam adiisset, cum Mureto vixisse, neque adeo ejus de Tibullo merita ignorare potuit. Is librorum bonam copiam habuit, non minus enim decem usus est; certe laudari videas duos Vaticanos, quorum alterum valde antiquum fuisse, ex nota ad I, 3, 34 colligas, veterem bonæ notæ librum Guidonis Ascanii Sfortiæ Cardinalis, Angeli Colotii librum, e quo tamen, ut etiam ex Florentino bibliothecæ S. Laurentii et alio vetere libro excerpta tantum habuisse videtur; ait enim fere :

[1] Ita v. c. factum in loco Lib. I, El. vi, 3.

in libro Colotii, in Florentino, in veteri libro, sic fuisse affirmant, testantur, et similem aliam collationem etiam Heinsio contigisse paulo post videbimus; porro librum Marcelli, pontificis maximi, Patavinum et duos veteres libros suos. Idem alios, qui codices contulerant, consuluerat. Non paucæ ejus lectiones, id quod per se intelligitur, cum Vaticanis Heinsii conveniunt.

» *Janus Dousa* pater a Lipsio lectionum in Tibullum varietates acceperat, quas ille, dum Romæ esset, *ex antiqua membranaceorum codicum fide* excerpserat, e quibus insigniores memoravit in Præcidaneis in Tibullum c. 15, 16. Sunt inter eas nonnullæ, quæ in nullis aliis libris reperiuntur, ut facile possit suspicio subnasci, libro nostris antiquiore Lipsium usum esse; verum sunt eæ fere ejusmodi, ut e viri alicujus docti ingenio profectæ esse videri possint. Nam quod hoc saltem loco a me monendum est, quum, litterarum antiquarum studio reducto, ad poeticen Romanam multorum ingenia sæculo XIV et XV se converterent, Tibullus inprimis fuit is, quem exprimerent certatim Itali. Laudavi jam supra Herculem Strozzam, Sannazarium, Pontanum; videbit alios is qui Italorum poetarum delicias adierit. Hoc ingeniosissimorum hominum studio factum est, ut Tibulli exemplaria circumferrentur passim a viris doctis emendata, lacunis etiam suppletis, adeoque ejusmodi exemplaria, quæ, vero nomine, interpolata erant. Multa igitur eliminanda fuere in primis Mureti recensionibus; de quibus singulis locis monuimus. Atque hæc quum non fugissent *Jos. Scaligerum*, virum judicii et ingenii vi præstantissimum, quum sibi videretur non pauca loca in Tibulli Elegiis deprehendere, quæ nullo sensus vinculo inter se comprehenderentur, quum in eo subsistere deberet, ut plurium Elegiarum excerptis primam et secundam libri primi constare diceret, eo devenit, ut versus nonnullos ex minus commodo in commodiorem, ut ei videbatur, locum transferret; quod institutum idem in Propertio, etiam in Manilio, et in Sulpiciæ Satira, Dousa quidem et Barthio probante, servavit. Et nostri quidem poetæ Elegiam primam, ut plerasque libri prioris, plane discerpsit, et tanquam Absyrti alicujus lacera membra, partes ejus dispersit. Enimvero, ut concedam, aliquot paginas, aliquot versus, quod interdum, v. c. in Luciano, factum vidimus, transpositos esse, tamen illud incredibile est, in eodem carmine ita laxatos esse versus, ut modo

ex extremis in principia, ex his in medium, ex hoc in utrumque locum alii et alii disjecti sint, et quidem ita, ut, quod, nisi data opera, et magna cum arte, fieri vix potuisset, sensum qualemcunque constituant. Hoc si credere debemus, non jam plura de atomorum fortuito concursu cum Epicuri discipulis disputare licet. Non vero tantum ratione destituitur id consilium, sed etiam periculosum est et aleæ plenum. Nam primum in tanta ingeniorum, sensuum ac judiciorum diversitate unusquisque alio alioque modo has transpositiones instituit, pari tamen jure quum semel ex arbitrio agere cœptum sit: tum si semel illud sequi cœperis, intra quos fines consistendum sit, quousque progredi liceat, in aliis quoque scriptoribus, vix definiri potest; et nullum, imprimis elegiacum, quod singulis fere distichis sententiam claudit, carmen erit, in quo non, discerptis et ad certam rationem compositis versibus, sensum satis commodum efficere me velle ausim recipere. Hoc tamen institutum probavere Broukhusius et alii [1]. Sed viri docti genium elegiæ non satis perspectum habebant. Quid enim, quæso, est, in quo maxime illa versatur? an in subtili aliqua et ad dialectices regulas exacta, severa et acerba rerum vel sententiarum positione et enarratione? an in eo, ut, quæ diligenti consideratione et multo judicio exegeris, diligenti et castigata oratione exponas? Immo vero in hoc ejus ingenium et natura continetur, ut animi commoti ac perturbati sensus et affectiones seu molliores seu ex graviore impetu jam remissas et subsidentes exprimat [2]. In hoc regnat; in hoc tota est; hoc præcipuum argumentum sibi tractandum sumit, neque temere ad alia avocari debet. Quare illud? quia, cum singulis distichis sententia finiatur, non nisi singulæ et a se invicem sejunctæ sententiæ in ea poni possunt. Hæc est, si ejus indolem recte perspicio, vera caussa, cur motibus animi exprimendis unice destinata sit. Uti principio luctui et tristitiæ inserviebat [3], ita successu temporis in amore

[1] Sed jam illud reprehendit præter Vulpium Ayrmannus, §. 69, §. 71.

[2] Recte *Boileau* in Arte sua :

Il faut que le cœur seul parle dans l'Élégie.

[3] *Principio* dixi, Horatium sequutus noto loco Art. 75 sq., non quasi elegi omnino a querimonia processerint : antiquior eorum usus fuit in brevibus sententiis ethicis, gnomis et præceptis vitæ. Tales fuere elegi Theognidis, So-

et ejus curis præcipuus elegiæ usus fuit, mansitque etiam apud eos, qui lusus tantum ingenii, non veros amores, carmine persequerentur : id quod jam ab Ovidio factum. In curis vero amoris exprimendis omniane æqualiter procedere possunt, ut alia aliam sententiam, veluti in sermone cum ratione et multa deliberatione composito et diligenter elaborato, excipiat? Non credo; sed ut in amante alius alium animi motum trudit, urget; ita sententias, non satis sibi respondentes, neque arctiori vinculo junctas, subjici necesse est. Amatorem modo supplicem esse, modo superbire, nunc precari, obsecrare, modo jurare, minari, tonare, interdum laudare, objurgare, dolere, gaudere, irasci videmus. Nonne cum ratione insaniret, qui, ut in sedato orationis genere, nulla nisi apta et connexa inter se proferre vellet? Itaque mirari non debemus, si in elegia dissidere interdum aliquid et hiare, eaque se excipere videmus, quorum nexus non a subtili judicio, sed ab animi districti curis et in contraria rapti impetu proficisci potuit. Scilicet amantis tum sensum quasi induere, ejus statum et conditionem subire et te in ejus locum in animo tuo surrogare debes. Quæ quum ita se habere, non levi judicio adductus, arbitrarer, alieno semper fui animo a Scaligeranis trajectionibus, quas Broukhusius tam cupide est amplexus. Sed videamus nunc de ejus recensione accuratius. »

« Quam infesto vir summus fuerit animo in Muretum satis constat.

lonis et aliorum. Translatus quoque ad sensus et affectus animi eorum usus multum a lamentis abfuit, si Tyrtæum memineris. Ad molliores sensus reddendos adhibuit elegos Simonides, nondum tamen genere aliquo carminum constituto satis ac definito. Itaque inter sequiorum etiam ætatum poetas videbis alios genere elegiaco usos esse, alios elegias scripsisse. Prioris generis poetæ narrationes, hymnos, et alia argumenta hoc carmine incluserunt; quod se commendabat sensibus per breves strophas facile expeditis; etsi neo de eo satis solliciti erant, ut sententiam stropha, seu binis versibus finirent. Verum arte poetica magis expolita et carminis genere aliquo ex argumenti indole et tractationis natura accuratius constituto intellectum est, animi affectus molliores tanquam materiem propriam subjectos elegiæ esse, in qua illi versandum esset. Nec tamen intra ejus fines omnino se continuerunt principes carminis auctores, Callinus, Mimnermus, Philetas, Callimachus, quantum ex fragmentis et æmulantium eos poetarum Romanorum studiis intelligitur; ita ut omnino *duo* inter se diversa *carminum genera* constituenda esse videantur, *aliud* genus elegiacum, externo habitu et stropharum brevitate ad diversa argumenta adhibita notabile, *alia* elegia proprie dicta.

Ab iisdem odiis proficisci debuit hoc, quod, Mureto plane deserto, iterum ad Aldinam primam reversus est, eamque iterum a se emendatam operis excudendam tradidit. Nam ex Ald. pr. Scaligeranam ductam esse liquido mihi nunc constat; quo ipso factum est, ut plurima, quæ in Ald. sec. et mox a Mureto egregie erant emendata, nunc iterum antiquis sordibus coinquinata proferrentur. Quumque Scaligero sensus Tibulliani candoris ac simplicitatis deesset, doctrinæ contra exquisitæ copiæ maximæ, multa ille mutavit aut refinxit docte quidem, quis neget? interdum etiam ingeniose, sed a Tibulli genio abhorrenti more modoque. Quum tamen Broukhusius eum religiose sequatur, Scaligerana recensio, quod nollem factum, pro præstantissima perperam haberi cœpit. »

« *Scaliger* tres libros habuit : quorum unius copia ipsi facta erat a Jac. Cujacio, JCtorum principe, recentis illius et paulo ante typographicam artem inventam scripti, quo tamen meliorem hodie exstare non putabat. Idem excerpta pervetusta, in Chrestomathiæ Albianæ speciem potissimos locos complexa, possedit, quibus plurimum se adjutum esse, testatur. De iis, quæ monuerimus, vide ad II, 6, 19. Sed ei fragmentum quoque peroptimum et quam emendatissimum, a quarta libri tertii elegia ad finem usque libri quarti, commodatum erat ab eodem magno Cujacio, quo emendatius ullum antiquum exemplar legere non meminerat. Liber is fere lectionem veram et genuinam exhibet; sed interdum plane a reliquorum omnium lectione discedit; ut tamen nec semper eorum fidem elevare videatur. Vide ad IV, 1, 175, 200; V, 10; VI, 16. »

« *Passeratius* in pauculis, quas in Tibullum conscripsit, notis sæpe e vetere libro lectiones memorat : quem peculiarem ipsius fuisse etiam Broukhusio persuasum fuit. Ego tamen nondum induci possum, ut eum libro usum esse credam : sed potius de variantibus Statii aut alterius superiorum interpretum intelligo, quando veterem librum laudat. Certe, quotquot harum variantum comparavi, cum uno alterove Statii libro convenire vidi : nisi quod I, 2, 79, ex libro affert :

Num Veneris magno violavi numina verbo,

quod a nullo alio memoratum vidi; ut et I, 3, 2, *tuque* pro *ipse*. »

« Etiam *Janus Dousa* filius libro vetere suo se uti profitetur in

notis : sed nec inde nec omnino de suo multum ad Tibullum ornandum in medium attulit. »

« *Janus Gebhardus*, quum animadversiones suas concinnaret, sex codices Palatinos, cum excerptis e membranis ab Hier. Commelino suppeditatis, usurpaverat : sed nec diligentia satis magna, nec sagacitate et ingenio ea in re versatum eum essé dicendum est. »

« Vir doctus, qui *Cantabrigiensem* editionem adornavit, uno Laudensi, e quo excerpta etiam habuit Broukhusius, Bodleiano, variantibus ex Aldina et libro Ferrarii usus, nihil tamen memorabile ex iis attulit. »

« *Janus Broukhusius*, elegantis ingenii vir et multarum literarum, haud dubie is est, cui Tibullus plurimum debet : si non interpretatione, tamen subsidiorum criticorum apparatu. Nam quæ boni interpretis munus postularet, parum exploratum habuisse videtur : pro more enim sæculi sui nihil videt, quod illustrandum sit, nisi ubi in exquisitiorem loquendi formam inciderit aut varietatem lectionis offenderit : tum vero exemplorum nube involvit et lectorem et poetam; luce interdum, quam expectabat, subducta magis quam illata; sententias obscuras nec illustrat nec ipse perspicit. Intra singulorum vocabulorum aut enuntiationum cancellos ingenium et animum ille, ut solebant viri docti, continet. Scaligeri recensionem, studio et admiratione magni viri tanquam abreptus, religiose sequi, quam judicio librorumque auctoritate uti maluit. Deseruit tamen vel sic Scaligerum in nonnullis locis. Nec vero quisquam alius majoribus librorum copiis fuit instructus. Nam et superiorum temporum editiones, et quæ a doctis viris, imprimis Statio et Scaligero, e libris notata erant, diligenter excussit, et ipse non contemnendas copias domo secum attulit; tres libros manu exaratos possidebat chartaceos et recentes [1]; excerpta Lipsii e codicibus Romanis a Dousa ad marginem editionis Plantinianæ descripta; duo Wittianos membranaceos, quorum alterum *bonæ notæ librum* vocat; variantes lectiones ex Colbertino codice; alias variantes ex Codice MSto a docta manu in editionis Brixiensis marginem allatas; variantes lectiones e codice Guil. Laudi, Archiepiscopi Cantuariensis; variantes lectiones e libris scriptis excerptas a M. Ant.

[1] Vide infra, p. xxxix, ubi de Berol. 2, 3, agimus.

Poccho; Ant. Perreii recognitiones adscriptas margini Ald. 1515. Idem ab Heinsio olim in Tibullum parata acceperat: librum chartaceum, variantes lectiones ad editionis Gryphianæ, quæ in Vaticana erat, marginem notatas, collationes Aug. Colotii Bassi [1], diligentiores illis, quæ Statio contigerant; duo Vaticanos; unum Fulvii Ursini etiam e bibliotheca Vaticana; librum recentem Scaligeri, cum ejus excerptis et Cujaciano; variantes lectiones ad marginem editionis Venetæ 1475 scriptas; excerpta ex vetere libro Ge. Falcoburgii, e quibus tamen nihil allatum vidi [2]. De toto hoc excerptarum variantium lectionum genere monendum, magna circumspectione et cautione earum usum indigere. Nam primum ex uno exemplari descriptæ et translatæ fere sunt in plura alia, addita iis passim a viris doctis alia, quæ ii, qui describerent, et ipsa inter varietatem lectionis referrent. Ita in Pocchi, Colotii et Perreii excerptis lectionibus multæ sunt virorum doctorum correctiones vel suspiciones, multa alia ex veteribus editionibus, etiam Aldinis, adscripta, quæ perperam pro nova codicum varietate habita sunt. Inspexerat etiam Heinsius duo codices bibliothecæ Bodleianæ ex dono Archiepiscopi Cantuariensis (quorum alter idem cum Laudensi esse debuit); tres codices Archiepiscopi Eboracensis, et inter hos unum, omnium, quos viderat, vetustissimum. Ex ejusdem Adversariis, posthac a Burmanno Secundo in lucem datis, caput, in quo multa Nostri illustrantur (libri quarti 1 et 2), adjecit editioni suæ Broukhusius; item notas Heinsii, in quibus quum multæ ejus emendationes, fere tamen ingeniosæ potius, quam veræ, apponuntur, tum, præter variantes Statii et Scaligeri, excerpta ex libro Schefferi laudantur. Inserta iis etiam ea, quæ a Guyeto, sive ex ingenio, sive e libro Thuani, ex excerptis, nescio quibus, rudi stilo conscriptis et e codice Regio, in Nostrum notata fuerant. »

« *Jo. Ant. Vulpius*, Professor Gymnasii Patavini, vir doctissimus, Scaligerana luxatorum carminum transpositione iterum ejecta, etiam

[1] De cujus opera in codicibus emendandis v. Mehus in Vita Ambrosii, pag. 290.

[2] Eodem fere apparatu instructus fuit P. Burmann. in nova Propertii recensione v. præf. Santenii, in qua cum de ceteris, tum præcipue de Perreii excerptis accurate agitur.

in lectione multis in locis a Scaligero ac Broukhusio recessit : ut ejus adeo editionem fundum nostræ facere consultum videretur. Idem variantes lectiones ex Forojuliensi MSto codice Guarneriano, bibliothecæ S. Danielis, membranaceo sæculi XV elegantissime scripto, excerptas editionis suæ primis paginis inseruit : quæ tamen non sunt adeo magni momenti, sed ubique cum ceteris libris conveniunt. »

« Versaveram olim (Heynius est qui loquitur), quum ad priorem recensionem accederem, et diligentius, quam opus forte erat, enotaveram librum scriptum in *bibliotheca* tum *Regia* (unde *lectiones* hæ *Regii codicis* nomine designatæ a me sunt) nunc Electorali Ducali, quæ Dresdæ est, servatum. Liber ille quaternionibus constat, nitide et non indiligenter, sæculo XV exaratus : nam jam insititios Aurispæ, qui circa ejus sæculi initia vixit, versus exhibet. Catullum, Tibullum et Propertium continet, non raro, quod inprimis in novissimo poeta factum, docta manu emendatos. In calce hæc leguntur : « *Emtus per me Jasonem de Mayno āno dūi septuagesimo nono super millenum quatercentenum. Decimo septimo k̄las Octobres circiter decimam octavam horam.* » Ab hoc de Mayno ad Fabricium Chemnitiensem, et cum hujus supellectile libraria in bibliothecam Dresdensem codex is pervenit. Non quidem multa notabilia in poetæ lectione, aut a vulgata diversa, offerebat; nonnullas tamen lectiones unius vel paucorum librorum auctoritate subnixas suo suffragio confirmabat. Illud vero in eo inprimis memorabile, quod versus insititios interpolatorum nomine notaverat. Libro I, eleg. II, post v. 24, vulgo inseritur distichon, quod ille cum duplici pentametro exhibebat :

En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe,
Præsidio noctis sentio adesse deam.
Securum in tenebris me facit esse Venus.

Ad priorem pentametrum adscriptum erat : *Seneca sic supplevit;* et ad alterum : *Aurispa vero sic.* Porro Lib. II, eleg. III, post v. 17, inseritur :

Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas,
Creditur ad mulctram constituisse prius.

Notatum ad hujus oram: *Seneca*, et eadem elegia post 74,

Ah pereant artes et mollia jura colendi,
O utinam veteri peragrantes more puellæ.

priori versui appictum: *Senecu suppleoit sic*; ad alterum: *Philelfus vero sic*. Jam de Philelpho et Aurispa omnia sunt satis [1] nota: sed quis ille Seneca [2] fuerit, nondum mihi liquido constat. Fuisse tamen aliquem veterum auctorum interpolatorem ex illo sæculo hoc nomine, ex Vossio ad Catull. p. 284 discere licet, qui librum msc. viderat Æneidis, in quo Seneca priorum quatuor versuum, qui Æneidi præmitti solent, auctor edebatur; et Lucani codices, in quibus septem primos versus addidisse dicebatur Seneca sed cum his verbis: *ut quidam volunt avunculus Lucani* [3]. In Dresdensi porro libro prima omnium elegia reliquis quasi præfixa videbatur, cum hoc lemmate: *Albii Tibulli in libros elegiarum procemium incipit: in quo despectis divitiis et militiu Deliam amare et amari inserviendum dicit*; id quod et alii sibi persuaserunt, ut Tibullum tum, quum fasciculum elegiarum superiori tempore scriptarum emittere vellet, hanc elegiam præfixisse putarent, qua Messalæ, quem in ea appellat, eum librum inscriberet. Fugerat me tum, quum priorem recensionem adornarem, Tibullus e Codice MSto Matthiæ Corvini Regis Hungariæ a Sam. Kœleserio a Keres-Eer Claudiopoli 1727 in octonis editus. Nactus sum eum paulo post, lectio-

[1] De Aurispa egit diligenter Broukhus. ad lib. I, II, 24, et Mazzuchellius (*Scrittori d'Italia*, t. I. h. v.). Confer quoque Kyriaci Anconitani Itinerar, p. 7 et 43, ubi in præf. p. 40, distichon quoque ab eo suppositum Tibullo recitatur. Versio Hieroclis ab Aurispa facta recensetur simul cum aliis a *Io. Bened. Mittarello* in Biblioth. Codd. S. Michaelis ad Murianum, p. 82. Est in eum epigramma Jani Pannonii, t. I, pag. 508.

Tam doctus scribat cur nil Aurispa, requiris?
Credatur multo doctus ut esse magis.

[2] Vide supra, p. xx, notam nostram.

[3] Fuit sane nomen Senecæ apud seriorum ætatum homines frequentatum indoctissime ad plura supposititia ei assignanda; ut suspicari liceat ipsas notas Tironis et Senecæ tali commento nomen suum debere: inprimis quum idem Seneca Magister appelletur in MSS. de quo v. locum Jo. Pistorii ap. Wernsdorf. P. L. M. To. V, P. III, p. 1467.

nemque in nova recensione comparavi. Pauca tamen in ea observare potui, quæ non in ceteris quoque scriptis libris occurrerent; et omnino liber ille Corvinianus satis recens esse debuit, sæculo, puto, XV exaratus. Quantum ex præfatione intelligo, Propertium quoque et Catullum codex continebat: promittit enim Kœleserius, se eos Tibullo comites daturum esse. Habet hoc singulare codex, quod Elegiarum numerus usque ad finem continuatur, desinitque in Elegia XXXVII, *Rumor ait crebro;* etsi sub libri cujusque ex trinis initium adscriptum est, novum librum hic initium habere. Quarti libri notatio nulla est, sed præscriptum : *Laudes Corvini Messalæ heroico carmine describit.* »

« Exposita est tanquam in stemmate *prosapia ac stirps lectionis Tibullianæ* per tot editiones deducta; eadem opera simul enumerati sunt *libri,* quorum auctoritate nostri poetæ stat lectio; quibus addi possunt nonnulli, e quibus una vel altera lectio prolata est, qui tamen per totum librum cum vulgata comparati non sunt. Ita Fruterius in Verisimilibus I, 5; II, 1 et ult. passim MStum Danielis laudat. Corradus in Quæstura p. 325, edit. Lips. codicem memorat a Carolo, sacrato Equite Hierosolymano nobili, dono acceptum; lectiones, quas ex eo attulit, suis locis notavimus. Salmasius codices aliquot suos Tibulli memorat in Exercit. Plin. p. 492. B. ed. Traj. Doctus Batavus in Obss. Misc. Vol. II. p. 239. seqq. lectiones aliquot e codice suo profert, sed quæ a vulgata nihil discedunt. »

Verum præter hos non pauci passim *in bibliothecis* exstant *libri.* Quos Heynius partim e bibliothecarum catalogis, partim aliunde notatos, quum in priore editione recensuisset, ut uno quasi conspectu intueri posset lector, quantum nobis in uno hoc tam exiguæ molis neque adeo multorum hominum lectione frequentato poeta subsidiorum relictum sit, etiam e priore præfatione in subsequentes hunc catalogum transvexit quem tibi hic loci denuo auctum atque emendatum legendum proponimus. Initium hujus recensionis faciemus ab *Italia,* codicum quasi patria, unde in alias terras, tanquam e natali in peregrinum solum abducti fuere. Et a Montefalconio quidem in bibliotheca MS tom. I, p. 4, inter bibliothecæ Vaticanæ codices memorantur:

N. 1609. Tibulli codex antiquus in membrana.

N. 1610, 1611, 2794, 3175, 3270, 3272. Omnes in membrana, sed recentes. Ex his eos fuisse necesse est, quos Statius et Heinsius versarunt, et forte ille, qui primo loco memoratur, is ipse est, e quo Lipsii excerptæ lectiones erant; eodem etiam Statius usus esse videtur.

In bibliotheca cardinalis Ottoboni, ap. eumd. tom. I, p. 188, A.

Tibullus, codex recens.

In bibliotheca Olivetanorum Neapoli ap. eumd. p. 230, C. et in Diar. Ital. c. 21, p. 305.

Propertius, Catullus, Tibullus, Statii Sylvæ; codex ab Ant. Sinibaldo Florentiæ descriptus anno 1484.

In bibliotheca Medicea Florentina, in pluteo XXXVIII, idem Montefalconius l. l. p. 238, Tibulli quatuor codices memorat, qui disertius describuntur p. 317, nimirum:

N. 36. Membranaceus Albii Tibulli, poetæ clarissimi, elegiæ.
P. Ovidii Nasonis
Fabula versibus elegiacis.
Propertii Aurelii monobiblos
Ovidii de pulice.

N. 38. Tibulli Equitis Romani, ac poetæ clarissimi Elegiarum libri tres. Sapphus epistola ad Phaonem, multa alia in papyro, 1479.

N. 39. Membranaceus Albii Tibulli, poetæ illustris, elegiæ. Ovidius de Tristibus et de Ponto.

In Pluteo XXXIII, ib. p. 309.

N. 25. Mst. membr. Propertii, Tibulli, Catulli, carmina.

N. 26. Papyr. Propertii atque Tibulli carmina.

N. 27. Membr. nitidissimus. Catulli et Tibulli carmina, cum epigrammate Guarini in principio. Gherardus Joannis Delciriago, (f. del Cyriaco) civis Florentinus, scripsit pro Jo. Cosmo de Medicis, optimo cive. Flor. anno 1457, mense Julio.

N. 29. Pap. Propertii et Tibulli carmina, cum ejusdem vita et epigrammate in fine.

Iste liber Propertii et Tibulli est mei Ant. Juliani manu propria scriptus [1].

[1] Ex uno Florentino excerpta habuerat jam Statius: ex iisdem excerpta Perreii Heinsius.

In bibliothecis Patavinis, et quidem in Museo Nic. Trivisani, ib. p. 488, A.

Catullus et Tibullus.

Apud Hieronymum de S. Sophia, ib. p. 489, E.

Tibullus.

In bibliotheca Ambrosiana Mediolani, ib. p. 511, C.

Catulli, Propertii, Tibulli, carmina, pergam. ter, bomb. bis, et p. 524.

Tibullus pergam. quater, bomb. ter.

In bibliotheca Ducis Mutinensis, ib. p. 531, D. et in Diar. Ital. c. 3, p. 33.

Tibullus Sec. XV.

Item Propertius, Tibullus, Catullus, Maximianus, codex membranaceus, fol. in bibliotheca Municipii S. Danielis asservatur, teste Fontanino Hist. lit. Aquilei, p. 48.

Jam apud Britannos sequentes codices recensentur in Catalogo librorum MS Angliæ et Hiberniæ (Oxonii 1697 fol.), tom. 1, p. 1, (ex quo repetiit Montefalconius in Bibl. MSS, tom. I, p. 653.)

In bibliotheca Bodleiana inter Laudenses, n. 1190.

Tibulli opera, sed imperfecta.

Ovidii epistola Sapphus ad Phaonem.

1278. Tibulli et Catulli opera.

Videtur alter hic esse is, quo editor Cantabrigiensis usus est; de quo ille : « Codex MS anno 1440, continens Catulli et Tibulli » opera; quem bibliothecæ Boldeianæ Oxon. dono dedit Archie- » piscopus Laud. Huic deest una vel altera pagina. »

In MSS ecclesiæ Westmonasteriensis Londini, ibid. tom. II, p. 27, et apud Montefalc. p. 674.

1146. Tibullus.

1147. Alius [1].

In ædibus Jacobæis Catal. MSS Angliæ, tom. II, p. 247.

8636. Tibullus Catullus MS.

Apud Batavos et quidem in bibliotheca publica Leidensi inter

[1] Editor Cantabrig. in præf. « quæ Catalogus MSS Oxonii editus 1697, Regiæ et Westmonasteriensi Bibliothecis tribuit, summopere scrutanti, nulla occurrebant. »

MSS bibliothecæ quondam Vossianæ asservantur, ut videre est in Catal. biblioth. publicæ Universitatis Lugduno-Batavæ, L. B. 1716, fol. p. 386. Hi sunt qui apud nos Is. Vossii inscribuntur et passim simpliciter Vossiani dicuntur.

I. N. 76, p. 389. Valerii Catulli Veronensis poetæ Lyrica.—Albii Tibulli liber, qui scribi finivit VII, kal. octobr. anno 1441, in membrana.

II. N. 59, p. 388. Tibullus, sequuntur varia carmina. Catullus, scriptus liber 1453, a P. Antonide Presbytero, in membrana.

III. N. 81, p. ead. Carmen anonymi. — Catullus. Albii Tibulli liber. Sulpiciæ carmina. Propertius. In membr. rec.

IV. N. 42, p. 387. Tibulli elegiæ, quæ incipiunt ab tertia, scriptæ anno 1473, in charta.

V. N. 13. Albii Tibulli, equitis regalis Elegiæ; item libri IV, Propertii carminum, Bapt. Guarini Carmina; item Joviani Pontani; item Valerii Catulli in charta.

Iidem libri Vossiani, sed parum accurate, recensentur in Catal. MSS Angl. tom. II, p. 68, et ex eo a Montefalc. tom. I, p. 680.

Memoratur etiam Tibullus, Catullus, Propertius, codex, inter MSS Dionysii Villerii, Canonici et Cancellarii Tornacensis, nunc Ecclesiæ Cathedralis, in Elencho MSS codicum Belgii, auctore Ant. Sandero. Insulis 1641, in-4°, p. 219.

In Galliis, et quidem in bibliotheca Regia Catalogus biblioth. Regiæ, P. III, tom. 1, p. 418, recenset sequentes, plenius ac Montefalconius Bibl. MSS, tom. II.

N. 7989. Codex chartaceus, quo continentur: Albii Tibulli elegiarum libri IV, Sext. Aurelii Propertii elegiarum libri IV, Valerii Catulli Veronensis liber epigrammatum variorumque poematum. Epistola Sapphus ad Phaonem. Petronii Arbitri fragmenta, quæ edita sunt. Moreti liber Virgilii pueri. Claudiani carmen de phœnice longe recentiore manu. Is codex XV sæculo videtur exaratus.

De hoc libro, qui notum illud Petronii Fragmentum Tragurianum continet, vide Montefalc. Bibl. MSS, tom. II, p. 758, et Burmanni Præf. in Petron. Spon. *Voyage*, tom. I, p. 95 [1].

[1] Constat Codex paginis 237, fol. minori, pag. 179, post Catulli carmina ab eadem manu cui codicem debemus, scripta nota exstat, 1423 di 20 nov.

N. 7990. Codex membranaceus, quo continentur: Albii Tibulli elegiarum libri IV, subjecta Ovidii de illius morte elegia. Valerii Catulli Veronensis epigrammatum variorumque poematum liber. Sext. Aurelii Propertii elegiarum libri IV. Is codex XV seculo videtur exaratus.

N. 8118. Codex chart. olim Baluzianus. Ibi continentur: Byblidis fabula e libro IX Metamorph. Ovidii. Anonymi liber de Arte Amandi. Albii Tibulli elegiarum libri IV, passim inter lineas glossæ. Is codex anno 1464 exaratus est.

N. 8233. Codex membranaceus, olim Memmianus. Ibi continentur: Catulli, Tibulli et Propertii carmina. Is codex 1465 exaratus est.

N. 8234. Codex membran. olim Colbertinus. Ibi continentur: Albii Tibulli elegiarum libri IV. Val. Catulli Veronensis carmina. Is codex XV seculo videtur exaratus [1].

N. 8236. Cod. chart. olim Faurianus. Ibi continentur: Sext. Aurelii Propertii elegiarum libri IV. Albii Tibulli elegiarum libri IV. Valerii Catulli Veronensis epigrammatum variorumque carminum liber. Priapeia, quæ Virgilio tribuuntur. Is codex XV seculo exaratus videtur.

N. 8458. Codex membr. olim Baluzianus. Ibi continentur: Albii Tibulli, Equitis Romani, elegiarum libri IV, cum scholiis. Ad calcem subjiciuntur Tibulli vita, epitaphium, et non nulla in ejus laudem carmina. Sext. Propertii Aurelii elegiarum libri IV. Valerii Catulli Veronensis liber ad Cornelium Nepotem, sive poemata, etc. Is codex XV seculo exaratus videtur.

N. 8459. Codex chart. olim Colbertinus. Ibi continentur: Albii Tibulli elegiæ. P. Ovidii Nasonis Epistola in mortem Tibulli. Sext. Aurelii Propertii elegiæ. Is codex XV seculo exaratus videtur. Eumdem inter MSS bibl. Colbertinæ, N. 6479, commemorat Montefalconius, p. 1014.

In bibliotheca Card. Radulphi, quæ nunc in Regia est, laudat idem, p. 780.

[1] Idem in bibliotheca Colbertina, n. 4595, recensetur a Montefalc. p. 988, et videtur esse liber Colbertinus, ex quo variantes Broukhusio miserat Jac. Gallæus.

N. 43. Tibulli, Catulli et Propertii opera; qui forte est in Regia, N. 7990.

In bibliotheca Thuanea, quæ nunc maximam partem in Regiam translata, in Catal. bibl. Thuan. inter MSS, p. 464.

Tibullus, Propertius in 16, qui videtur esse is quem Guyetus, ingeniosus Gallus, versavit [1].

Heynio insuper codices Guelpherbytani quatuor memorantur quibus usus est in sua editione.

I. No. 63, 5, octonis oblongis, pergamenus, nitide et diligenter scriptus. Sunt in eo : Tibullus, litteris initialibus Elegiarum pictis, nulla tamen cum inscriptione; subjectum est libro quarto carmen : « Donec erunt ignes, etc. » Virgilii Eclogæ et Georgica, etiam sine inscriptione carminum. In fine versibus : *Hæc super arvorum* subscriptum est : « Clemens Salernitanus feliciter scripsit. »

II. 82, 6, quaternis oblongis; pergamenus; nitide et a librario sedulo scriptus; inscriptos habet elegiarum numeros et breves titulos, etiam lemmata passim in margine, tum varias interdum lectiones, ab alia tamen manu, sed antiqua, viri quidem, ut apparet, YCti, Pontano, quem excitat aliquo loco, junioris. Conringium aliquando hunc codicem manu versasse, ex nota sub finem libri tertii inserta intellexi. In fine una ex Heroidibus Ovidii sine inscriptione ac titulo est subjecta : Epistola Sapphus ad Phaonem : quæ est XV. Sunt scilicet plures codices, qui hanc epistolam habent Tibullo subjectam, ut Boldeianus (sup. p. XXXII) Parisinus (p. XXXIV) quod casu suspicor factum, quum unus aliquis spatium codicis vacuum brevi hoc carmine explevisset.

III. 332, Gud. octonis; in charta pergamena tenuiore nitide exaratus; litteris initialibus librorum et versuum colorum varietate ornatis; est tamen a recentissima, sed docta, manu, litteris cursivis, quas vocant, exaratus, cum lectionibus var. in margine, ab eadem, ut probabile fit, manu adjectis. Subjectus est Catullus; et in extrema pagina carmen : « De ortu et obitu Hermaphroditi Pulex poeta » (carmen ineptum : quod in Catalectis, et ex iis in Antho-

[1] Erat in bibliotheca ducis de la Vallière Codex, de quo v. *Catalogue*, t. II, p. 73, alius in supellectile P. Ant. Bolongaro de Crevenna, tom. III, p. 124.

logia Lat. Burmanni exstat, tom. I, p. 610, lib. III, CLXXVII), tum, « Versus Augusti, ut aiunt : *Thrax puer*... (Est epigramma, quod alii Julio Cæsari, alii C. Cæsari Germanico adscribunt; exstat quum in Catalectis tum in Anthol. Lat. to. II, p. 62, Epigr. XCII.)

IV. 65, 2, octonis oblongis; pergamenus tenuioribus paginis, pictis litteris initialibus. Continentur Catullus (primo folio manum veterem æmulante suppletus) Tibullus; subjecta elegia Ovidii in Tibulli mortem, *Memnona si mater;* et altero carmine : *Juvenis qui pauper erat :* omisso *Hic.* In fine subjecta est elegia viri docti ad Deliam.

Ex his codicibus primus et quartus in multis conveniunt, inprimis in priore libro et in aliis carminum partibus; possunt quoque in certis partibus ad fontem communem referri secundus et tertius; nec tamen sic, ut ex eodem uterque exemplari descripti esse videri possint. Scilicet, quod in codicibus comparandis sæpe miratus sum, quum conveniant interdum in uno vel altero loco, vel libri parte, ut unius ejusdemque codicis apographa esse videantur, in aliis partibus adeo inter se discrepant, ut ad diversas stirpes eos revocare necesse sit.

Codicum in Germania plurium collationes adhibuit Jo. H. Voss. quos recenset in præfat. pag. XXVIII. Sunt ii Monacensis intelligenter scriptus; Bongarsianus; Vindobonensis lib. Cæsareæ, chartaceus forma 4° nitide descriptus; Askewanus, quem ex Askewii bibliotheca eruit poeta Laurentius de Santen, unde venit in possessionem viri illust. *de Dietz.* Hamburgensis nitide in membrana exaratus, Gothanus imperite in charta. At quod ad Hamburgensem et Gothanum attinet, accuratiore collatione usus est Wunderlich, cui etiam duo Zwicavienses sæculi XV, præsto fuere quorum collationem curavit Gœrrenz.

Bach. Berolinenses quatuor præsto habuit. Iis dominus fuit Fr. *de Dietz,* qui, postquam regi Borussorum a consiliis intimis et legationibus fuerat, extremam fere vitam otio litterato in villa proxime Berolinum sita peregit. Hic vir insigni dum vivebat, de musarum cultoribus bene merendi studio incitatus, codices suos Bachio subministravit : at post illius obitum libri in publicam Regiam bibliothecam transierunt. Ii vix ultra typographiæ incunabula assurgunt.

I. Codex chartaceus, formæ, quam vocant, octavæ majoris, cha-

ractere litterarum minori non admodum diverso ab hodie consueto, satis accurate et eleganter exaratus. Initiales versuum litteræ sunt majores, rubris lineamentis distinctæ, a ceteris paulum separatæ. Pentametri æquali cum hexametris spatio a margine distant. Pauca vocum habet compendia. Signum *u* et vocali et consonanti inservit. *Que* a suo verbo separatum. Perpaucas var. lect. et correctiones eadem, qua contextus, manu in margine scriptas continet. Tibullo subjectum habet Ovidii Ibin cum scholiis. Totus liber 67 foliis constat. Apographo ejus levi et, ut videtur, tumultuaria cura facto I. H. Vossium usum esse, nostra collatio diligenter instituta docet. Signif. sub. n. 1. (Videtur hic idem esse qui apud Vossium Askewii nomine inscribitur.)

II. Codex chartaceus, ejusdem cum superiori formæ, curate et eleganter scriptus, litterarum charactere paulo minori. Pentametri longius distant a margine quam hexametri, quorum initiales paulum separatæ ornamentis carent et picturis. Diphthongos non habet. *Que* arctius annexum. *U* vocalem æque ac consonantem designat. Correctiones margini ab eadem manu adscriptæ. Folia 41 complet. n. 2, insign.

III. Codex chartaceus, a Car. Dato pervenit ad Petr. Rendorpium, deinde ad Laur. Santenium 1760. E cujus bibliotheca una cum ceteris hunc emit *de Dietz*. 1800. Forma oct., minutiori litterarum charactere scriptus. Initiales separatæ exstant sine picturis, excepta prima omnium littera, *D*. Non caret mendis, quorum multa, nisi inscitiæ, certe negligentiæ certissima videntur indicia. Pluribus quam duo priores utitur compendiis. Semper *ſ*, non *s*, in fine. *Que* arctius adhæret. Diphthongi exulant. *H* frequentatur, v. c. *his*, *thorus*, pro: *is*, *torus*. In margine variantes ex vulg. recensione depromtas adscripsit; nisi me omnia fallunt, Santenius, qui eumdem librum in nota marg. ad bibl. crit. laudavit. Complet hic cod. 48 fol. In Bachii editione et in nostra n. 3, notatur. Librorum *FF* in Broukh. ed. tanta cum hisce 2, 3, similitudo invenitur, ut pro iisdem habendos esse Bach. vix dubitet. Parum autem diligenter et accurate illis usum fuisse Broukhusium, in promtu est videre.

IV. Codex membraneus, olim fuit ducis *de la Vallière*. Forma oct. minutissima. In fronte libri littera *D*; nitore auri et variorum colorum splendet. Character est minutior, similis fere uncialibus

litteris. Vocum compendia creberrima. Diphthongis caret; *ſ* in fine longum, non *s*. Correctiones partim in ipso contextu a manu secunda, partim margini appositæ haud indoctum produnt scribam. Nonnulla sibi propria habet. Frequentatur scribendi ratio: *jubsit, obscula*, pro *jussit, oscula*. Carmen ad Messalam ex eo plane exulat. Subjectos continet fastos Romanos cum expositione. Hanc Vita T. excipit, rubro colore tincta. Fol. 49 constat. Sign. n. 4. Nusquam in his libris distinctionum signa comparent.

Huschkius denique præter Parisiensem etiam Lipsiensem laudat membranaceum; hic codex Tibullum solum complectitur, viderurque ab imperitissimo librario sæculi XV exaratus. Nam, ait Huschkius, inter carmina, quæ Tibullo eadem manu adscripta sunt, duo repriuntur Thomæ Senecæ Camertis.

Veniunt in codicum censum etiam editiones (iterum nunc Heynii verbis utimur), variis lectionibus e libris scriptis excerptis ad marginem notatæ: quibus tamen raro magna fides tribui potest, ut supra jam monitum est. Transcribi fere lectiones illæ excerptæ ex uno in alterum exemplar solent, non satis diligenter; admiscentur alia, aut rescinduntur nonnulla; tum fides et pretium, quod iis statui debet, a doctrina, cura ac fide ejus pendet, qui primus e codice aliquo eas notavit. At libros scriptos docte ac rite conferre, quod vulgo unusquisque in se recipit, res est magnæ doctrinæ et ingenii multis variisque litteris versati sagacitatisque non vulgaris; imprimis autem artis diplomaticæ, criticæ ac litterariæ, notitia imbutum esse opus est eum, qui, id, quod e codice enotandum sit, videre et animadvertere vult. Alias colligit ac tollit sordes, aurum relinquit. Reperiuntur autem:

In bibliotheca Barberina Romæ, (v. Catal. hujus bibl. Romæ 1681, fol. tom. II, p. 464.)

Aldina 1502, cum notis et variis lect. MSS: quæ forte M. Ant. Pocchi sunt: transcriptæ eæ a multis in exemplaria alia.

In Catal. MSS Angl. et Hib. tom. II, inter libros MSS Eduardi Bernardi memorantur.

N. 7502. Catullus, Tibullus, Propert. 3, 4, 5, iidem, cum MSS collati.

In bibliotheca Bodleiana, cujus Catalogus impressorum editus Oxonii 1738, locupletior antiquiori ab Th. *Hyde* concinnato Oxon. 1674, ibi tom. I, p. 206.

Catullus, Tibullus, Propertius, editionis 1502, in-8°[1], 1515, in-8°; Lugd. 1545, in-8°; Venet. 1554, in-8°; omnes hi libri cum MSS collati. Lugdunensis 1558, cum MSS collata.

In bibliotheca Lugd. Batava inter Vossianam supellectilem; vide ejus Catal. p. 232, qui diligentius exponit, ac Catal. MSS Angl. et Hibern. p. 71.

Catullus, Tibullus, Propertius. Ald. 1502, collati cum MSS ab Is. Vossio.

Iidem: multa hisce adscripta sunt.

Iidem Antwerp. 1560; in-12, plurimum collati cum MSS a Jano Grutero[2].

Editio Paris. 1577, in-8°, multa adscripta ab Is. Casaubono.

Antwerp. 1582, multa sunt adscripta.

Commelin. 1600, passim collatus Propertius. Ceteri ab Is. Vossio conscripti.

Eadem, plena annott. MSS Is. Vossii.

Amst. 1619, aliqua cum MSS contulit Is. Vossius

Trajectina 1659, aliqua contulit Is. Vossius[3].

Accedant his editiones aliquot a viris doctis tum variantibus, tum emendationibus et observationibus conscriptæ, necdum ab Tibulli editoribus excussæ.

[1] Ea usus editor Cantabrigiensis, qui eam ita describit : Liber bibliothecæ Bodleianæ Oxoniensis continens Opera Catulli, Tibulli et Propertii, ex ædibus Aldi Ven. 1502, collatus cum MSS. In libri hujus principio apparet manu Nic. Heinsi scriptum : donum clarissimi viri Lucæ Holstenii; unde vero depromptæ sint lectiones, non indicatur. In principio quidem Catulli scriptum est : M. Ant. Pocchii. Pars Libri II, Propertii et totus tertius nullas habent collationes. Videtur esse idem liber, qui in bibliotheca Barberina fuit; ab Holstenio vero ad Heinsium et hinc in Bodleianam pervenisse. Variantes ex ea descriptus etiam Broukhusius habuit a Jo. Ulrico Meurero Oxonio missas. Idem editor Cantabr. librum alium ejusdam bibliothecæ usurpavit cum MSS collatum Octavii Ferrarii, ut videbatur, manu; ejus enim nomen in principio et fine libri conspiciebatur.

[2] Fuere forte illi MSS Palatini, et quorum duobus altero membranaceo, papyraceo altero variantes miserat Gruterus Gebhardo, quas huic per temporis angustias examinare non licuit.

[3] In bibliotheca Duc. Vinariensi. Catull. Tibull. Propert. cum manu Buchneri et Gasp. Barthii, apud *Villoison*, Epistolæ Vinariens. pag. 108.

In bibliotheca Regia Parisiis (v. *Catalogue des livres imprimés de la Biblioth. du roi, Belles-Lettres.* Paris 1750, tom. I, p. 287).

N. 779. Catullus, Tibullus, Propertius, edit. Brixienæ 1486, exemplar manu notatum.

N. 788. Mureti Veneta 1558, exemplar manu notatum.

N. 789. Mureti Veneta 1562, exemplar manu notatum.

N. 793. Ed. Antwerp. 1582, exemplar manu Tan. Fabri notatum.

In bibliotheca Laurentina Florentiæ teste Montefalc. in biblioth. MSS, tom. I, p. 309.

N. 24. Impr. papyr. conspicitur anni 1472 (quæ est editio princeps), cum emendationibus et glossis quibusdam, forte Politiani.

In bibliotheca Lugdunensi apud Batavos, vid. Catal. p. 333.

N. 200. Catullus, Tibullus, Propertius, cum commentariis Ant. Mureti Venet. 1558, qui liber fuit Ger. Falcoburgii 1564, qui testatur, notas et conjecturas in margine adscriptas esse fere omnes Lucæ Fruterii, quæ quidem sunt multæ.

Excussit jam ante Heynium easdem Nic. Heinsius; videmus enim in apparatu Heinsiano apud Broukhusium, p. 410. Excerpta e vetere codice Gerardi Falcoburgi memorata: quem hunc eundem esse arbitramur.

Asservatur etiam editio Parisina 1577, cum conjecturis Cl. Salmasii ad oram scriptis inter alios libros manu hujus viri notatos in bibliotheca Buhierii in suprema Burgundiæ curia præsidis; v. Abb. Papillonius in bibliotheca Auctorum Burgundiæ, gallice scripta Divione 1745, tom. II, p. 280.

In bibliotheca card. Valletæ Gryphianam editionem memorari vidi cum notis MSS Scioppii (v. *Neue Bücher-Saal V. Jahr.* p. 812).

In bibliotheca P. Francii fuit Catullus, Tibullus, Passeratii, edit. Paris. 1608, cum emendationibus MSS, v. Catalogum selectiss. libr. P. Francii Amst. 1705, in-8°, p. 148, et edit. Scalig. 1582, in-8°, cum infinitis notis MSS P. F. (P. Francii.)

Fuit etiam in Gudiana bibliotheca editio Catulli, Tib. Prop. manu viri docti emendatt. (Catal. p. 512, n. 51, 516, n. 101.)

Laudat Barthius notas suas in Tibullum in Comment. ad Stat. III, Theb. 276. Crusius in epistola ad Gesnerum, inserta Probab. Crit. p. 74, prope justos et perpetuos Tibulli commentarios spondere se posse profitebatur.

Editionem Mureti 1558, memorat quoque Heynius cum varia lectione in margine Jac. Tollii manu notata, an. 1674, M. decembri, ut in fronte præscriptum erat. Triplicis ea erat generis. Primo loco e Gerardi Falcoburgi Noviomagi codice transcripserat notas et conjecturas Lucæ Fruterii, quem Parisiis 22 martii 1566 obiisse subnotatum erat. Adscriptæ altero loco variæ lectiones editionis Regiensis 1481, vulgatæ jam sunt a Broukhusio. Tertio loco a Tollio subtexta videbatur varia lectio, quam ex editione vetustissima in-8°, biblioth. Lugd. se descripsisse ait, littera K signatam. Verum hæc nihil aliud continere videtur, quam ea, quæ Broukhusius inter Heinsianum apparatum sub littera V, ex exemplari scripto Scaligeri, recenti codice, in lucem edidit.

Ex editionibus quibus virorum doctorum notæ adscriptæ sunt, præter eas quas Heynius enumeret, hæ nobis innotuerunt.

In viri ill. *de Dietz* copiis apparatus criticus erat in Tibullum, editionesque Sentenianæ bibliothecæ, quibus Heinsii Brouckhusiique manu adscriptæ erant observationes et emendationes; iis Joh. H. Voss. in editione sua supra a nobis memorata usus est. Continent autem præter ea quæ sunt evulgata ab ipsis, nihil quidquam cujus sit aliquod pretium. Idem J. H. Voss. Gryphianam adhibuit editionem an. 1561, cum variis lectionibus ex cod. et vel. edit. Denique quæ tentata erant a Joh. Schradero, quæ a Burmanno majore, diligentius a Burmanno secundo scrutata ad textum rectius constituendum, iis usus est H. Vossius.

DE TIBULLI EDITIONIBUS[1].

EDITIONES SÆCULI XV.

I. *Pinelliana*, in-4°.

ALBII. TIBVLI. POETAE.
ILLVSTRIS. LIBER. PRIMVS. ET.
PRIMO. PRAEMIVM : QVOD. DIVITIIS :
ATQVE. MILICIA. SPRETIS. DELIAM.
AMET. ET. AMORI. VACARE.
PRORSVS. VELIT. INCIPIT. FOE.

In fine est Sapphus Epistola ad Phaonem, ex Ovidio, cui hoc distichon accedit :

Illa furens Phaoni quam scripsit epistola Sappho
Explicit : ex græco transtulit Ovidius.

« Omnium editionum, in quibus Tibullus seorsum a Catullo et Propertio prodiit, quatenus equidem constat, hæc prima videtur, eademque summæ raritatis, neque minoris pulchritudinis est. Desunt in ea numeri, signaturæ et custodes : paginæ singulæ carmina quatuor et viginti ut plurimum continent. Character Romanus ac perelegans est, planeque idem, quo Florentius *de Argentina* Orationem Jacobi Romani pro populo Brixiensi ad Nicolaum Tronum Ducem Venetiarum an. 1472, impressit, ac Sexti quoque Rufi Breviarium Historiæ Romanæ, Joannis de *Sacrobusco* Sphæram, Augustini Dati Elegantiolas Latini Sermonis et Ovidium de Arte

[1] Huschkium hic ad verbum fere secuti, Heynium, quod ad sæculi XVII editiones pertinet, comitem nacti sumus; et ubi ipse Heynius nos dereliquit, propriis viribus confisi, ad hanc usque diem catalogum perduximus.

amandi, carmine Italico redditum, sine ulla temporis et loci nota edidit.—Ubinam vero Florentius hic Argentinensis typographiam exercuerit, lubens ego cognoscerem; licet Venetiis vel saltem intra Venetam ditionem exercuisse omnino putem. »

Bibliotheca Maphæi Pinelli Veneti magno jam studio collecta a Jacobo Morellio bibl. Venetæ D. Marci Custode descripta et annotationibus illustrata, tom. II, p. 383, n. 5051.

Titulus accurate ad archetypum expressus est a Morellio in Epistola ad Antonium Comitem *Bartolini*, p. 4, ubi, quæ de hac editione in Catalogo latine scripsit, Italicis verbis iterantur. Memoratur ea a Panzero, tom. IV, p. 6, n. 22. In quanam bibliotheca hoc Pinellianum exemplum hodieque lateat, quamvis scire curaverim, tamen adhuc ignoro. Quare rogandus nunc est publice, quisquis est, possessor, ut hanc editionem diligenter excutiat, studiique sui fructum, communium litterarum causa, nobiscum communicet.

II. *Bartoliniana*, in-4°.

Albivs Tibvllvs Eques Ro × P ×
Iuitias alius fuluo sibi cogerat auro
Et teneat culti jugera magna soli ×

De hac editione agit Morellius eamque ibi ita fere describit: Carmina in tres libros, litteris majusculis indicatos, distributa sunt; quartus non est separatus a tertio nisi hac inscriptione, Ad Messallam. Singulis Elegiis, nec tamen omnibus, præpositum est breve elogium, earumque litteræ initiales, si forte reperiantur, formæ sunt minusculæ. Character litterarum est rotundus, sed paulo rudior et grandior, quam in aliis hujus ævi exemplis, ita ut pagina quæque ad summum versus 24 exhibeat. Versus, ut in primis Chalcographiæ rudimentis, inæquales. Singulare hoc est, nullum aliud interpunctionis signum inesse, nisi parvulam litteram X, nunc pro majore, nunc pro minore στιγμῇ adhibitam, quod alibi vidisse non meminerat Morellius. (Est ita etiam in editione Regiensi, quæ nullo nec commate nec punctis interstincta est, sed eorum loco ubique hæc signa + et ⸸ babet.) Charta notata est littera B. circulo

inclusa. Hæc nota invenitur in libris, a Thoma Ferrando, typographo Brixiano, impressis, v. c. in Propertio sine anni indicio. *Panzer*, tom. IV, p. 263, n. 147. Num igitur Tibullus etiam e prelo Ferrandino exiit? non est probabile. Nam character, in quadam similitudine, tamen est dissimilis, nec conveuit scripturæ genus, v. c. diphthongi *ae* et *oe* separatæ sunt in Propertio, conjunctæ in Tibullo.

Hæc editio, quod in primis animadvertendum est, nullum prorsus in fine additamentum habet, nec Marsi epigramma, nec Vitam Tibulli, nec aliam subscriptionem; qua nota distinguitur ab omnibus, quæ noverim Sæculi XV exemplis. Absunt quidem epigramma et Vita etiam ab exemplo Pinelliano. At hoc tamen habet eo loco carmen Ovidianum et, quod supra posui, distichon recens. Ergo hæc plane diversa sunt exemplaria, e diversis procul dubio libris profecta, nec ullo modo credibile est, nullam in iis reperiri lectionis diversitatem.

III. *Editio* an. 1472, in-4° min.

ALBII TIBVLLI EQUIT RO. POE-
taeq; Clarissimi Liber Aelegia4 Primus Icipit

Ad finem hujus editionis Epitaphium Tibulli (auctore Domitio Marso) legitur ita:

E quoq: uirgilio comitē nō aequa tibulle
Mors iuuenē capos misit I elisios
Ne foret aut elegis molles q fleret amores
Aut caneret forti tristia bella pede.

Accedit breve Poetæ elogium, ut scribit Panzerus, tom. IV, p. 8, id est, Vita Tibulli. *Char. lat. sine sign. cust. et pagg. num.* Adde etiam, sine loci nota et anni, qui subjectus est Propertio. Hanc editionem primus omnium accurate descripsit et a Veneta princ. an. 1472, de qua deinceps agetur, distinguendam esse vidit Audiffredus in Catal. historico critic. Rom. edd. Sæculi XV, p. 440, quem sequitur Morellius in Epistola, p. 5, non sequitur Heynius, p. 45, ed. III. Hanc, rogatu Huschkii, cum Ald. an. 1502, contulit Gregorius Zalycus Thessalonicensis ad exemplum Parisiense, in quo,

sicut in Audiffrediano, Tibullo adjunctus est Propertius cum hac libri primi inscriptione :

SEXTI. AVRELII. PROPERTII. NAV
TAE. VMBRI. INCIPIT. LIBER. AELE
giaꝝ uel monobiblos Ad tullum

In cujus fine hæc adjecta est subscriptio :

SEXTI. PROPERTII. NAVTE : AVRE
LII : POETE, INLVSTRISSIMI : LIBER
EXPLICIT. SVB. ANNO. DOMINI. M.
CCCC,,LXXII. MENSIS. FEBRVARII :

E qua subscriptione apparet, hanc esse editionem illam, cujus exemplum in bibliotheca domestica servabat Vulpius, scribens de Vita Tibulli, p. 20. « Sed in editione omnium principe anni 1472, mensis februarii, quam Brouckhusius ignoravit, ego vero domi servo, in calce poematum Tibulli hæc leguntur : Albius, etc. — In hac editione Propertius etiam primum typis excusus est. » Paulo frequentior est hæc editio superioribus illis. Romæ, nisi fallor, duo exempla reperiuntur, alterum in Casanatensi bibliotheca, alterum in Corsiniana. Vide Catal. biblioth. Nic. Rossii, p. 71 ubi memoratur : *Tibullus* et *Propertius* 1472, in-4°. Tibullus sine Propertio exstabat, quod supra vidimus, in bibliotheca Veneta : Propertius sine Tibullo bis in Pinelliana, n. 4920 et 4921. Berolini quoque exemplar adesse testatur Huschkius in præfatione. Nusquam commemoratur *Catullus* vel Tibullo vel Propertio vel utrique comes datus. At exstat tamen Catullus sine anni et loci nota Cantabrigiæ in Anglia. Testis est Scipio Maffeius in Mus. Veron. p. 205, ubi, agens de Catulli loco suspecto Carm. LXVI (67), 33-34 : *Flavus quam molli percurrit flumine* Mello, *Brixia, Veronæ mater amata meæ :* « quanto, inquit, minus hæsitandum ob inconditum elegiæ illius distichon, quæ corruptissima est, ac propterea in pluribus codicibus, ut in Vaticanis tribus, minime comparet, nec in editione sine anno et loco, quam in Cantabrigensi Academia vidi, et omnium primam judicavi. » Huschkius hæc Maffei verba referens addit : Quamnam hanc editionem esse dicam, et unde domo? Certe non est Veneta princeps an. 1472. In hac enim, ut in reliquis, elegia illa exstat. Igitur affirmare audeo, servari Cantabrigiæ Catullum, diu frustra quæsitum, ad editionem Audiffre-

dianam pertinentem. Quod confirmare etiam possum argumento probabili. Nam Marklandus, criticus Cantabrigiensis, ad Propertii IV, 1, 79.

Me creat Archytæ soboles Babylonius *Horos:*

Ita scribit apud Burmannum: « Diu est quod vidi legendum esse, *Horon*, ex sensu. *Horos* babylonius creavit me *Horon*, id est, *filium suum*, et ejusdem nominis; sum *Horos ab Horo*, confirmat codex d'Orvilli, et prima ed. an. 1472. » Rursus non intelligenda est Veneta princeps an. 1472. Hæc enim habet *Orops*. At intelligenda est editio Propertii, an. 1472, de qua quum maxime agimus, cui in exemplis Audiffrediano et Parisiensi adjunctus est Tibullus. Hæc enim habet *Horon*. Ergo Cantabrigiæ exemplum, quod quærimus, exstare videtur, si non integrum Catulli, Tibulli et Propertii, at tamen Catulli et Propertii, quorum alterum comparavit Maffeius, alterum Marklandus. Nisi forte Marklandus Propertium hujus anni aliunde acceptum habuit. Certe etiam in bibliotheca Askewiana (Lond. 1775), laudantur: Tibulli et Propertii Opera, 1472, in-4°, quod exemplar translatum est post mortem Antonii Askewii in Bibliothecam Museii Britannici. Sed de hac re viderint Philologi Cantabrigienses. Habuit Catullum sine loco et anno *Martyni-Laguna* (A. LZ. an. 1790, p. 650), sed majoris, non minoris formæ, fortasse Parmensem, an. 1473.

IV. *Editio* an. 1472, in-4°. maj.

Val. Catulli Veronensis Poetæ Cl. Lib. Albii Tibulli. eq. Ro. Poetæ Cl. Libri (IV). Propertii Umbri Meuani elegiographi Libri (IV). P. Papinii Statii Surculi Syluarum Libri (V).

In extrema pagina poetæ, qui hoc volumine continentur, diverso ordine recensentur:

Tabula librorum qui sunt in presenti uolumine.

Albius Tibullus elegiae Scriptor optimus.
Aurelius Propertius Beuanus.
Clarissimi poete Catulli Veronēsis Epigrāma.
Pub. Papinius. Statius Syluarum.
M.CCCC.LXXII.

Hæc enim est editio illa, cujus collatio, Parisiis facta, debetur Bardilio, viro eruditissimo. Confusa est ab Heynio cum iis, quas

adhuc recensuimus, et posita in fronte editionum omnium, ab Huschkio ipso *princeps* dicta et *major*, quia re vera majoris moduli est, quam illæ, nec tamen, quod quidam tradiderunt litteratores, maximi, sed, prout margines latiores a glutinatore plus minusve accisi sunt, nunc ab hac specie propius abest, nunc ab illa. Jam quum hæc editio nullam nec loci nec officinæ notam subscriptam habeat, factum est, ut viri docti de patria et auctore operis dissentirent. Ac primum quidem Lairius in Specim. Historic. Typogr. Rom. P. II, p. 186, excusam eam esse opinabatur ab Ulrico Hanio; sed, refutatus ab Audiffredo, postea in Ind. Libror. ab inventa typograph. ad an. 1500, P. I, p. 289, e Nicolai *Jenson*, typographi Veneti, officina prodiisse statuebat. Hodie omnes accedere video Audiffredi sententiæ, qui hanc editionem in Veneta quidem, sed Vindelini Spirensis officina expressam esse proposuit in Catalog. histor. critic. Romanarum edd. Sæculi XV, p. 123. Quæ conjectura haud parum eo confirmatur, quod teste eodem, summa inter hanc et Martialis, a Vindelino *de Spira* curatam, editionem intercedit non typorum modo, sed chartæ etiam similitudo.

Hujus editionis illud exemplar, quod, teste Bernardo de *Montfaucon*, t. I, p. 309, n. 24, Florentiæ in bibliotheca Laurentiana exstare Heynius scribit, postea in bibliothecam ejusdem urbis Magliabechianam translatum esse, patet e Ferd. Fossii Catalogo codicum Sæc. XV, etc. t. I, p. 496. Fuisse autem olim Angeli Politiani, ejusque manu ad marginem Catulli, Tibulli et Propertii scriptas habere annotationes, contra Montefalconium, de hac re dubitantem, comprobare studebat Bandinius in Catalogo Codd. Latt. Biblioth. Medic. Laurent. t. II, p. 96, seq. ex hac Catullo præposita notatione : *Angeli Politiani et amicorum;* quæ inferiore loco græce repetitur sic: Ἀγγέλου κτῆμα τοῦ Πολιτιανοῦ καὶ τῶν φίλων. Et ad calcem Propertii leguntur hæc : « Catulli, Tibulli, Propertiique libellos cœpi ego Angelus Politianus jam inde a pueritia tractare et pro ætatis ejus judicio vel corrigere vel interpretari; quo fit, ut multa ex eis ne ipse quidem satis, ut nunc est, probem. Qui leges, ne, quæso, vel ingenii vel doctrinæ vel diligentiæ nostræ hinc tibi conjecturam aut judicium facito. Permulta enim infuerint (ut Plautino utar verbo)

Me quoque, qui scripsi, judice digna lini.

Anno MCCCCLXXV. »

« Propertium cum vetusto Codice contulimus : sed quæ de illo nobis sumpsimus haud adscripsimus huic Codici, sed in libello retulimus, qui est inscriptus : *Antiquarum emendationum.* »

Alia hujus editionis exempla alibi reperiuntur, unum Argentorati, cui item adscripta sunt Scholia ad marginem et inter versus : duo, quod sciam, in Germania, alterum Vindobonæ, teste *Haschka* in Epistola ad Ahlwardtum, alterum Vimariæ, teste Handio in procemio Silvarum Statii, p. 29. Fuit etiam unum in bibliotheca Ludov. Joan. *Gaignat*, laudatum in Catalogo [1], t. I, p. 411, n. 1598, sic :

Catulli, Tibulli et Propertii Opera, nec non P. Papinii Statii Sylvæ. Editio primaria anni 1472 (characteribus Vindelini Spirensis excusa), parv. in-folio.

De exemplo Musei Britannici et biblioth. Askew. quod Heynius laudat, non liquet. Vide, quæ supra diximus ad n. III. Exstant exemplaria, a quibus abest Statius, cujusmodi unum Bardilius vidit in biblioth. Reg. Parisiensi. Etiam in catalogo biblioth. Nicol. Rossii citatur, p. 64. « Catullus, Tibullus et Propertius, in-4° sine loco et anno, imperf. » Nunc in bibliotheca Corsiniana, in quam post mortem Rossii cum reliquis ejus libris omnibus, anno 1785, pervenit. Conf. Catalog., p. 8. Est hæc procul dubio editio decurtata an. 1472, quam vel prorsus omittere, vel accuratius designare debebat Panzerus, tom. IV, p. 107, n. 298, adscribens libro ex fide illius Catalogi, *fol.* et provocans ad Maittarii Annal. Typograph., tom. I, p. 752, ubi solus Catullus in-fol., laudatur. Vide, quæ tradidit *Martyni-Laguna* loco supra citato ad n. III.

Jam satis nobis illustrasse videmur locum Heynii *de Tibulli Codd. et Edd.* p. 44, scribentis : « Est hæc *editio princeps*, Broukhusio nondum visa, sed Vulpio primum cognita. » Atqui Vulpius etiam non hanc vidit, sed illam, quam num. III, recensuimus « In ea Propertius primum excusus est. » Tantum abest, ut hoc probari possit, ut veri longe sit similius, editionem illam num. III, quæ primo statim ineuntis anni 1472, tempore prodiit, antecessisse Venetam

[1] Supplément à la Bibliographie instructive, ou Catalogue des Livres du cabinet de feu M. Louis Jean *Gaignat*, disposé et mis en ordre par Guill. François *de Bure*. *Paris*, 1769. II tom. in-8°.

majorem. « Pinelli exemplar Catalog. tom. II, p. 367, n. 4920, solum Propertium, Audiffredi Catullum, Tibullum, Propertium complectebatur. » Nempe Pinellianum exemplar pertinet ad n. III. Audiffredianum ad n. IV. « At Harles. Notitia Litt. Rom., p. 35 (an. 1789), hujus edit. exemplum se habere professus, Catullum, Tibullum et Propertium laudat; in fine tamen Propertii adscriptum memorat annum 1475. » Non poterat aliter scribere Harlesius, in manibus habens editionem non anni 1472, sed anni 1475, in qua hic numerus subscriptus est Propertio.

Ad hanc editionem priusquam progrediamur, prius dicenda quædam sunt de Tibullo, an. 1474, in-fol. quem interponit Index Bipontinus. Hujus indicis auctori nescio an fucum fecerit Broukhusius, laudans ejusdem anni Propertium in præfatione et alibi. Ac Propertius quidem, an. 1474, numquam exstitit. Hic nobis commode in manus incidunt schedulæ Santenii sub titulo: *Collectanea ad editionem Propertii parandam*, quibus hoc argumentum breviter sed docte pertractatur: « Editionem, ait, an. 1474, memorat Broukhusius in præf. p. 5, cujus collationem miserat Almeloveenius, sed ejus anni nulla memoratur. In catalogo autem bibliothecæ Almeloveenianæ occurrit editio, an. 1475, ut hanc cum illa confusam fuisse opiner. Broukhusius existimasse videtur, Editionem, an. 1474, fuisse Principem; ait enim, p. 5 præf. « Symbolæ quoque non nihil contulit vir Clarissimus Theod. Jansonius ab Almeloveen., facta collatione editionis principis cum ea quam illustris Scaliger procuravit. Sæpenumero...... mihi profuit vetus editio Veneta, an. 1475, quam re ipsa comperi, nihilo esse inferiorem manuscriptis. Hanc anno uno antecessit illa, qua usus est Almeloveenius. » Hinc Broukhusius Fabricio erroris ansam dedisse videtur, imo ipse Broukhusius hanc an. 1474, diserte Principem vocat ad I, II, 2. Lectio *choa*, quam laudat ibi I. Broukhusius, est revera ex ed. 1472. Alias Variantes ex ed. 1472, aut ex illa an. 1474, excitatas nondum inveni.

Maittarius etiam anni 1474, editionem laudat loco et impressore non nominato ex Fabricio.

Ergo Santenius primum eo inclinabat, ut putaret exemplar illud Almeloveenii fuisse editionem, an. 1475, repertam in ejus catalogo. Mox intelligens, hujus editionis lectionem, I, II, 2, non con-

venire lectioni illius, rectius colligebat, hæc diversa esse exemplaria. Quumque lectionem tributam editioni an. 1474, reperisset in editione an. 1472, non dubitabat, hanc illi substituere. Hactenus recte; sed ita nondum intelligitur, ad utram editionem an. 1472, pertinuerit illud Almeloveenii exemplum, ad majorem an ad minorem. Nam utraque I, II, 2, habet *choa* : ed. 1475, *cea*. At res apparet ex altero Propertii loco IV, VIII, 4.

Hic ubi *tam raræ* non perit hora moræ.

Ubi iterum Broukhusius scribit : « profecto poteramus esse contenti lectione veterum membranarum, *hic ubi tam raræ*, quam et Veneta editio servavit, et illa quæ Venetam anno uno præcesserat. » Quo loco ed. min. an. 1472, num. III, habet : *hic tibi tartareæ*. Ex quo apparet, Almeloveenii exemplum non pertinuisse ad hanc editionem. At enim ed. major an. 1472, sicut Veneta editio an. 1475, exhibet, *hic ubi tam raræ*. Ergo Almeloveenii exemplum ad editionem an. 1472, num. IV, pertinuerit necesse est : nisi revera exstitit Propertius anno 1474. Sed hic a nemine memoratur, nisi a Maittario, tom. I, p. 1, pag. 336, decepto a Fabricio, Bibl. Lat. tom. I, cap. XIV, p. 259, ed. Hamb. V, quem vicissim delusit Broukhusius. Propertius igitur ex anno 1474, abire jussus, secum, nisi fallor, auferet Tibullum Bipontinum, atque adeo Catullum Santenianum ex ed. Rom. an. 1474, quæ passim citatur ad Elegiam a Laurentio seorsum editam, v. c. ad v. 75. *Huschkius* in hac re consentientem habet doctissimum virum, *Vanpraet*, Parisiensem, magnum opus de editionibus sæc. XV, parantem et confirmantem, teste Bardilio exemplaria illa Catulli, Tibulli, Propertii, an. 1474, numquam exstitisse.

V. *Editio Veneta*, an. 1475, in-fol.

Catulli Veronensis Epigrammaton Libellus. Albii Tibulli. eq. Rom. Poetæ. Cl. Libri (IV). Propertii Aurelii nautae poetae clarissimi Elegiaꝝ Libri (IV). P. Papinii Statii Surculi Siluarum Libri (V).

Ad calcem Propertii legitur :

Propertii Aurelii naute poetae finis, 1475. Catulli, Tibulli,

Proptii et liber Silvaꝶ Statii papinii ī isto uolumine cōtinēt. Et ĩpressi sūt opere et impensa Iohannis *de colonia* et Iohannis *manthē de ghersem* qui una Veneciis fideliter Viuunt.

Hanc editionem primus omnium contulit Nic. Heinsius ad Aldinam, an. 1515, cui insunt excerpta Perrei, sub littera G. Acceperat utendam ab Hadr. Wallio. In margine manus viri docti passim varias lectiones adscripserat. Et collatione Heinsiana et editione ipsa usus est Jan. Broukhusius. Fuit etiam in apparatu Petri Burmanni secundi. Nescio an ad hoc Burmannianum exemplum pertineat proprie, quod Santenius privatim notavit : « In ed. 1475, signaturæ in Statio desinunt in *m*, et in Ovidii Sapphone incipiunt in A. Ab Ovidio autem ad Propertium continuantur per B. » Abesse a nonnullis exemplaribus Statium Panzerus etiam monuit, t. III, p. 108, n. 189. Integrum habuit Harlesius, cujus exempli oræ a Cortio adscriptas esse in Tibullo lectiones varias cod. MS Guelferbytani, n. 63, 5 [1], et paucas emendationes ad Statii Silvas, scribit in Brev. Notit. Litterat. Rom. an. 1789, p. 36. Scatere hanc editionem mendis typographicis queritur Denisius, agens de exemplo bibliothecæ Garelliæ, quæ an. 1784, Vindobona Lembergam translata fuit [2]. Convenit quidem huic editioni compluribus locis cum Venet., an. 1472. Sed valde errat Heynius, scribens, illam ex hac *descriptam* esse, pag. XLV, ed. III, quod vel prima statim libri I elegia confutat. Nam v. 20. Venet. an. 1472, habet, *munera vestra*, Venet. an. 1475, *munera nostra*, notante Heinsio ad Ald. an. 1515. Ibid. v. 71, illa habet *nec amare decebit*, Venet. an. 1475, *nec amare licebit*. Porro, eleg. II, v. 35. Venet. an. 1472, exhibet *seu, fœmina fiet*, Venet., an. 1575, *fiat*. Ibid. v. 67, illa habet *quem posset habere*, hæc, *quom posset habere*. Elegia III, 1, prior habet *Messala*, posterior *Messalla;* v. 4, illa, *mors modo nigra*, hæc, *mors precor atra*, v. 13, *tamen est deterrita nunquam... tamen est deterrita nusquam*. Ibid. v. 18, Venet. an. 1472. *Saturni sacram.* — Venet. an. 1475. *Saturni* aut

[1] Est ille primus inter Guelferbytanos quos supra descripsimus.

[2] Memorabilia Biblioth. Garell. p. 52, n. 14. Ab hoc exemplari aberat Statius. Conf. *Catalogue des Livres de la bibliothèque de feu M. le duc de la Vallière*, tom. II, p. 1, pag. 75, n. 2422; et biblioth. Pinelli, tom. II, p. 313; n 4496.

sacram me tenuisse diem. Hæc, credo, sufficient ad confutandum Heynii errorem, fortasse etiam Handii, qui in procemio Silvarum Statii, p. xxx, ne desiderat quidem magnopere ed. Venet. an. 1475, quum ex collatione Catulli, quam habet, cognovisset, eam *fere* totam cum Veneta prima convenire.

VI. *Editio Romana*, an. 1475, in-4° min.

Albii Tibulli Elegiae.

In fine :

Presens opus Tibulli albici imprimi fecit G. Tibullus [1], de amidanis de Cremona Rome Anno Iubilei et a natiuitate domini MCCCCLXXV, die mercurii XVIII, mensis Iulii Sedente clementissimo Sixto papa Quarto Anno ejus felici Quarto.

Accedit :

Albii Tibulli Vita cum Commentario in ejusdem Elegias auctore Bernardino Cillenio Veronensi.

Præit, etiam in edd. Venett. cum commento Cyllenii, auctoris elegia ad Baptistam Ursinum ærarii Pontificii custodem et Urbis gymnasii vicerectorem bene meritum. In fine commentarii eadem verba, quæ Tibullo subjecta sunt, repetuntur, nisi quod, Sixto papa Quarto Anno ejus felici Quito, legitur, minus recte, monente Heynio, qui hanc editionem primus omnium et adhuc solus comparavit, scribens ita : « Nulli adhuc superiorum editorum Tibulli, nec ipsi Maittario [2], hæc editio innotuisse videtur. Nobis eam videre contigit in bibliotheca Dresdensi electorali. Exstat etiam

[1] Erat id nomen illo tempore non infrequens. Apud Montefalc. Bibl. MSS. p. 106, inter Vaticanos, n. 2794, referuntur epistolæ tres Tibulli 1, ad Jo. Avenionensem, 2, ad Ge. Trapezuntium, 3, ad Porcellum. Heyn. Alii Georgium Tibullum e numero typographorum eximendum, eique substituendum esse censent Georgium Lauerum (*Laur*) Germanum, qui Romæ inde ab an. 1470, usque ad an. 1481, artem typographicam exercuit, iisdem fere typis usus, quibus expressus est Tibullus. Vid. Audiffredi Catal. Histor. Critic. Roman. Edd. sæc. XV, p. 178, et p. 473.

[2] Maittarius Annal. Typograph. t. I, p. I, p. 348, commentarium sine textu memorat. Tale exemplum exstat etiam Romæ in bibliotheca Casanatensi. Audiffred. p. 178.

in bibliotheca Regia Parisina, n. 976. Nota quoque fuit Barthio. .....Nonnullæ in ea a vulgata diversitates, inprimis in libro IV, erant : vitia vero scripturæ eadem, quæ in scriptis occurrunt. Poterat tamen in plerisque cum Italicis Heinsii, imprimis Colotiano, convenire videri. Primum in hac editione Cyllenii commentarii vulgati fuere, non in Veneta 1493, ut olim Fabricius tradebat. (Bibl. Lat. t. I, p. 91, ed. Ernest.) Neque tamen is ipse editionem adornasse videtur, vel verba Tibulli castigasse : ipsius enim lectio perpetuo ab ea abit, quæ in textu servatur. Doctrinam vero illius viri et ingenium tum in interpretatione, tum in critica, si tempora, in quibus vixit, consideres, satis admirari non possis; unde Barthius ad Statii Theb. IV, 445, de eo loquens : « cujus sane labor multis locis illustrat clarius optimum poetam, quam ex ejus ævo sperari poterat. » Edidit enim sua commentaria Romæ 1475[1], etc. Laudat eum passim etiam Broukhusius. Conf. Memorab. bibl. reg. Dresd. t. I, p. 421, ubi de Cyllenio nonnulla docte disputantur. » Hæc ait Heynius. Sane dolendum est, non perfecisse Bernardinum Cyllenium vel Cillenium, quod ad calcem commentarii professus est his verbis : Hactenus ex ingenio nostro Tibulli elegias enodavimus, prosecuturi lucubrationes cœptas in Propertium et longas in Catullum peregrinationes, si ex his labores nostri probabuntur.

Hæc Romana editio classica dici haberique debet, in universa lectione discrepans a superioribus, sed familiam ducens in exemplis sæculi XV reliquis, Venetis quidem, quibus additus est commentarius Cyllenii, omnibus ab an. 1485, vel 1487, usque ad an. 1500–1520, quæ tamen paullatim magis magisque, interveniente præsertim Avantio, ab illa discesserunt. Discrepat ea sæpenumero a Venet. an. 1472, ut I, 1, 54, ubi *hostiles* habet cum edit. min. an. 1472. Bartolin. et Venet. an. 1475, pro *exiles*. Rursus ibid. v. 57, exhibet, *Non ego laudari* cupio pro *curo*, quod inest

[1] Hunc Barthii locum laudat Saxius in Onom. Litter. P. II, p. 476, et tamen scribit ipse : « Bernardinus Cyllenius, Veronensis, aliis nude Bernardinus Veronensis, Philologus, hoc anno 1475, primus Tibullum cum Commentario edidit Venetiis. » Nec Tibullum edidit Cyllenius, nec Commentarius prodiit anno Venetiis, sed Romæ, monente hoc etiam, quem Saxius citat, Camusato in Observatt. ad Ciaconii Biblioth., p. 396.

etiam Venet. an. 1475, notante Heinsio ad Ald. an. 1515, in qua est *cupio*, sicut in Ald. an. 1502. Porro, I, III, 58.

Ipsa Venus campos ducet *ad* Elysios.

At habet ea etiam lectiones proprias, in secundarias editiones plane non illatas, v. c. I, I, 34.

Parcite, de magno *est* præda *tenenda* grege.

Ubi Venet. an. 1487, præivit statim *petenda*, servata tamen verborum structura, *de magno* est... *grege*, cujus ab hoc tempore tenacissimæ sunt editiones, excepta Vicentina, omnes, etiam Plant. an. 1560, Gryph. an. 1561, Grasser. an. 1607. Mutavit structuram iterum Broukhusius, sequente Vulpio (an. 1749), obnitente Heynio. Menda, quæ exemplo tam antiquo inesse nemo mirabitur, statim emendata sunt in Venetis, v. c. I, I, 37, ubi a Romana abest præpositio *e* in verbis *Adsitis divi : neu vos e paupere mensa*, quod additum est in Venetis et Ald. an 1502. Nam Ald. an. 1515, habet, *nec vos e paupere mensa*. Corrigendum igitur, quod scripsi in Analectis : Aldd. *Adsitis... neu vos e*. Scribere enim debebam, Ald. an. 1502, *neu vos e*. Ald. an. 1515, Muretus, Statius et Scaliger, *nec vos e*. Digna est editio Romana, quæ denuo excutiatur et diligentius. »

Hæc fatus subjicit Huschkius :

Huic editioni subjungi solet ex fide Catalogi Biblioth. Broukhusianæ :

Tibullus, Propertius, Catullus. Mediol. 1480, in-fol.

Laudatur a Maittario, t. I, p. II, p. 776, et a Saxio in Catalogo Librorum, qui Mediolani editi fuere ab an. 1465, usque ad an. 1500, chronologica serie digesto, qui exstat in Philippi Argelati Bononiensis Biblioth. Scriptor. Mediolanenss., tom. I, p. I, pag. 573. Contra ea Heynius : de editione Mediolanensi, 1480, quam jactant, nondum aliquid exploratum quod sit constat. Est quoque suspecta Panzero, tom. II, p. 40, n. 174. Non suspecta est Santenio Bibl. Crit. t. I, p. III, p. 58, qui tamen numquam viderat.

VII. *Editio Regiensis*, an. 1481, in-fol.

Tibullus. Catullus. Propertius.

In fine operis :

Propertii Aurelii naute poetae finis.

Clarissimoꝝ poetaꝝ Tibulli : Catulli :
& Propꝯtii : ꝯeorꝝ uita opꝯa Regii lepidi
accuratissīe īpꝯssa : Auctoribꝯ Prospꝯo odo-
ardo & Alberto mazali regiēsibꝯ : Anno
Sa. 1481. 19. Klꝯ. octo. D. H. est d. Sꝯo. [1].

Hæc editio princeps habebatur a Gerard. Joanne Vossio, qui in Aristarcho II, p. 392, n. 2, t. II, p. 87, ed. Amstel. de loco Catulliano, I, 8–10, disputans : *Rectum*, inquit, *est* patrona, prout habent edd. vett. etiam prima omnium, quæ Regii Lepidi prodiit anno MCCCCLXXXI. Panzerus, t. II, p. 392, n. 2, eandem *quartam* dicit ex Veneta, 1475, *expressam*. Hoc verum est. Delati enim tandem sumus ad editionem, ex altera pæne ad verbum expressam, certe in Tibullo, diverso tamen ordine poetas illos exhibentem, et Statii Silvis destitutam. Habet Regiensis, sicut Venet. an. 1475, vitas trium poetarum, auctore Hieronimo Alexandrino; in fine Tibulli Summam Vitæ, e codd. descriptam, epitaphium : *Te quoque Virgilio*, etc. Elegiam Ovidii : *Memnona si mater...* ante Catullum, Hextichum Guarini Veronensis Oratoris Clarissimi in bellum (sic) Valerii Catulli ejus concivis : *Ad patriam venio....* et in omni lectione, quam notavit Huschkius ad Venetam, an. 1475, cum hac convenit, etiam in locis, quibus id monere oblitus est Heinsius ad Ald. an. 1515, v. c. *munera nostra*, v. 20.

[1] Sic extrema hæc verba descripsisse J. *Klindvorth* e Catalogis in bibliotheca Gottingensi repositis, excerpta, ait Huschkius subjiciens : « nisi fallor, e Ferd. Fossii Catal. Codd. Sæc. XV, impressorum, etc., t. II, p. 701. Panzerus, t. II, p. 392, n. 2, habet : D. H. Est. D. L. Ab exemplo Lipsiensi, quo nunc utor, abest ultima plagula. De duobus punctis vide, quæ supra monui ad n. II. Nusquam ea animadverti in hac editione. Titulus : Albii Tibulli † eq † † Ro † Poetae † Cl † liber primus q † sp̄tis diuitiis et militia Deliū amet et amori seruiat. » Huschk.

Hæc editio diligenter post Heinsium ab Huschkio excussa est. Variantes, Antonii Clementii studio excerptas, a Jacobo Gallæo acceperat Broukhusius, editor Cantabrigiensis a Dennisono, qui eam comparaverat cum editione Raphelengiana. Habuit quoque in manibus Heynius. In exempli Berolinensis, quo Huschkius aliquamdiu una cum Lipsiensi usus est, schedula præfixa Joann. Anton. Verdanus Mediolanensis, olim bibliothecæ Jacobi Superantii, Senatoris Veneti, præfectus hæc notavit: « Notæ perpetuæ, quibus hic Liber illustratur, exaratæ fuerunt ipsa *Alexandri Synclitici* manu. Fuit autem is nobilis Cretensis et Juris in Patavina Academia interpres summus, celeberrimi Jacobi Cujacii discipulus atque æmulus. Vidimus Anthologiam sive Florilegium diversorum Epigrammatum, Græcis Aldi characteribus anno MDIII. Venetiis editum, eodem calamo *Synclitici*, similibusque annotationibus insignitum et ex ejus libri collatione certam annotatoris manum in hoc nostro deprehendimus. »

Jo. A. Verdanus.

Eadem verba præscripta erant exemplo Pinelliano, teste Morellio, tom. II, p. 314, n. 4498. Ex quo intelligitur, hoc idem ære suo sibi comparasse Santenium, inde venisse ad Diezium, eoque mortuo, in bibliothecam regiam Berolinensem esse illatum. Cæterum P. Burmannus Sec. exemplar habuit, quod sic describitur a Santenio in schedula privata: in editione ann. 1481, Reg. Lepidi annus impressionis subjectus est Propertio in calce.

VIII. *Editio Vicentina*, an. 1481, in-folio.

Catulli. Tibulli. *Propertii carmina* et *Statii Sylvæ.*
Tibulli inscriptio ita expressa est:

Albii Tibulli + eq. Ro + Poetae + Cl.

Ad calcem Statii: *P. Papinii Statii Sylvarum Liber Vltimus Explicit.* M.CCCCLXXXI. *Actum* Vincentiæ *per magistrum Jouan-nnem renensem et Dionysium Berthochum.* Sequitur tribus foliis impressum: *Carmen* Joannis Calphurnii *poetæ Clarissimi ad Joannē Inderbachiū Pontificē Tridetinū de laudibus ejus et de interitu Beati Simonis infantis a Judeis mactati.*

Huschkius ait:

Est hæc editio critica, a Jo. Calphurnio nobili conatu nec infelici

successu curata, eademque dignissima, quæ a me post Heynium denuo accuratissime excuteretur, experto, majus aliquid informasse animo Calphurnium, quam Cyllenium, qui numquam contextum emendatiorem edidit, quod perfecturum se fuisse in procemio scribit ille, nisi operarum negligentia obstitisset. Qua de re quædam tam prudenter monita illic reperiuntur, ut gratum me facturum harum rerum amantibus arbitrer, si potiora in hunc locum transcribam. Scribit autem. Jo. Calphurnius *Hermolao juris utriusque doctori peritissimo, Oratori facundissimo et philosopho eruditissimo* ita:

Homines ætatis nostræ, Hermolae facundissime, qui litterarum perquam studiosi sunt, mirifice lætari possunt, quod in immensam librorum copiam inciderint, qua et prisca ætas et ea, quæ nostram præcessit, caruerit; quæ quidem ex impressorum numero tantum crevit, ut jam necesse sit non bibliothecas totas, sed domos implere. Verum, ut inquit poeta ille clarissimus, *et urticæ proxima sæpe rosa est*, non potuit hoc divinum munus, ut in humanis accidere solet, ex omni parte esse perfectum. Huic enim unum deesse video, diligentem et accuratam librorum castigationem. Sine hac quicquid fit, frustra fieri necesse est. Nam et discentibus sensus obscurus, et doctis tædium minime tolerandum insurgit. Hinc et nausea quædam deponendi assiduam lectionem oboritur, quam nonnumquam pluribus delicatis et copia ipsa suggerit. Huic rei pulcherrime succurrant, qui possint, quique singulari facundia ac eruditione præditi sint. Huic tu succurre, etc. Cur autem hæc ad te scribam, paucis accipe. Superioribus diebus a quibusdam adolescentibus studiosis rogatus, ut Propertium aut, si nollem hunc, Papinii Sylvas lectione quotidiana interpretarer, ne desiderium eorum frustrarer, promisi me facturum, quod vellent. Quapropter quum percurrere cœpissem *id opus, quod Venetiis impressum est* quodque hos poetas clarissimos continet, *Catullum, Tibullum, Propertium* et *Sylvas*: tot mendis refertum esse deprendi, ut longe plura essent vitiosa et depravata, quam quæ emendata. Nullus certe sensus ex his elici poterat. Confestim conveni nonnullos impressores et eos cohortatus sum, ut iterum id opus imprimerent ea correctione, quam pollicitus sum. Possum igitur gloriari me *non id emendasse, sed fere totum exscripsisse*, ut quis deprendere poterit collato utroque exemplari. Statueram tamen nihil negotii cum impressoribus habere, quod et ipsi

ea, quæ emendata acceperunt, invertere et permutare soleant. Quare si qua prætermissa vel immutata inveneris, non mihi adscribito sed impressoribus. Nam plerumque, ut dixi, vel invertunt syllabas aut aliquas omittunt litteras vel addunt, quod relinquendum : sicut eo loco Catulli (XLVII, 2), *famesque mundi* ego *memi*[1]) emendaveram, utramque dictionem impresserunt. Et in eo carmine (LVI, 5.) *Deprendi modo* (*pupullum*) pupulum *puellæ...*, *pupulum* omiserunt. Et in eo versu (XLVI, 11.) *Diverse variæ viæ reportant*, *viæ* reliquerunt. Hæc tantum notasse contentus, ne quis me negligentem fuisse existimet in eo, quod ad communem litteratorum commoditatem editur. Hanc igitur placido vultu, ut soles, emendationem suscipe, etc.

Hic primum quæritur, quænam sit Veneta illa, quam se emendasse profitetur Calphurnius vel, ut alii scribunt, Calpurnius? Lectionibus inter se comparandis Huschkius demonstrat fuisse Venetam anni 1472.

IX. *Editio Veneta*, an. 1485, in-folio.

ALBII TIBULLI Equitis Romani Poetæ clarissimi Elegiarum libri cum comment. Bernardini Veronensis.

Præcedit hujus *Carmen ad Baptistam Ursinum* et *Vita Tibulli*. In fine alia *Poetæ Vita* et in ejus laudem carmina (sine dubio Marsi epigramma et duo illa disticha, quæ subjuncta sunt etiam Venett. an. 1487, 91, 93, et ed. Rom. descripta a me ad IV, 14, p. 675.)

Tum : Venetiis *Antonius Battibos Alexandrinus impressit anno salutis* M.CCCC.LXXXV, *quinto nonas Martias*.

Editio a nemine adhuc excussa, memorata a Denisio Supplem. Maittar. tom. I, pag. 205, a Morellio Bibl. Pinell. II, pag. 385, et Panzero III, p. 224, n. 887. Vide Heynium, p. 48, ponentem,

[1] *Memmi* omnium primus sive ex ingenio sive e libro quodam scripto reposuit Calphurnius. Edd. an. 1472 et 1475, cum Regiensi habent *mundi*. Illud statim adsumpsit Parthenius in Brix. an 1486, male tamen scribens *m^e mii*, ut est etiam in Venett 1491-93, vel *Memmii*, quod habent Ald. an. 1502, et Grasser. an. 1607. Rectius Ald. an. 1515. Plantin. an. 1560. Gryph. an. 1561. *Memmi* quod exhibet Cod. Paris. n 7989, a secunda manu, et e suo libro reposuit Scaliger.

quod probabile est, expressam eam esse ad ed. Rom. (1472) 1475, eamque recte substituentem *Cat. Tib. Propertio* cum comment. ant. Venetiis an. 1485, in-folio, quod opus memoratum a Maittario, tom. I, part. I, p. 469, pertinere suspicatur ad ed. Venet. 1475.

X. *Editio Brixiana*, an. 1486, in-folio.

TIBULLUS cum commentariis Bernardini Veronensis. *Propertius* cum brevibus commentariis Domitii Calderini. *Catullus* cum commentariis Parthenii.

In fine *Tibulli* : Brixiæ *impressum per Boninum* de Boninis de Ragusia anno salutis MCCCCLXXXVI, *die* XVIII *februarii*. In fine *Propertii*.... XVII *chalendas apriles*. In fine *Catulli*.... XI *kalend. maias*.

Hæc editio jam excussa fuit a Broukhusio. Convenit ejus lectio fere cum Romana, ut tantum non ex ea descripta videri possit. H. Ex hac Romana, non dicam, descriptæ, sed tamen profectæ sunt etiam Venetæ inde ab an. 1487. Apparet res e notabili hoc lectionis consensu, II, 4.

At tibi, quæ pretio victos *abducis* amantes
Eripiant positas ventus et ignis opes.

IV, VIII, 4.

Atque *Eretino* frigidus *amnis* agro.

At est etiam, ubi discrepent hæ edd. v. c. I, III, 14. Venett. 1487-93, et, nisi fallor, Rom. habent. *Quom flecteret.* Brix. *Cum fleret.* IV, XIII, 1. Rom. *nobis* : Venetæ omnes cum Brix. *titulis.*

XI. *Editio Veneta*, an. 1487, in-folio.

ALBII TIBULLI Carmina cum commentariis Bernardini Cyllenii. In fine : *Impressum* Venetiis *per magistrum Andream de palthascichis Catarēsem.* M.CCCC.LXXXVII *decimo octavo kal. januarias.* Sequitur *Catullus* cum Ant. Parthenii Lacisii commentariis sine anni et loci nota. Accessit *Propertius* cum comment. Ant. Volsci, an. 1488.

Accurate de hac editione agit Heynius. Quod vero addit : de Pro-

pertio, vid. Santen. præf. ad Propert. p. 13, qui sane non 1487, sed 1488, prodiit Tibullo tamen et Catullo comes : non animadvertit, Santenium ibi agere de Propertii editione sine commentario locoque et anno impressionis. Nempe, quod scribit Santenius in Collectaneis : « habuit Burmannus exemplar, in quo colligati sunt *Catullus* Brixiæ per Boninum 1486, *Tibullus* cum comment. Cyllenii per Andr. de Palthascichis Venet. 1487. Signaturæ desinunt in—f—, tum subjicitur *Propertius* signatura *h*, sine comment., sine loco et anno impressionis. Hanc editionem Propertii, credo, Burmannus vocat Venetam 1487. Est Vicentina 1481. » Recte. Est Vicentina. Sed quando Burmannus laudat Venetam (Beroaldi), ann. 1487, quæ numquam exstitit, intellige Venetam a 1491. Error ortus est e subscriptione, de qua videbimus infra. Habuit Huschkius in manibus illud Burmanni exemplar, et confidenter pronuntiavit, omnes lectiones, citatas ab illo e Veneta 1487, reperiri non in Vicentina, quam satis negligenter comparavit Burmannus, sed in Veneta 1491.

Tibulli Veneta an. 1487 ducta est e Romana an. 1475, mutata tamen subinde una et altera lectione.

XII. *Editio Veneta*, an. 1491, in-folio.

TIBULLUS Catullus et Propertius cū commento.

Hoc ordine in hac et proxima editione poetæ tres se excipiunt, non eo, quem constituit Panzerus, tom. III, p. 297, n. 1368, præposito Catullo. In fronte Tibulli cum commento Bernardini Veronensis positum est, sicut in Venett. 1485 et 1487, carmen *ad Baptistam Ursinum*, cui adjuncta est ab editore Vita Poetæ, diversa ab ea, quæ in fine descripta est e Codd. Sequitur *Catullus* cum comment. Antonii Parthenii. Tum *Propertius* cum comment. Philippi Beroaldi, ad cujus calcem legitur :

Cōmentarii in Proptiū *a Philippo beroaldo editi* anno salutis M.CCCC.LXXXVII, *ipressi vero* Venetiis *a Boneto locatello Bergomēsi. Cui necessaria exhibuit Nobilis vir Octauianus Scotus Modoetiensis.* Anno ejusdē salutis nonagesimo primo supra millesimū ac quadringentesimū. Quinto idus decembres.

Sit Christe Rex piissime
Tibi patriq; gloria
Cum spiritu paraclito
In sempiterna sæcula.

Accedit Hieronymi Salii Faventini in invidum carmen, et Registrum.

Hæc est editio illa, quam Burmannus vocat Propertii Venetam ann. 1487. Error est manifestus. Nam quum oculi hærerent in anno Commentarii, numeris majusculis expresso, factum est, ut annum impressionis, verbis designatum, prætermitterent. Hoc idem accidit viro docto, qui illud exemplar Burmannianum indicavit in catalogo bibl. Santen. p. 102, n. 4 scribens: *Tibullus, Catullus et Propertius cum comment. P. Beroaldi*, Venet. 1487, perg. Corrige 1491, nec quære in pluteo, quod non reperitur nisi in Catalogo.

XIII. *Editio Veneta*, an. 1493, in-folio.

TIBULLUS Catullus et Propertius cū coṁento.

In fine : Commentarii in Proptiū a Philippo Beroaldo editi anno salutis. Impressum Venetiis P. Symonē bevilaqua Papiensem, M.CCCC.LXXXXIII die XXVI mensis junii.

Sit Christe Rex piissime.... etc.

Omissus est in hac subscriptione post *salutis* anni numerus 1487. Sequitur Hier. Salii carmen et Registrum, ut supra. Nam hæc est mera repetitio ed. superioris ann. 1491. De ea vide, quos laudat Panzer. tom. III, p. 339, n. 1674.

Huschkius notat « memoratur etiam Venet. an. 1497, in-folio apud Panzerum, tom. III, p. 409, n. 2178. Sed hæc quoque est, ut e subscriptione patet, repetitio Venetæ ann. 1491. Illam, credo, habuit *Martini-Laguna*, laudans *Cat. Tib.* et *Propertium* Venet. an. 1498, per errorem, nisi fallor, pro an. 1497. »

XIV. *Editio Veneta*, an. 1500, in-folio.

TIBULLUS cum commentariis Cyllænii Veronensis. *Catullus* cum commentariis Parthenii Veronensis et Palladii patavini. *Emendationes Catullianæ* per Hieron. Avancium Veronensem et ejusdem *in Priapeas Castigationes*. *Propertius* cum commentariis Philippi

Beroaldi. *Annotationes in Propertium :* tum per Domitium Calderinum : tum per Joannem Cottam Veronensem. Hæc omnia sunt ex exemplaribus emendatis domini Hieronymi Avancii.

Præfatio inscribitur : *Emendationum Hieronymi Avancii Veronensis in* Lucretium, *in* Catullum : *in* Priapeias : *in* Statii Sylvas. Editio secunda. Nempe prima harum emendationum, certe in Catullum editio prodierat Patavi ann. 1494, curata ab Augustino Moravo Olomucensi, qui in procemio de iis ita scribit : Hæc scripta *Leonicus Patavinus, Jacobus comes Juliarius Veronensis, Aurelius Ariminensis,* Calfurnius Brixiensis, *nulla non laude majores, sedulo perlegerunt ac mire commendarunt.* E contrario Scaliger ad Catull. XII, 1, Marrucinitatem Avantio exprobrat, qui pro *Marrucine Asini* intulerit *Inter cœnam Asini.* Et Santenius in Collectaneis : Avantius in hac editione textum Beroaldinum hic illic immutavit non semper cum bono judicio. Unde in ejus editione Beroaldus sæpe verba explicat, quæ in textu frustra quæras. Vide Collatt. ad Eleg. ultimam Propertii.

De Tibullo Heynius : « Etiam hæc editio ex superioribus Venetis repetita est, exemplar tamen ab Avantio mendis typographicis purgatum esse debuit, ante quam operis typographicis excudendum traderetur. » Idem tamen ad Venet. an. 1520, insigne mutatæ in utraque editione lectionis exemplum profert ex I, IV, 34. In Veneta 1487, et sequentibus ann. 1491-93, erat adhuc (sicut in Rom. ann. 1475), *tardos dies.* At in edd. 1500 et 1520, *stultos* legitur, sicut in commentario Cyllenii. Recte.

Hactenus de Avantio. Cottam quod attinet et Domitium, eorum Annotationes quærentibus se non sistunt. Notaverat Broukhusius, monente Santenio, hæc : « Cotta periit an. 1511, aut 1512, ipse ætatis 28. Commentationum in Propertium nemo meminit, non Gyraldus, non Jovius, non Panvinus, non Valerianus, non Fracastorius. »

Editiones an. 1500 et 1520, parum discrepant, nec opus est postremam hanc seorsum recensere. Illa in fine habet : Impressum *Venetiis* per Joannem de Tridino de Cereto alias Tacuinum, MD. die vero XIX maii. Regnante inclyto principe Augustino Barbadico ; hæc : *Venetiis* in ædibus Guilielmi de Fontaneto Montisferrati anno Domini MDXX die XII Julii. Inclyto Leonardo Lauretano Principe.

XV. *Editio Lipsiensis*, an. 1500, in-4°,

ALBII TIBULLI Elegiographorum optimi, elegia de amoribus et laudibus Messallæ. *Lipsiæ* per Jacobum Thanner.

De hac editione sic agit Huschkius.

Exstat in bibliotheca Dresdensi, sed sine anni et typographi ulla mentione, quam ex Maittario (App. p. 556) supplevi. Nunc Panzer quoque memorat, tom. I, pag. 497, n. 249. Litterarum typi sunt neogothici. Curatam esse editionem a Gregorio Conicensi, ex Leichii Annal. typogr. Lips. p. 76 didici. Referendam eam esse ad classem alteram ex Veneta 1475 deductam, jam supra significavi. HEYN. Lectionem hujus exempli, enotatam ab Heynio, diligenter se comparasse cum editione illa, quam Lipsiæ a *Conrado Kachelooen* expressam esse narrat Panzerus, tom. I, p. 499, n. 274, ait Censor hujus operis in Ephem. Goth. an. 1793, pl. 52, p. 462 idemque confirmat, Variantes utriusque editionis plane et ubique inter se convenire. Habuit ille in manibus idem exemplar, quod Panzerus habuit, e bibliotheca Neostadiensi. Negat, nomen Conradi *Kachelooen* libro impressum esse, nec dubitat pronuntiare, Neostadiense exemplum esse Thannerianum. Nunc video, Panzerum ipsum in Ind. Bibliogr. tom. V, p. 428 verba « *Lipsiæ, Conr. Kacheloo.* » uncinata exhibuisse et adscripsisse, *Sine loco et anno.* Ergo ipse, quod supra posuerat, incertum reddidit ac suspectum. Quid censes, Harlesium? Hic omnia confundens ita scribit in Brev. Notit. Litterat. Rom. an. 1789, p. 225.

Tibulli elegia de amoribus et laudibus Messalæ, Lipsiæ 4, 1500. — *Act. Tibulli* elegiæ libri II, *L. Annæi Senecæ* Biga tragœdiarum cura *Conr. Celtis.* 4, circa finem sæc. XV.

Hic, satis apparet, primo loco significari editionem Thannerianam, qua usus est Heynius. Quale vero alterum opus est, quod secundo loco memoratur : *Act.* Tibulli elegiæ libri II ? Est, inquit Harlesius, (Suppl. part. I, p. 350) editio Tibulli cura *Conr. Celtis,* de qua vide *Schnizer* bibl. Neostad. ad Aissum, part. II, pag. 23. Ac Schnizerus quidem re vera ibi memorat opus sub hoc titulo : « *Act.* Tibulli elegiæ libri duo : Luc. Ann. Senecæ Biga tragœdiarum cura Conradi Celtis : » videturque in ea opinione fuisse, ut crederet, utramque editionem curatam esse a viro hoc celeber-

rimo. Sed de editione Tibulli curata a Celte ego numquam fando audivi, neque Klupfelius in *conspectu* operis *de Conradi Celtis Protucii Vita et Scriptis* quem an. 1813 Friburgi edidit Ruefius, ullam fecit hujus editionis mentionem. At memoratur ibi, p. 12. *Hercules Furens* et *Cœna Thyestis; L. Annæi Senecæ* Biga tragœdiarum cura C. Celtis. Hujus editionis exemplo illi, quod exstat in bibl. Neostad. agglutinata est editio Tibulli, quam Panzerus Conrado *Kacheloven*, Schnizerus, certe Harlesius, tribuebat Conrado Celti, cujus nomen inscriptum est non nisi Bigæ tragœdiarum Senecæ. Hactenus ego obscuram hanc rem meo Marte expedire conatus sum. Sed volebam porro scire, an exemplo Neostadiensi re vera præscriptum esset *Act.* pro *Alb.* Tibulli? an libri II, pro libri IV? Utrum hac, an alia editione usus esset Panzerus, qui sic scribit: *Albii* Tibulli elegiarum libri IV. Qua de re certiorem me facturum esse putaveram Bardilium. Sed huic nondum copia data est inspiciundi libri. Idem tamen quædam ad me perscripsit de antiquo bibliothecæ Heidelbergensis exemplo sine anni et officinæ nota, quod nunc ipsum ante oculos habet. Hoc multis locis discrepat a Thanneriano, monente etiam, qui comparavit, Vossio, pag. XXVII, nec conveniunt litterarum typi gothici illis, quibus expressus est conjunctus cum eo Propertius ex officina Martini *Lantzpergenss.* Lips. ann. 1495, quippe majores et aliter formati. Hæc sine dubio est memorabilis editio, sed originis incertæ et difficulter indagandæ, siquidem lacera est a fronte usque ad I, VI, 71. *Et si quid peccasse*, etc. nec in fine habet nisi : *Summa vite albii tibulli*, expressa fideliter ad Codicem aliquem v. c. in voce *ↄtubernaculis.* Sequitur *Epitaphiū Tibulli.* Cum sign. a—g. lin. 20, 4. Qua in re convenit illi cum exemplo Neostadiensi apud Panzerum, tom. I, p. 499, n. 274.

EDITIONES SÆCULI XVI.

Hic quoque Huschkium ad verbum fere sequimur; ait ille : « Jam alterum typographiæ sæculum ingredienti in ipso statim limine mira mihi objicitur editionum classis, forma et lectione similis Aldinæ an. 1502, origine et charta longe diversa. In hujus fraudis vestigio me primum posuit varietas lectionis, observata in Aldina apud Ti-

bullum IV, 1, 108, ubi tria hujus editionis exemplaria, quæ ipse possideo, ita differunt, ut unum, haud dubie archetypum, exhibeat : *Fortis* iapigiæ *miles*, secundum et tertium *inpigiæ*. Mox accuratius inquirens deprehendi, hæc exemplaria locis permultis discrepare non solum in Tibullo, sed etiam in Catullo et Propertio, redire autem rem ad menda typographica. Tum animadverti, duo e tribus exemplaribus meis esse meras esse repetitiones Aldini, in alia officina fabricatas, sicut illud, quod in Commentario ad librum primum subinde memoravi sub titulo *Ed. Vet. sine a. et l. indicio*, v. c. ad I, v, 7-8, deinde ad II, 1, 37-38, vocavi *Ed. Ald.* an. 1511, cujus mentionem injecerunt multi. Nunc etiam scio, Aldum jam ipsum de hac re questum esse cum temporum suorum æqualibus, accusantem publice fraudulentæ illius fabricationis typographos Lugdunenses in Gallia, qui editiones suas eo, quo dixi, modo repeterent, ipsumque laboris sui fructu privarent. Quæ res ut mire corrupit annales typographicos, ita etiam perturbavit lectionis per Aldinam propagatæ historiam criticam! »

CATULLUS. Tibullus. Propetius, an. 1502, in-8°.

Sic est in archetypo Aldino, certe meo, non *Propertius* [1]. Insigne Aldi, delphinus anchoræ involutus, ab hac editione abest. Sequitur in altera tituli pagina Manutii Epistola, inscripta sic : *Al. Ma. Ro. Marino Sannuto* Patritio *Veneto* Benedicti *Filio. S.* Ad finem Catulli legitur *Hieron. Avancii* ad Marinum Sannutum epistola, qua continentur emendationes in Lucretium. Ad calcem in altera plagula est : *Venetiis* in ædibus *Aldi.* Mense januario M.DII, nec sine privilegio ut in cæteris ; in altera, *Catullus, Tibullus, Propertius.* Quæ plagulæ sæpe abjectæ a glutinatoribus opinionem pepererunt, hanc editionem etiam, ut Heynius scribit, *sine anni et loci nota prostare.* Tria hujus archetypi exempla simul ob oculos habebat Freytagius (Adparat. Litter. tom. I, p. 487), nulla in re

[1] *Annales de l'imprimerie des Alde*, ou *Histoire des trois Manuce et de leurs éditions*, par Ant. Aug. Renouard, t. III, pag. 7. Le titre porte tantôt *Propertius*, tantôt *Propetius*; mais cette faute typographique ne dénote pas une double édition. La correction a été faite pendant le tirage. Etiam exemplaria duo adulterina, quæ penes Huschkium erant, in titulo habent *Propetius*, in fine *Propertius*, sicut Ald.

ab illo Huschkii discrepantia, unum adulterinum habuit, nisi forte notitiam suam ex alio libro hausit; Panzerus, tom. VIII, p. 353, n. 121. Adulterinum, habuit, quia Epistolæ Aldi in eo præscriptum erat : *Al. Ma. Marino Sannuto Patritio Veneto* Leonardi *F. S.* omisso *Ro.* et exhibito *Leonardi* pro *Benedicti* F. Illud fortasse casu omissum. Sed exstare exemplaria, quæ *Leonardi* habeant, certo certius est. Nempe Leidæ servatur exemplar, quod ita describit Santenius in Collectaneis : « In bibliotheca Lugd. Bat. pag. 262, Hist. 574 exstat editio, quæ non habet anni notam : videtur charactere proxime accedere ad Aldin. 1502, vel *Juntinam*. Quod vero singulare est, legitur in inscriptione præfationis :

Sannuto Patritio Veneto *Leonardi* filio.

In Aldina autem 1502.

—Patritio Veneto *Benedicti* filio.

In *Juntina*, sicut in Ald. 1515.

Patricio Veneto *Benedicti* filio.

In exemplari etiam Lugdunensi penultimus præfationis versus desinit in voce *una;* in Aldinis in voce *redire;* in Juntina in voce *cum.* » Hæc Santenius, recte monens, archetypum Ald. an. 1502, habere *Patritio,* Ald. an. 1515 *Patricio.* Idem recte addit, in his binis exemplaribus penultimum præfationis versum desinere in *redire.* His præmissis pergit Huschkius hoc modo : » At duo alia exemplaria, quæ ego possideo, desinunt ibi, sicut in ea editione, quam Juntinam dicit Santen. in voce *cum,* et in inscriptione tamen habent *Patricio-Benedicti.* Ergo hæc rursus diversa sunt a Leidensi. Sed quænam tandem est *Juntina* illa? Nempe ea, quæ sic memoratur in Catal. Bibl. Santen. p. 105, n. 52.

Catullus, Tibullus, Propertius, edit. antiq. sine loco et anno. (Catulli quædam cum vett. MSS sunt collata.)

Habet ea in titulo *Propetius.* Ad finem in schedula separata, *Catvllvs, Tibvllvs, Propertivs.* Vir doctus in fronte libri annotavit : *In Propertio* primam Aldinam *secuta fuit hæc editio.* Ad finem

Tibulli eadem manus : Juntina *hæc Propertii* editio *primam Aldi secuta est, quæ prodiit* 1502. Præfatio hujus ed. inscribitur:

Al. Ma. Ro. Marino Sannuto *Patricio*
Veneto Benedicti Filio. S.

Huschkius pergit hoc modo:
« Hanc editionem vidi, comparavi, agnovi, esse eam, quam ego nunc simpliciter ed. Vet. vocavi, nunc ed. Ald. an. 1511. Perperam sine dubio. Sed quo jure vocatur *Juntina?* Longe diversum titulum habet Juntina, longe diversam præfationem et subscriptionem, quod infra demonstrabitur. Ergo illud Santenianum, nunc Berolinense, exemplum est Aldinum, sed adulterinum, sicut meum, id est, *Lugdunense*, quod in omni fere lectione conspirat cum Bardiliano, nunc liberalitate viri humanissimi item meo. Hæc duo exemplaria non eodem tempore impressa sunt Lugduni. Nam et charta videtur esse diversa, nec semper convenit lectio, v. c. I, III, 37. Bardilianum habet sicuta archetypum : vivebant rege *prius, quam;* meum contra *prius, qua.* Ab utroque abest Avantii Epistola post Catullum. Et satis constat, Lugdunenses brevi temporis intervallo editiones Aldinas iterasse. *Renouard,* tom. II, p. 17, et p. 197, n. 3. Prima eodem an. 1502 prodiisse videtur ; nam libellus Aldi Manutii, quo emptores de hoc mangonio certiores facit, editus jam est Venetiis XVI martii M.D.III. Ibi inter alia hæc leguntur: (*Renouard,* tom. II, p. 208.) « Sunt jam impressi *Lugduni* (quod scierim) characteribus simillimis nostris : Vergilius, Horatius, Juvenalis cum Persio, Martialis, Lucanus. Catullus cum Tibullo, et Propertio. *Terentius,* in quibus omnibus nec est impressoris nomen , nec locus in quo impressi , nec tempus, quo absoluti fuerint. In nostris vero omnibus sic est : Venetiis in ædibus Aldi Ro. illo : vel illo tempore. Item nulla in illis visuntur insignia. In nostris est Delphinus anchoræ involutus : ut infra licet videre. Præterea deterior in illis charta : *et nescio quid grave olens,* characteres vero diligentius intuenti sapiunt : (*ut sic dixerim*) gallicitatem quandam. — *In fine Catulli eam : quæ in meo est :* epistolam prætermiserunt. » Hæc omnia conveniunt in duo illa exemplaria, Bardilianum et Santenianum sive meum. Sed Delphinum anchoræ involutum nec Renouardus vidit in archetypo Catulli, Tibulli et Propertii, nec ego. Hic duo

hujus generis exempla in manibus habuit, tom. II, p. 198, n. 9 et 10, unum Pinellius (Catal. p. 316), quod Harlesius in Suppl. I, pag. 335 dicit esse *Lugdunense* ex officina *Guil. Huyon* secundum conjecturam Barth. *Mercier de Saint-Leger, Journal des Savans*, mart. an. 1790. Huc haud dubie etiam pertinet *Catullus, Tibullus, Propertius* apud Ald. MDXI, in-8°, quæ editio memoratur ab Ungero *Dissert. de Aldi Pii Man. Rom. Vita et Meritis* ed. Geret. p. CVIII. Ita, inquit, Catalogus librorum Aldd. ab amico quodam adornatus et usibus meis concessus.[1]

Jam illud exemplorum par, quod ego possideo, quantopere differat ab archetypo, ex his Variantibus patet:

Ald. an. 1502.					Edd. Lugdd.
I.	1,	34	*petenda*	— —	*petanda*
—	3,	77	*stangna*	— —	*stagna*
—	—	85	*lucerna*	— —	*lucenar*
—	4,	7	*Sic ego*	— —	*Sic ergo*
—	10,	17	*esse e stipite*	— —	*esse stipite*
II.	3,	42	*jungere*	— —	*jugere*
—	5,	73	*ferunt*	— —	*serunt*
IV.	1,	64	*Cimmeriωn*	— —	*Cimmerion*
—	—	86	*erumpat*	— —	*errumpat*
—	—	108	*iapigiæ*	— —	*inpigiæ*

Ad exemplum Aldinæ primæ facta est longe illa rarior editio Juntina: »

CATULLUS, Propertius, Tibullus, *olim magna ex parte emendati per* Aldum Manutium Romanum *Virum doctissimum, nunc recogniti per* Benedictum Philologum Florentinum, 1503, in-8°.

Ad calcem: *Florentiæ* impressi opera et impensa Philippi Bibliopolæ Giuntæ F. Florentini, anno Salutis M.D.III, nonis Augustas Petro Soterino Vexillifero fœlicissimo.

Sic legitur apud Bandinium, *Juntarum Typographiæ Annales*,

[1] Laudatur in *Serie dell' Ediz. Ald.* p. 34, et a Panzero t. VIII, p. 405. At Renouardus, t. I, p. 93. Cette édition m'est inconnue. Le grattoir n'aura pas pu former facilement la date de 1511; je soupçonne plutôt qu'une méprise dans un catalogue aura donné lieu à l'annonce de cette édition idéale.

part. II, pag. 5, non *Augustus*, quod Panzerus dedit, tom. VII, pag. 7, n. 4, nec *Solenno*, quod Heynius. Præfatio hæc est:

Benedictus Philologus Florentinus litterato juveni *Bonacursio Pepio* Excellentiss. V. D. *Francisci* filio S.

En tibi, mi Bonacursi, C. Valerii Catulli, Propertii et Tibulli labores herculeos, gordiano jugo inexplicabiliores, muneri mittimus, quos, non minus docte, quam diligenter, ac laboriose quintum abhinc mensem *Aldus Manutius* Romanus recognovit, et recognitos suis typis imprimendos curavit, ad communem studiosorum utilitatem.... inseruimus et his poetis, eorum vitas per *Petrum Crinitum*, græce et latine apprime doctum, compositas, scientes tibi juveni litterato, cæterisque studiosis, plurimum placituras. De quo in præsentia parcius; nam prædicatione nostra non indiget, satis enim doctissimis lucubrationibus suis clarus futurus est, quas brevi publicare est animus... Vale, Benedictumque tuum perinde ac soles, ama.

M.D.III non. octobris.

Hæc editio utrum mera sit Aldinæ repetitio nec ne, quum nemo eam adhuc, quod sciam, excusserit, in medio relinquendum. At longe a priore discessit Aldina secunda:

CATVLLVS Tibvllvs Propertivs. — *Venetiis*, etc., mense martio M.D.XV, in-8°.

Correcta et emendata est hæc editio, in Tibullo utique, ut Heynius scribit, a viro docto, etsi ejus nomen proditum non est; facta plerarumque, quæ secutæ sunt, editionum fons et fundus, inprimis Muretinæ 1558.

Aldinam primam exprimunt edd. Parisienses apud Sim. Colinæum et Basileenses; secundam Gryphianæ, nec tamen inter se, nec cum Aldinis ubique consentiunt. Sic Ald. 1502, habet I, IX, 9, *per freta patentia;* Colin. 1529, *parentia per freta*, ut Venet. princ. 1472 cum aliis; Basil. 1569, *patentia per freta;* quod in neutra legitur Aldina; rursus Gryph. 1561, *per freta patentia*, Gryph. 1573, *parentia per freta;* Gryphianæ 1561, adscripta est varietas lectionis ex ed. Muret. 1558, quæ postea aucta est in Gryph. 1573. Variantibus ex ed. Ach. Statii 1567. Idem factum in Plantinianis,

quarum primam ann. 1560, vitio numeri, natam putat Heynius; Huschkius autem in manibus habuit.

Catullus Tibullus Propertius *Lugduni* sumptu Barthol. Trot. millesimo quinquagentesimo XVIII, die XXII sept. 1518, in-8°.

A Maittario in Ind. pag. 242 ea memoratur.

Albii Tibulli elegiarum libri IV, una cum Val. Catulli epigrammatis, nec non Sext. Propertii libri IV, elegiaci cum suis commentariis, videlicet Cyllænii Veronensis in Tibullum, Parthenii et Palladii in Catullum, et Phil. Beroaldi in Propertium. Habes insuper emendationes in ipsum Catullum per Hier. Avancium Veronensem. Nec non et castigatissimam tabulam omnium rerum, quæ in margine sunt positæ, nuper additam et nunquam alias impressam. *Venetiis* in ædibus Guilielmi de Fontaneto Montisferrati anno domini M.D.XX die XII julii. Inclyto Leonardo Lauretano Principe 1520, in-folio.

In hac editione ultima vice Cyllenii commentarii, toties repetiti, excusi fuere; ex quibus, uti comparando editiones Veneta 1487, 91, 93, 97, 1500, 1520 comperi, plerasque lectiones, quas ille in suo habuerat, in ipsa Tibulli verba intulere editores, qui illas cum verbis poetæ recudi curarunt, et quidem sequiores semper majori cum licentia, quam superiores, ita ut in novissimis lectio contextus plane immutata sit. Sic I, Eleg. IV, 34, in edit. Rom. legitur *tardos dies*, at Cyllenius in comment. interpretatur alteram lectionem *stultos dies*. In Veneta 1487, et sequentibus adhuc *tardos* erat, non quod Cyllenius ita ediderat, et aliud explicuerat, ut Broukh. ait, sed quia is in suo aliter legerat, quam vulgatæ tum editiones. At in edit. 1500 et 1520, etiam in textu *stultos* legitur. Novissimæ hæ duæ editiones parum a se invicem abeunt. Cæterum vide supra quæ ad editionem Venetam an. 1500 notavimus in fine.

Catullus Tibullus Propertius apud Sim. Colinæum. *Parisiens.* 1529, in-8°.

Novo characteris litterarum genere, quod ad calligraphiæ elegantiam propius accedit, exarata est hæc editio: ex prima Aldina expressa, ut ipsi comparatione facta cognovimus. Repetita eadem a Simone Colinæo 1533 aut, quem annum aliæ præferunt, 1534, et minima forma 1543. Emendata in his sunt vitia nonnulla graviora v. c. I, IX, 9, *per freta parentia*, hic est, *parentia per freta*.

C. Val. Catulli Veronensis, liber I. Alb. Tibulli Equitis Rom. libri IV. Sex. Aurelii Propertii Umbri, libri IV. Cn. Cornelii Galli fragmenta. *Basileæ* excudebat Henricus Petrus mense Martio, 1530, in-8°.

Repetita est ex Aldina prima ad secundam passim correcta, sed parum diligenter; una cum altera 1539 repetita; multo autem indiligentius triginta annis post 1569 recusa, quæ vitiosissima est, quum Horatius Tuscanella, qui eam curavit, ineptus homo, ad rhetorices præcepta poetas hos exegit et indice singulorum verborum ad Erythræi exemplum in Virgilio stulte instruxit. Repetita etiam hæc est 1592, etsi ex Scaligeranis hinc illinc correcta, tamen vel sic nullo loco habenda.

Catullus, Tibullus, Propertius, per Melch. Sessam MDXXXI, XX sept. *Venetiis*, 1531, in-8°.

Sequitur nunc editionum genus non contemnendum, Gryphianum, quod tamen totum ex Aldina priore, seu ex Basileensi, quæ inde descripta erat, ductum est, etsi passim ex secunda, in sequioribus etiam ex Muretina interpolatum.

Catullus, Tibullus, Propertius cum Gallo apud Sebast. Gryphium *Lugduni*, 1534, in-8°.

Repetita ea est aliquoties simili forma est 1537, 1542, 1544, 1546, 1548, 1551 (forte et 1555), 1561, 1571 et 1573.

Catullus, Tibullus, Propertius. His accesserunt Corn. Galli fragmenta. Post omnes omnium editiones summa denuo vigilantia recogniti. *Venetiis* apud Hieronymum Scotum, 1549, in-8°.

Splendida sed vana professio. E Gryphiana repetita est ad Aldinam secundam correcta.

Excipit has Mureti recensio doctissime facta, sed Aldina secunda pro fundo substrata. Multa a viro hoc sagaciter partim e critica ratione, partim ex veteribus scriptis et editis emendata, ut supra jam dictum est. Prodierat primum:

Catullus et in eum commentarius M. Ant. Mureti. *Venetiis*, Paullus Manutius Aldi fil. 1554, in-8°.

Isque solus, sine ceteris, nam verum non est, jam tum duos reliquos poetas conjunctos exiisse. Sed insequuta est quarto anno editio, in qua Tibullus et Propertius accessere:

Catullus et in eum commentarius M. Ant. Mureti. Ab eodem

correcti, et scholiis illustrati Tibullus et Propertius. *Venetiis* apud Paullum Manutium, 1558, in-8°.

Recusa est eadem editio Venetiis cum signo Aldi 1562, et *Lugduni* apud Guliel. Rouillium, 1559, in-8°.

Multo plura in poetæ verbis mutavit Muretus, quam in scholiis indicavit, quæ interpretationi aliquot locorum destinata erant. Voluit ille justos Commentarios in hos poetas edere, ut in calce scholiorum Propertii pollicetur. In librum IV Tibulli nihil ab eo annotatum est.

CATVLLVS, Tibullus, Propertius, Cor. Galli fragmenta. Omnia ex Vetust. exempl. multo quam antea emendatiora, additis Annot. *Antverpiæ*, ex officina Christophori Plantini, 1560, cum privilegio, in-12.

Abest ab hac editione procemium cum Notarum explicatione, quod præpositum postea est editioni 1569. Habet Vitas poetarum, auctore Petro Crinito, quæ vicissim absunt ab hac, lectionem autem cum eadem fere communem. Secutus est editor plerumque Muretum, admissis interdum etiam emendationibus ex commentario, quas ille in contextum non intulerat. Libros scriptos adhibuisse non videtur editor, sed ubique, quod præstat, judicium sanum in recipiendis lectionibus et delectum acerbum adhibuit. Idem singularem intulit scripturam diphthongi græcæ *ει* pro latina *ei*, et *e* in numero plurali item pro *i* longa in vocibus græcis, v. c. I, 1, 7, *vitus* pro *vites*, v. 18; *auus*, v. 67; *Manus*, I, VII, 21; *arentus—Surius*, IV, 1, 69, *Surenum*. Quam scripturam Pulmannus mutavit in *vites—arentes*, *Seirius* et *Seirenum*. Hanc enim editionem excepit altera ex eadem officina:

Memorabilis, sed valde infrequens est editio quæ sequitur Statii, de qua supra accurate expositum est.

Catullus cum commentariis Achillis Statii *Venetiis*. In ædibus Manutianis, 1566, in-8°. Tibullus cum commentariis Achillis Statii *Venetiis*. In iisdem Manutianis ædibus, 1567, in-8°.

Aldinam secundam ille secutus est, Muretina correctione posthabita, scriptorum autem librorum varietate apposita et erudita annotatione magnam laudem meruit. Recusus est ejus commentarius in edit. Morell. 1604, et Trajecti, 1680. Miror idem non sæpius factum.

CATVLLVS Tibullus Propertius. *Antverpiæ*, ex officina Christophori Plantini M.D.LXIX.

Mirum, in titulo non memorari *Corn. Galli Fragmenta;* quæ in hac editione leguntur post Tibullum cum procemio Theod. Pulmanni. Nempe Catullum et Tibullum Victor Giselinus et Pulmannus, Gallum Pulmannus solus curavit : Propertium Canterus. Santenius in Collectaneis ita : Fabricius quidem et Ernestius in Bibl. Lat. I, c. XIV, §. 9 crediderunt, hoc anno Propertium separatim esse editum a Cantero ; sed eos falli satis patet ex his verbis, huic editioni præfixis : « En tibi, candide lector, Catullum et Tibullum doctissimorum virorum lectionibus a Victore Giselino et Theodoro Pulmanno Craneburgio studiose et diligenter collectis, emendatos; *quibus suo jure accessit Propertius* Gulielmi Canteri Scholiis ita illustratus, nihil ut amplius ad optimum poetam recte intelligendum desiderari posse videatur. » Ex his verbis neutiquam efficitur, Propertium *conjunctum* cum Catullo et Tibullo prodiisse, et ex editione ipsa manifesto apparet, illum separatim editum esse. Nam signaturæ continuantur a Catullo ad Gallum sine interruptione. At post Gallum incipit novus titulus cum nova signatura : Sex. Propertii Elegiarum, libri IIII. Cum Scholiis Gul. Canteri. *Antv.* Ex off. Christ. Plantini. M.D.LXIX.

In Tibullo consentit hæc editio plerumque cum Plant. 1560. Mutata tamen in universum haud pauca sunt, primum in orthographia. Nam illata illa in priorem diphthongi græcæ scriptura prorsus abjecta est. Etiam novas lectiones intulerunt editores. Variantes in margine auctæ sunt e Statiana editione, ex qua correxerunt subinde lectionem Mureti, quam in cæteris sequuntur. Inter illas Variantes reperiuntur etiam lectiones Scaligeri, qui memoratur adeo in *Notarum explicatione*, procemio subjecta. Hoc Huschkio injecit suspicionem, proditam in commentario ad librum Tibulli, IV, IX, 2, et ad Marsi epigramma, circumferri hujus editionis exemplaria adulterina, quibus falsa anni nota impressa esset. Qua in suspicione illum confirmabat Vossius, qui in ora exemplaris sui Epitaphio Tibulli adscriptum ait esse ante Scaligerum a Pulmanno : *Epigramma* Marsi *de morte Tibulli.* Hæc notatio ab illius exemplo abest. Aut igitur alia Vossius usus est editione, aut tribuit Plantinianæ, quod legitur in ora Lugdun. an. 1573, quam ad verbum ex illa descriptam

esse putabat. Unde vero notatio illa venit in hanc editionem, quum Scaliger affirmet in ed. an. 1577, se primum illud Tibulli Epitaphium auctori suo asseruisse e pervetusto schedio, id est, Cujaciano, quod præscriptum haberet nomen *Domiti Marsi* ? Quæ quæstio etiam pertinet ad lectiones quasdam Scaligeri, partim Plantinianæ, partim Lugdunensi adscriptas, nec decidi ante recensionem horum exemplarium potest. Editio igitur Lugdunensis hunc titulum habet [1] :

Catvllvs. Tibvllvs. Propertius. Item, Corn. Galli Fragmenta. — Lugduni apud Ant. Gryphium, M.D.LXXIII, in-12.

Hæc editio nomen Gryphianæ vix meretur; in omnibus sequitur Plantin. 1569, ut et Plantini præfatiunculam et Canteri Scholia transumpserit. Santen. Interest inter utramque hoc : 1° Plantiniana post Tibullum habet Corn. Gallum, Gryphiana Gallum habet post Propertium; 2° Plantin. ante Propertium titulum habet separatum, Gryph. non nisi præfationem Canteri; 3° Plantin. non habet Vitas, Gryph. habet Vitas e Petro Crinito; 4° Plantinianæ longe pauciora adscripta sunt, quam Gryphianæ, præsertim inde a III, IV, 65, ubi incipit fragmentum Cujacii.

Catvlli, Tibvlli, PropertI, *nova editio*.
Josephus Scaliger Jul. Cæsaris F. recensuit. *Ejusdem in eosdem Castigationum Liber.* Ad Cl. Puteanum Consiliarium Regium in suprema Curia Parisiensi. *Lutetiæ*, apud Mamertum Patissonium, in officina Rob. Stephani 1577, in-8°. Cum privilegio Regis. Huschkius de hac editione dicit :

Quo sensu *nova editio* dici potuerit Scaligerana *prima*, fateor me non intelligere. Rectius ita inscripta est secunda an. 1582 et tertia an. 1600. An igitur aliqua his tribus editionibus *prior* exstitit ? ego nescio. Sed audiamus Scaligerum ipsum. Hic in Catulli Carm. LXII, (64), 308 edidit :

His corpus tremulum complectens undique vestis —

Et in commentario quidem ad ed. an 1582 scribit : « In veteribus

[1] Præter hanc, aliam insuper anni 1569 memorat Heynius cum sequente titulo : Catulli, Tibulli, Propertii et Cornelii Galli opera cum indice Horatii Tuscanellæ Basileæ ex officina Henricopetrina, anno salutis MDLXIX, mense martio. De hac vide supra ad an. 1530.

libris pro *vestis* legebatur *quercus*, quod nos *olim* licet mendosum enarrare conati sumus. Id si cui placet, per me quidem sequatur licet. Hæc tamen vera est lectio, *quam nunc publicamus.* » Ad quem locum provocant Heynius, p. 57, ed. III, et Martyni-Laguna, p. 652, ut demonstrent, editionem an. 1582, non esse meram repetitionem editionis an. 1577, sed retractatam. Atqui Scaliger etiam an. 1577 edidit *vestis*, nec in commentario alteram lectionem *quercus* aliter enarrare conatus est, sed iisdem plane verbis enarravit, in eo certe exemplari, quo ego nunc utor. Ergo fortasse intelligendæ sunt Notæ in Varronem, p. 174, ubi Scaliger lectionem *quercus* enarravit; unde ea transferri potuit in oras Plantin. et Gryphianæ. At idem Scaliger in commentario ad ed. 1600, eamdem illam animadversionem iteravit quidem, sed addidit etiam aliquid, scribens: Hæc tamen vera est lectio, quam nunc publicamus, « et quam *priore editione* non assequebamur. » Hic *prior editio* non potest esse prima an. 1577, nec secunda an. 1582, in quibus est *vestis*, non *quercus*, nisi verba illa extrema referenda simul sunt ad lectionem versus sequentis 309, cum illo cohærentis, quem ille profecto longe aliter interpretatus est in ed. 1600, quam in ed. 1577 et 1582. Manet tamen vel sic suspicio editionis *prioris*, quum etiam Jo. Auratus carmen, jam primæ editioni an. 1577 præfixum, inscripserit ita: « In Catullum, Tibullum et Propertium a Jo. Scaligero, juvene nobili, *Verona oriundo*, nuper *emendatos*. » Scaliger natus 1540, annum tum agebat trigesimum septimum, in quo ætatis gradu constitutos *juvenes* appellare non solet consuetudo hodierna. Utcunque tamen sit, illud in oculos incurrit, lectiones Scaligeri, margini Plantinianæ adscriptas, si a Carm. XXII, 11, et Carm. XL, 13 discedas, potuisse transcribi e Notis in Varronem; Variantes contra, quæ ultro e fragmento libri Cujac. adscriptæ sunt Gryphianæ, non potuisse innotescere Anton. Gryphio ann. 1573, nisi alterutrum ponamus, aut illum idem Cujacii fragmentum in manibus habuisse, aut editionem Scaligeri, anno 1573 priorem. Cæterum Propertio etiam cum Scholiis Canteri, sicut Gryphiano 1573, adscriptæ sunt duobus locis lectiones Scaligeri, I, III, 16. *Osculaque admota sumere*, et arma *manu.* Margg. « Scaliger *tarda* legit. » At Scaliger in contextu trium editionum habet *et arma*, in commentariis scribit: Putavi olim adolescens legendum, *sumere tarda*, I, XX, 27, *car-*

pere palmis. Margg. « Scaliger *plumis* legit. » At hic in contextu habet *palmis*, in commentariis nihil ad locum. Broukhusius lectionem *plumis* Livineio, Livineius ipse Scaligero tribuit.

Inter editiones Scalig. 1582 [1] et 1600, nonnullæ minoris formæ prodiere, quæ vel ommittuntur vel confunduntur ab Heynio. Hic Plantinianam Antv. 1587, et ejusdem anni Lugdunensem in Batavis unam eamdemque esse censet. Illam ipse in manibus habuit; hanc Santenius.

CATULLUS, Tibullus, Propertius. *Leidæ*, 1587, in-12, memoratur in Catalogo Jan. Broukhusii, n. 232, p. 56. Porro idem: exemplar Broukhusianum Lugdn. Batav. apud Rapheleng. an. 1587; ipse possidebat Heynius: et hanc editionem, judicio viri docti castigatam, secutus est Douza filius:

Catullus, Tibullus, Propertius. *Antverpiæ*, ex officina Christ. Plantini, min. form. 1587.

CATULLUS, Tibullus, Propertius, jampridem viri docti judicio castigati, et *Nunc denuo recogniti ac variis Lectionibus et Notis illustrati* a Jano Dousa Filio. Accessit Pervigilium Veneris. *Lugduni Bat.* ex officina Plantiniana apud Franc. Raphelengium, M.D.XCII.

Hanc omnium emendatissimam editionem appellat Nic. Heinsius ad Virgil. Æn. VII, 110. Repetita est ann. 1603, fundus autem editio superior 1569. HEYN. Douza ipse in proœmio scribit: « Editionem secutus sum, quæ minima illa ac manuaria forma ante aliquot annos hic excusa, et judicio viri docti castigata est, ad hoc exemplum; tantum si quæ essent lectiones, quæ speciem recti præ se ferrent, aut de quibus quis in utramque partem arbitrari posset, ad oram ponere non neglexi. » Loquitur de editione Leidensi, an. 1587 supra memorata.

CATULLI, TIBULLI, PROPERTII et CORNELII GALLI opera Ho-

[1] Eodem anno Antverpiæ excusa sunt Jani Dousæ patris Præcidanea pro Albio Tibullo, cum Præcidaneis pro Catullo; secutum est paulo post Succidaneum nuperis ad Tibullum Præcidaneis addendum; in quibus vir doctissimus, sed difficilis ingenii et affectati studii antiquatæ latinitatis Scaligeri vestigiis insistens, loca nonnulla retractavit. Prodiere libelli ex officina Chr. Plantini: in qua eadem aliquot annis post excusi sunt poetæ ipsi ad Scaligeranam recensionem, quod exspectari poterat, concinnati. HEYN.

ratii Tuscanellæ Scholiis et indice illustrata per Seb. Henricopetrum. Vide supra 1536; in-8°, 1592.

CATULLUS, TIBULLUS, PROPERT. *Lugduni*, 1594, videtur Gryphianarum esse repetitio.

TIBULLI Elegia de Bello et Pace a Fed. Morello græco carmine reddita, et Pacis commoda ex Euripide et Philemone ab eodem Morello latinis versibus expressa apud Morellium. *Lutetiæ*, 1598, in-8°.

CATULLI, TIBULLI, PROPERTII, nova editio, Jo. Scaliger Jul. Cæs. filius recensuit ejusdem in eosdem castigationes; liber auctus et recognitus ab ipso auctore in bibliopolo Commeliano, 1600, in-8°.

EDITIONES SÆCULI XVII.

CATULLUS, TIBULLUS, PROPERTIUS. *Lugduni*, 1603, in-8°. Catull. biblioth. Bodlei. pag. 162.

CATULLUS, TIBULLUS, PROPERTIUS, serio castigati. *Antverpiæ*, Raphelengius, 1603, in-24.

Catullus, Tibullus, Propertius, cum variorum doctorum notis et observationibus in unum congestis ex typograph. *Marcy Orry*, *Lutetiæ*, 1604, 3 vol. in-folio.

Singulis elegiis præmisso contextu subjiciuntur notæ Cyllenii, Achillis Statii, Mureti, Jani Douzæ, Scaligeri : cujus recensio ad calcem repetita est, ex illo saltem exemplari quo usus est Heynius.

CATVLLI, Tibulli, PropertI, *nova editio.* Josephus Scaliger Jul. Cæsaris F. recensuit, etc. Excudebat *Jacobus Stoer*, MDCVII, in-12.

De hac editione Heynius scribit : « Mera est repetitio editionis 1600, in sordida charta, qua *Lugdunenses* eo tempore utebantur. » Huschkius notat : his verbis adductus editor Bipontinus post *Stoer* inculcavit *Lugduni*. Sed nomen urbis a titulo abest. Nec Stoerius, quod sciam, Lugduni, neque vero, quod mihi excidit in Analectis ad I, x, 68, Parisiis Chalcographiam exercuit, sed Genevæ. Prodiit tamen eodem anno Lugduni editio, quam nemo memoravit:

CATVLLI, Tibulli, PropertI, *nova editio.* Josephus Scaliger Jul. Cæsaris F. recensuit, etc. *Lugduni*, apud *Anthon. de Harsy*, MDCVII, in-12.

Hoc exemplum exstat in bibliotheca Rostochiensi. Eadem est hujus atque superioris editionis charta, idem litterarum character, eædem signaturæ. At editio Stoerii unum idemque insigne in fronte habet atque in fine; editio contra Anthonii in fronte aliud insigne habet, in fine idem quod Stoeriana. Subest aliqua fraus, similis illi, qua editus est eodem anno Hagæ simul Comitum et Londini Horatius Cuningamii, nulla re alia, nisi insignibus nominibusque librariorum diversus.

Melioris notæ videtur esse, nec tamen est ejusdem anni editio Lugdunensis hæc:

CATVLLI, Tibvlli, PropertI *Opera* quæ exstant omnia, ad vetustiss. cod. bibliothecæ *Jac. Grasseri* fideliter edita. Quibus accesserunt CornelI Galli fragmenta. *Lugduni,* MDCVII, in-12.

Non valde antiquum fuisse codicem, *quo in celebrioribus Galliæ et Angliæ bibliothecis meliorem deprehendere potuisse* negat Grasserus, statim in oculos incurrit.

Jo. Passeratii commentarii in Catullum, Tibullum et Propertium. *Parisiis* apud Cl. Morellum, 1608, in-folio.

Verba poetæ ipsa e Scaligeri esse recensione asserit Heynius, negante Vossio. Idem observat, Passeratii prælectiones seu notas non totum quartum librum complecti, ut falso dixerat Heynius, sed solum carmen in Messalam.

Opera Catulli, Tibulli, Properti et Corn. Galli, sive Maximiani potius. Cum indice Horatii Tuscanellæ. Editio auctior insuper poematibus aliquot, quæ vere Corn. Galli. *Hanoviæ* typis *Wechel.* apud Cl. Marnium et her. Jo. Aubrii, 1608, in-8°.

Est repetitio, quantum intelligo, pessimæ Basileensis cum Tuscanellæ indice, v. sup. ad 1530. (Hoc ita se non habere, affirmant alii. Videant quibus facultas inspiciendi et otium est.) Sunt eæ repetitæ editiones 1618 et 1621.

Ad hanc editionem notat Dessenius: « Profert Joh. Henr. Vossius, p. 25, ex bibliotheca Heidelb. editionem impressam *Parisiis* apud *Orry,* an. 1608, cum notis Cyllenii, Statii, Mureti, Douzæ, Scaligeri. Hæc eadem videtur esse editio, quam profert censor in bibl. crit. VI, P. III, pag. 59, an. 1608, in-fol. impressam. *Lutetiæ* in officina typographica Claudii Morelli, via Jacobea ad insigne fontis, non sine Regis privilegio : quem titulum dicit esse

libri, quem ipse possideat, a nemine fortasse memoratum, in quo textui subjectæ notæ apparent Cyllenii, Statii, Mureti, Douzæ filii, Scaligeri. Hanc autem editionem meram repetitionem existimat ejus, quam anno 1604, memoramus, nisi eadem sit, titulo tantum fraude bibliopolæ mutato, cujus in editionis titulo Typographus legatur *Marcus Orry, via Jacobea ad insigne leonis salientis*.

Ex Tibullo et Propertio Elegiæ, ex Catullo, Martiale, Ausonio aliisque scriptoribus, tum antiquis tum recentibus, Epigrammata selecta et commentario brevissimo illustrata. *Cadomi*, 1612, in-16.

Non magis in censum venit, quam quæ sequitur, impressionis tantum loco notabilis:

Cat., Tib., Propertii nova editio, ad Jos. Scaligeri emendationem, accurate conformata — tituli suppleti — Add. Elegiarum libellus, qui Cornelio Gallo vulgo adscribitur. *Brageraci*, 1611, in-8°.

Mosella Ausonii cum selectissimis Tibulli, Propertii Elegiis, illustrata a Paullo Duizio Mussiponti, 1615, in-8°.

Poematia quædam Catulli, Tibulli, Propertii selecta, græce reddita per Jos. Scaligerum, 1615, in-8°.

Jani Gebhardi in Catullum, Tibullum et Propertium animadversiones cum J. Meleagri in Val. Catullum Spicilegio. *Hanov.*, 1618, in-8°.

Una cum his Gebhardi animadversionibus textus prodiit *Catulli, Tibulli, Propertii, Corneliique Galli supposititii*. Titulum descriptionemque hujus editionis, alteriusque Gebhardianæ, an. 1621, dedit Barthius, edit. Propert. pag. XLIII, XLIV.

Catullus, Tibullus, Propertius, cum Galli fragmentis per Guil. Janson. tum per Elzeviros. *Amstelodami*, 1619, 1630, 1651, 1664, 1670, 1686, in-24.

Quas in manibus habuisse, ad Scaligeranam recensionem expressas fuisse ait Heynius:

Catullus, Tibullus, Propertius, cum J. Livineii notis antehac ineditis, — nec non uberioribus Jani Gebhardi animadvers. cum J. Meleagri Spicilegio. It. poemata Galli et index Horatii Tuscanellæ. *Francof.* ex off. *Wechel*, 1621, in-8°.

Librarii industriæ debetur hæc editio, non viri docti curæ, etsi Gebhardus præfatus est. Poetarum verba ex pessima Basileensi (v. ad 1530), aut ex Wecheliana superiore 1608, expressa sunt. Jo.

Livineii notas eodem anno, et Jani Gebhardi animadverss. quarto ante anno seorsum editas, nunc in unum volumen redegit librarius redemtor.

Prodiit quoque Tibullus, *Geneçæ*, in corpore poetarum, 1627, in-4°.

Catullus, Tibullus, Propertius. *Aureliæ Allobrogum*, 1640, in-4°.

Catal. bibl. Bodlei. p. 260, nisi forte Catullus solus est.

Catullus, Tibullus et Propertius, et quæ sub Galli nomine circumferuntur, cum selectis variorum Commentariis, accurante Simone Abbes Gabbema. *Traj. ad Rh.* 1659, in-8°.

Vitiis typographicis scatet et farraginem notarum apponit, quibus verba et phrases illustrantur, non sententiæ.

Quæ Parisiis 1662 et 1668, memorari solent editiones, numerorum vitio natas esse arbitratur Heynius, nec vere exstare.

Poëmata selecta e Catullo, Tibullo et Propertio cum notis Vorstii. *Lipsiæ*, 1675, in-8°.

Catullus, Tibullus, Propertius, e recensione J. G. Grævii, cum notis integris Jos. Scaligeri, M. Ant. Mureti, Ach. Statii, Rob. Titii, Hier. Avantii, Jani Douzæ patris et filii, Theod. Marcilii, necnon selectis aliorum. *Trajecti ad Rhenum*, 1680, in-8°.

Grævii nomen mutuasse tantum videtur astutus librarius ad fraudem faciendam, quanquam ejus præfatio in capite legitur. Omnia indiligenter disposita et parum concinne; nec cum cura expressa.

Catulli, Tibulli, Propertii opera, interpretatione et notis illustrata a Phil. Silvio in usum Delphini. *Paris.* 1685, in-4°. Scaligerana recensio subjecta paraphrasi, 1685, in-4°.

Vide de ea judicium Fabricii, p. 56 (94 ed. nov.)

Catulli, Tibulli et Propertii opera, ad optimorum exemplarium fidem recensita. Acc. variantes lectiones e MSS. *Cantabrigiæ*, 1702, in-4°.

Splendida et inter ceteras conspicua editio ipsos poetas emendatissimos exhibet. Editor var. lect. adjecit quum ex aliorum annotationibus excerptas, tum ex Cod. Laudensi, Collationibus in margine Aldinæ adscriptis, aliis collationibus Octav. Ferrarii, item ex antiquis edit. Reg. Lep. Brix. Ven. Ald. Colin. Conf. quæ supra

de ea dicta sunt. Editorem Cantabrigiensis hujus editionis 1702, nominat Volpius Annal. Litt. Fascicul. I, pag. 18. Est *Annesley*, post comes *de Anglesey*.

Albii Tibulli, Equitis Romani quæ exstant, ad fidem veterum membranarum sedulo castigata. Accedunt notæ cum var. lect. libello. (Studio Jani Broukh.) *Amstel.* 1708, in-4°.

Scaligerum religiose in carminibus disponendis secutus est, minus in constituendo textu.

C. Valer. Catullus, A. Tibullus, Sex. Aurel. Propertius ex recensione Jo. Ant. Vulpii Bergomensis, cum ejusdem observationibus. *Patavii apud Jos. Corona*, 1710, in-4°.

Et adolescens, et nondum visa Broukhusiana, hanc emiserat vir doctissimus. Multa retractavit in editione posteriore.

Catulli, Tibulli, Propertii opera. Accedunt quædam eorumdem Poetarum carmina græce versa, cum oda Sapphus a Catullo latine reddita, et cum indice copioso. *Londini, Jac. Tonson*, 1715, in-12.

Michaelis Maittarii cura prodiit, qui plures alios auctores hac forma excudendos curavit; corpore quoque Poetarum edito, quo, ut in ceteris poetarum corporibus, Tibullum quoque comprehensum esse, monere opus non est. Ex Cantabrigiensi repetita est, una cum var. lect. Adjecta tabula, qua Scaligeranas transpositiones comparatæ sunt, item græca versio nonnullorum carminum a Scaligero et Florente Christiano facta.

Catullus, Tibullus, Propertius, ad fidem optimorum exemplarium recensiti, cum MSS. var. lect. margini appositis ad Celsissimum Aurelianensium Ducem. (Studio et opera *Mich. Brochard.*) *Paris, Coustelier*, 1723, in-4°.

Multa præclara minatur editor; nil tamen aliud egit, quam ut Scaligeranam recudendam traderet. Tam levis horum hominum fides est, si verborum ostentationem ad rerum argumenta referas. ad temporum rationes porro hic commemoranda est editio, de qua supra jam actum est:

Tibullus Corvinianus, seu Albii Tibulli, Triumviri poëtices, quæ supersunt. E codice MSS. Matthiæ Corvini Regis Hungariæ recensuit Samuel Koleserius a Keres-Eer. *Claudiopoli*, 1727, in-8°.

Catullus, Tibullus, Propertius, ad fidem optimorum librorum

accurate recensiti, quibus adjectum est Pervigilium Veneris. *Gottingæ ex offic. Acad. A van den Hoeck.* 1742 et 1762, in-12.

Catullus, Tibullus, Propertius, pristino nitori restituti, et ad optima exemplaria emendati. Acc. fragmenta Corn. Gallo inscripta. *Lugd. Batav.* (Paris. *Coustelier*), 1743, in-12.

Ad Scaligeranam recensionem excusa est; etsi solenni jactantiæ more ad optima exemplaria emendati poetæ in fronte prædicantur.

Albius Tibullus, Eques Romanus, et in eum Jo. Ant. Vulpii, Philologi ac Rhetoris in Gymnasio Patavino, novus commentarius diligentissimus. *Excudebat Jos. Cominus, Patavii,* 1749, in-4°.

Etiam de hac editione inter potiores merito habenda supra dictum est. Non commemorabo alias recentiores ex superioribus repetitas, etsi nitore forte et cura typographica notabiles, qualis Londinensis est 1749, apud *Jo. Brindley,* Parisiensis 1754, apud *Barbou,* Glasguensis Tibulli et Propertii 1753, in-8°, ex Broukhusiana expressa, Birminghamiensis typis elegantissimis *Jo. Baskerville,* 1772. Accessit iis editio splendore, elegantia et diligentia, Parmæ, curata a Bodonio : *Catulli, Tibulli, Propertii opera,* 1794, in-fol. maj. Præfuit ei vir doctus, in Tibullo maxime Heynianam recensionem sequutus.

Albii Tibulli carmina : Libri tres cum libro quarto Sulpiciæ et aliorum novis curis castigavit *Ch. G. Heyne, Lipsiæ,* 1755.

Quartum librum Tibullo abjudicat doctus vir, qui tamen multis in locis de poeta optime meritus novam prorsus editionum seriem inchoavit. Textum Heynii curis restitutum proximi deinde editores exarari jusserunt.

Albii Tibulli carmina, etc. *Gœtting,* 1762, in-12.

Singulæ quædam lectiones ex antiquioribus editionibus revocatæ ab Heynianis recedunt.

Albii Tibulli carmina : Libri tres cum libro quarto Sulpiciæ et aliorum novis curis castigavit *Heyne, Lipsiæ,* 1777, in-8°.

Albii Tibulli carmina, etc. *Biponti,* 1783, in-8°.

Heynii textum secutus est editor.

Albii Tibulli carmina, etc., novis curis castigavit *G. Heyne.* Ed. tertia emend. et auctior. *Lipsiæ,* 1798.

Prioribus quæ cura Heynii prodierunt editionibus a. 1755 et 1777, novæ accesserunt copiæ ac dotes e Cod. Guelf. et edit. recentt. collatis.

Albii Tibulli carmina. *Rotterdam*, 1805, in-12.

Nitide satis et accurate expressa, Heynium quoque auctorem sequitur.

Albii Tibulli carmina : Libri tres cum libro quarto Sulpiciæ et aliorum ex recensione Heyniana cum animadversionibus edidit E. C. *F. Wunderlich* philosoph. in acad. Gœtting. doctor. *Gœttingæ, apud Dankwerts*, 1809, in-8°.

Post hunc Jo. Henr. Vossius duas curavit editiones, quæ intra unius anni spatium lucem viderunt.

Albius Tibullus et Lygdamus, codicum ope emendati a Jo. Henr. Voss. *Heidelberg*, apud *Mohr et Zimmer*, 1811, in-8°.

Albius Tibullus und Lygdamus, nach Handschriften berichtiget von Joh. Heinr. Voss. *Ib. apud eosd.*, 1811, in-8°.

In priore quidem editione nonnisi nova textus recensio exhibetur : in altera vero adjunctus est etiam commentarius, quo vel lectiones, quas recepit, vel conjecturas quum suas ipsius, tum aliorum, quas intulit, defendere studuit. Ad textum vero constituendum undecim ille Codd., nondum collatis, et multis præterea editionibus antiquioribus usus erat.

Deinceps vir doctissimus, *Immanuel. Georg. Huschke*, professor Rostochiensis, anno MDCCCXIII primam libri primi elegiam, speciminis loco, recensuit atque illustravit; anno insequente eamdem repetiit, atque tertium et septimum ejusdem libri carmen adjunxit.

Albii Tibulli Elegiæ tres, diversitatem lectionis Vossianæ suasque animadversiones adjecit *Im. G. Huschke*. *Rostoch*, *ap. Adler*, 1814, in-4°.

Subsecuta est totius Tibulli editio quæ debetur Conr. Al. Bauero, regi Bavar. a consil. legat.

Albius Tibullus. Mit teutscher Uebersetzung, und einer Auswahl der vorzüglichsten prüfenden und erlauternden Anmerkungen verschiedener Gelehrten, 1816, in-4°.

Qua editione, quum per bibliopolam non vendatur, ideoque paucis tantum innotuerit, quid auctor præstare voluerit, breviter exponamus. In præfatione primum docte disseruit de vita Tibulli, deque tempore quum ipsius poetæ, quo vixerit, tum carminum, quo probabiliter scripta sint, accuratius constituendo; deinde de

Vossii ratione, qui tertium elegiarum librum Lygdamo adscribit, et carmen ad Messalam Tibullo vindicat, quid censeat, paucis declaravit, denique nonnulla editionibus hujus poetæ adjecit. Textui e regione posuit versionem vernaculam, subjectis brevibus notis, quæ interpretationem atque explicationem maxime spectant. In fine editionis tres exhibentur commentationes, in quarum prima de nova Jo. Henr. Vossii textus recensione, altera de ejusdem versione germanica disserit; tertia exponit de pede trochaico, qua lege in hexametros germanicæ linguæ admittendus sit. — Ceterum auctoris nomen, quod in titulo et præfatione omissum est, legitur in fine alterius commentationis, pag. 182.

Albii Tibulli carmina. Heynii edit. quarta nunc aucta notis et obs. F. E. Wunderlichii. *Lipsiæ*, 1817, in-8°.

In Heynii vestigiis non fideliter constitit auctor. Adjumenta emendandæ lectionis præter superiorum editorum copias apographa duorum Codd. Zwick. in partes vocavit.

Albii Tibulli carmina, etc.; ed. E. C. F. Wunderlich. *Gott.*, 1818, in-8°.

Albii Tibulli elegia decima libri primi annotationem adjecit Georgius Klindworth. *Lipsiæ*, 1818.

Albii Tibulli carmina, textu ad Cod. MS. et editiones recognito, concinniori lectionis varietate, etc.; edidit E. C. Christ. Bach. *Lipsiæ*, 1819, in-8°.

De poeta bene meritus, neque Heynianam neque Vossianam lectionem pressius secutus est, ut ipse in præfatione declarat.

Albii Tibulli carmina e recensione et cum animadversionibus Imman. C. Huschkii. 2 vol. *Lipsiæ*, 1819.

Hic, qua opinione sum, omnes omnium doctrina et ingenio longe post se reliquit.

Albii Tibulli, Propertii, edit. Tauchnitz. *Lipsiæ*, 18.

Albii Tibulli carmina ex post. Chr. Gotl. Heyn. castigatione edidit *J. A. Amar*. *Parisiis*, 1821.

Prodiit una cum Catullo inter scriptores latinos principes.

— Hactenus de editionibus. Ex scriptis virorum doctorum, quæ Tibullum spectant, hæc nobis innotuere:

H. C. A. Eichstadii Programma: disputantur nonnulla de iis,

quæ novo Tibulli editori vel cavenda vel faciunda sint. *Jenæ*, 1806, in-folio.

Eodem anno etiam *Jo. Aug. Goerenz* edidit programma :

Tentamen criticum in loca quædam carminum Tibullianorum. *Zwickav*. in-4°.

Epistola critica in Tibullum, Pseudo-Tibullum et Propertium, ad virum perillustrem H. C. A. Eichstadium, auctore Ern. Car. Chr. Bach. *Gothæ, apud Ettinger*, 1812, in-8°.

Denique aliquot ab hinc annis vir doctissimus Immanuel. Georg. Huschk. scripsit :

Commentat. ad Tibulli I, IX, 22, in *Frid. Aug. Wolf* analectis literar. fascicul. I, p. 164-184, 1816, in-8°.

De versibus nonnullis Tibulli..... scripsit I. F. Bellermannus. *Ienæ*, 1819.

De A. Tibulli vita et carminibus disputatio. Scripsit *Fred. Aug. Guil. Spohn* lit. græc. et lat. profes. ordin. Partis prioris. C. I-IV. *Lipsiæ*, 1819.

Egregiæ hujus dissertationis altera pars nondum in lucem prodiit : ne prior quidem absoluta est, et fateor me vehementer utramque desiderasse. Comperio nunc summo dolore sponnium, immatura morte nuperrime vitam commutasse.

— Tibulli versiones præcipuæ gallicæ.

Primus quod sciam Tibullum gallice loqui jussit abbas *de Marolles;* sed non obtemperavit ille. Vellet nollet tamen, Lutetiæ prodiit cum aliis latinis. 1655, 2 vol. in-8°.

Aliam una cum Catulli et Galli versione in lucem emisit *Pezai*, 1771, 2 vol. in-8°.

Tertia debetur abbati *de Lonchamps*, prodiit Parisiis, 1777, in-8°.

Quartam curavit *Pastoret. Parisiis*, 1784, in-8°.

Élégies de Tibulle, par *Mirabeau*. Quædam notæ gallice conscriptæ unicuique elegiæ post ponuntur. *Paris*, 1798, 3 vol. in-8°.

Élégies de Tibulle, traduct. de *C. L. Mollevault*. *Paris*, 1808.

Quinque editionibus repetita est hæc versio metrica qua passim in notis usus sum.

— Ex versionibus germanicis, quæ metrice scriptæ sunt, has indicasse sufficiet :

Tibull's Elegieen, lateinisch und deutsch, von Frid. Carl. v. Strombeck. *Goetting., apud Dietrich,* 1799, in-8°.

Adest etiam textus Heynianus.

Die elegischen Dichter der Romer, übersetzt von D. F. Koreff. tom. I (qui continet Tibullum). *Parisiis, apud Schœll.* 1810, in-4°.

Prodiit etiam sub titulo :

Tibulls Werke, der Sulpicia Elegien und einige elegische Fragmente andrer, von, etc.

Tibullus und Lygdamus, übersetzt und erklart von Joh. Heinr. Voss. *Tubing, apud Cott.* 1810, in-8°.

Denique novissima versio est Baüeri, de qua vid. supra.

VITA TIBULLI[1]

EX CODICE MS. BIBLIOTHECÆ[2] REGIÆ

DESCRIPTA A P. BURMANNO SECUNDO CUM LECTIONIS DIVERSITATE.

ALBIUS TIBULLUS, Eques Romanus[3], insignis forma cultuque corporis observabilis, ante alios Corvium (*Corvinum*) Messalam oratorem[4] dilexit, cujus et contubernalis Aquitanico bello[5] militaribus donis donatus est; hic multorum judicio, maxime Quintiliani, viri in studia litterarum acerrimæ licentiæ[6], inter Elegiographos summum obtinet locum. Epistolæ quoque ejus amatoriæ, quamquam bre-

[1] De vita fusius agemus ad voluminis calcem, absoluto commentario.

[2] Laudat Burmannus hunc Codicem simpliciter ad Anthol. Lat. Tom. I, p. 416. Nec accuratius eum designavit in schedula inserta Editioni Broukh. (in Bibl. Reg. Berolinensi) cui inscripsit Vitam supra repetitam.

[3] Codd. *Paris.* et *Lips. eques regalis.*

[4] Iidem libri cum ed. Venet. an. 1472, habent *originem* pro *oratorem*, cui voci Burmannus substituit *Imperatorem*. Tacitus Annal. XIII, 34. *Nerone tertium Consule simul iniit Consulatum* Valerius Messala, *cujus proavum*, oratorem Corvinum, *D. Augusto, abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse, pauci* jam senum *meminerant*. Nonnulli *auctorem* perperam. *Jam senum* autem conjunxit Tacitus, ut *jam juvenem* Tibullus I, IV, 33.

[5] Iidem libri *equitanico*. Edd. Venett. 1487–93, *contubernalis* lapidio: pannonico: et aquitano *bello*.

[6] Verba: *maxime.... licentiæ*, absunt a Cod. Lips. qui habet, *multorum judicio inter elegos princeps est habitus*. Voci *licentiæ* Burmannus substituit *diligentiæ* cum Ayrmanno, cui obloquitur Heynius, corrigens *Elegographos*.

f

ves, utiles sunt. Obiit adolescens[1], ut indicat Epitaphium infra scriptum :

Te quoque Virgilio comitem non æqua Tibullum
  Mors juvenem campos misit in Elysios,
Ne foret aut Elegis molles qui fleret amores,
  Aut caneret forti regia bella pede.

[1] *Adolescens*. Fort. *juvenis*. Sic enim in ipso carmine subjecto : *tempore Virgilii*, additur apud Broukhusium. BURM. Libri omnes habent *adolescens*.

TIBULLI VITA

AUCTORE HIERONYMO ALEXANDRINO[1].

ALBIUS TIBULLUS eques illustris et insignis forma in urbe romana ubi natus pergratus et militaribus ‡ et togatis signis fuit quum vir esset doctus + nec ‡ ut solent quidam vultum austerr ‡ et tristem sed hylarem ‡ et iocundum erga omnes habuit + Quippe Tibullus statura pulcher ‡ corpore agilis Facie iocundus ‡ lingua comis ‡ moribus dulcis ‡ et familiaris erat ‡ Ante alios vero sibi omni officio ‡ et benevolentia Messalla corvinus favit + Erat hic orator insignis ‡ atque conscilio et opera Octavius princeps gravibus in rebus ac maximis utebatur ‡ Amavit qui-

[1] Exstat hæc Vita etiam in Cod. Colbertino et Ed. Venet. an. 1475. Auctorem esse Hieronymum, patet e Vita Propertii, in cujus fine legitur : Vale gratissime lector ‡ et memor Hieronimi Alexandrini (mi) ‡ qui tibi tris uitas clarissimorum poetarum in lucem dedit Catulli Tibulli ‡ et Proptii +

dem Tibullum Messalla+ Eundemq; + et domi et foris multis donis + et favoribus sublevavit + Neque vero Tibullus fide minus integra quacunque in re obeunda solicitus + Sed percupidus honoris eius et cultor erat + Aegaeum vero cum eo navigans mare mala valitudine captus est + Tunc salutis causa proximam in terram phaeatiam bona cum Messallæ licentia conscilio voluntate concessit armaque posuit ibi + Ac spraetis qui divitias auro fulvo cūgererent + Ad litterarum ocia quae iam reliquerat rediit + Epistolas familiares ad Amicos complures et delectabiles + metro et prosa dedit + Libros autem tres amatoria de re suam ad deliam eligiato + metro scripsit + Sic enim quae nomine vero Plautia vocaretur hoc isto ficto nomine ac non suo appellavit + plura non scripsisse Tibullus memoratur + Obiit mortem in flore iuventutis Natus vero est hyrtio + et pansa consulibus biennio postquam cesus est Iulius Caesar + Natalis quoque ovidio Nasoni poetae annus idem fuit Se quidem memorat natum uterque versu isto Cum cecidit fato consul uterque pari + Nam ad liberandum brutum consules hyrtius + et pansa missi apud Mutinam fugatoque Antonio pempti sint + Haec sunt quae de Tibulli vita invenire potui +

CLARORUM ALIQUOT VIRORUM

DE

ALBIO TIBULLO

TESTIMONIA ET JUDICIA,

EX CETERIS, QUÆ PASSIM VULGATA SUNT, SELECTA.

Q. HORATIUS FLACCUS, *Od.* XXXIII, *Lib.* I.

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glyceræ, neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Læsa præniteat fide.

Idem, *Lib.* I, *Epist.* IV.

Albi, nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat? etc.

Paulo post :

Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
Di tibi divitias dederant, artemque fruendi.

P. OVIDIUS NASO, *Amor. Lib.* III, *Eleg.* IX.

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas tristia fata Deas;
Flebilis indignos, Elegeïa, solve capillos.
Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
Ardet in exstructo, corpus inane, rogo.
Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, et sine luce facem.
Aspice, demissis ut eat miserabilis alis;
Pectoraque infesta tundat aperta manu.
Excipiunt sparsi lacrimas per colla capilli,
Oraque singultu concutiente sonant.

Fratris in Æneæ sic illum funere dicunt
  Egressum tectis, pulcher Iüle, tuis.
Nec minus est confusa Venus, moriente Tibullo,
  Quam juveni rupit quum ferus inguen aper.
At sacri vates, et Divum cura vocamur:
  Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat:
  Omnibus obscuras injicit illa manus.
Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?
  Carmine quid victas obstupuisse feras?
Ælinon in silvis idem pater, Ælino , altis
  Dicitur invita concinuisse lyra.
Adjice Mæoniden, a quo, ceu fonte perenni,
  Vatum Pieriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno;
  Diffugiunt avidos carmina sola rogos.
Durat opus vatum, Trojani fama laboris,
  Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt;
  Altera, cura recens; altera, primus amor.
Quid vos sacra juvant? quid nunc Ægyptia prosunt
  Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?
Quum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
  Sollicitor nullos esse putare Deos.
Vive pius; moriere pius: cole sacra; colentem
  Mors gravis a templis in cava busta trahet.
Carminibus confide bonis: jacet ecce Tibullus.
  Vix manet e tanto parva quod urna capit.
Tene, sacer Vates, flammæ rapuere rogales;
  Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa Deorum
  Urere, quæ tantum sustinuere nefas.
Avertit vultus, Erycis quæ possidet arces.
  Sunt quoque, qui lacrimas continuisse negent.
Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus
  Ignotum vili supposuisset humo.
Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
  Mater; et in cineres ultima dona tulit:
Hinc soror in partem misera cum matre doloris
  Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis sua junxerunt Nemesisque priorque
  Oscula: nec solos destituere rogos.

Delia discedens: Felicius, inquit, amata
  Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis, quid ais? tibi sint mea damna dolori?
  Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen et umbra,
  Restat, in Elysia valle Tibullus erit.
Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus
  Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,
  Sanguinis atque animæ prodige, Galle, tuæ.
His comes umbra tua est, si quid modo corporis umbra est.
  Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna:
  Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Idem, *Amor. Lib.* I, *Eleg.* XV, v. 27.

Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
  Discentur numeri, culte Tibulle, tui.

Idem, *Artis Lib.* III, v. 333.

Et teneri possis carmen legisse Properti;
  Sive aliquid Galli; sive Tibulle, tuum.

Idem, *Remed. Amor.* v. 763.

Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli,
  Vel tua, cujus opus Cynthia sola fuit?

Idem, *Trist. Lib.* II, v. 447.

Credere juranti durum putat esse Tibullus*,
  Sic etiam de se quod neget illa viro.
Fallere custodem demum docuisse fatetur,
  Seque sua miserum nunc ait arte premi:
Sæpe velut gemmam dominæ signumve probaret,
  Per causam meminit se tetigisse manum.
Utque refert, digitis sæpe est nutuque locutus,
  Et tacitam mensæ duxit in orbe notam:
Et quibus e succis abeat de corpore livor,
  Impresso fieri qui solet ore, docet.

* Hæc omnia paulo tantum inflexa, leguntur apud ipsum Tibullum Lib. I, Eleg. VI.

Denique ab incauto nimium petit ille marito,
Se quoque uti servet, peccet ut illa minus.
Scit cui latretur, quum solus obambulat ipse,
Cur toties clausas exscreet ante fores.
Multaque dat talis furti præcepta, docetque
Qua nuptæ possint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi; legiturque Tibullus,
Et placet: et jam te principe notus erat.

Idem, *Trist.* IV, x, 51.

Virgilium vidi tantum: nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Successor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi:
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Idem, Ibid, *Lib.* V, I, 15-18.

Delicias si quis, lascivaque carmina quærit,
Præmoneo, nunquam scripta quod ista legat.
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris,
Aptior, ingenium come, Tibullus erit.

C. Velleius Paterculus, *Hist. Lib.* II, *cap.* XXXVI.

Pæne stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maxime nostri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, et consecutus Sallustium Livius, Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis sui.

M. Fabius Quintilianus, *Instit. Orat., Lib.* X, *cap.* I.

Elegia Græcos quoque provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus.

P. Papinius Statius, *Lib.* I, *Silv.* II, v. 252.

.....Hunc ipse, choro plaudente, Philetas
Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro
Ambissent laudare diem; nec tristis in ipsis
Naso Tomis, divesque foco lucente Tibullus.

M. Valerius Martialis, *Lib.* IV, *Epigr.* VI.

....Qui compositos metro Tibulli,
In Stellæ recitat domo libellos.

M. VALERIUS MARTIALIS, *Lib.* VIII, *Epigr.* LXXIII.

Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli:
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.

Idem, *Lib.* XIV, *Epigr.* CXCIII.

Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum,
In tota juvit quem nihil esse domo*.

L. APPULEIUS, *Apologia.*

Accusent..... et Tibullum, quod ei sit Plautia in animo, Delia in versu.

C. SOLLIUS SIDONIUS APOLLINARIS, *Carm.* 9.

Non Geticulus hic tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus.

Idem *ad Hesperium.*

Memineris, quod sæpe versum complevit Delia cum Tibullo.

DIOMEDES GRAMMATICUS, *Lib.* III, *cap.* VI.

Quod genus carminis (Elegiam) præcipue scripserunt apud Romanos Propertius et Tibullus, imitati Græcos Callimachum et Euphormionem.

JOANNES BAPTISTA PIUS, *Annot. poster. cap.* CXV.

Princeps Elegorum poetarum est dubio procul Albius Tibullus, quia vere, non dissimulanter aut obnoxie, amantem agit; modo superbit, modo supplicat, annuit, renuit, minatur, intercedit, dedignatur, devovet, orat, inconstans est, quod voluit non vult, quod optavit refugit, secum dissidens, ut in vera cupidinis rota illum circumagi credas. Non deest tamen in tanto lepore verborum suus nitor et reconditarum rerum cognitio.

ANGELUS POLITIANUS, *Nutric.* v. 539.

....Ut tersi memorat pia Musa Tibulli,
Musa sibi primos quæ jure adsciscit honores
Imparibus numeris, ni blanda Propertius ora
Solvat, et ambiguam faciat certamine palmam.

* Vide Tibullum, Lib. I, Eleg. v, v. 30.

JULIUS CÆSAR SCALIGER, *Poetices*, *Lib.* VI, *cap.* VII.

Facilius e Tibulli locis expediemus censuram nostram. Uniformis ille pæne totus est, vixque discedens ab se ipso eodem pæne gyro concluditur. Audis enim casas, focos, rura, nemora, præla, spicas, sacra tum sæpe, tum multum. Omnium vero cultissimus, nec redundans in elegia.

JOACHIMUS CAMERARIUS, *in Elementis Rhetoricæ.*

Ego vero quoties Tibulli carmina lego, nihil amplius requiro neque venustatis, neque elegantiæ : doctrinam autem et eruditionem admiror. Omnia arte studioque summo elimata mihi videntur : itaque in maxima facilitate illa, cura tamen elaborationis conspicitur. Verba optima, sententiæ exquisitæ, compositio omnibus, ut aiunt, numeris perfecta. Ex quo necesse est hoc consequatur, carmina, ut sint et canora, et splendida, et concinna.

HADRIANUS TURNEBUS, *Advers. Lib.* XVI, *cap.* XIX.

Tibullus, ille politus suavisque poeta, et quidem Phœbeus olor, in quo sincerus esse videtur et ingenuus Latini sermonis sapor, nullo peregrino vitiatus succo.

JACOBUS SANNAZARIUS, *Lib.* II, *Eleg.* I.

Battiaden docti sectatur Musa Properti :
  Flaccus Pindaricos dividit aure modos.
Passeris exsequias fracto canit ore Catullus :
  Tu Nemesin laudas, culte Tibulle, tuam.

JUSTUS LIPSIUS, *Var. Lect. Lib. I*, *cap.* XXI.

Tibullus elegans cumprimis poeta, et in cujus purissimis scriptis nativa quædam et vernacula Latinæ linguæ munditia relucet.

ISAACUS CASAUBONUS, *Lection. Theocrit. cap.* XVII.

Conferant tamen studiosi poeticarum amœnitatum Idyllium hoc cum poetæ cultissimi Tibulli Elegia quarta, libro primo. Nam illa videntur ad Theocriti imitationem dicta :

Carmine purpurea est Nisi coma : carmina ni sint,
  Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

FRANCISCUS MODIUS, *Silv. Carm.* XV, *ex persona Tibulli.*

Ut Cidnus nullas sordes, nitidissimus amnis
Volvit, et a limo purus ubique fluit:
Sic mea, Romanas inter castissima Musas,
Undique nativo culta decore nitet.
Ergo aliæ placeant ornatu trans mare sumto:
Nostra suo, et patrio si placet una, sat est.

ANDREAS SCHOTTUS, *Nodor. Ciceron. Lib.* I, *cap.* VII.

Tibullus autem elegans Latini sermonis poeta.

Idem, ibidem, *cap.* VIII.

Est purus et elegans, bonusque Latinitatis auctor Tibullus, Eques et ipse Romanus, qua tempestate, ut hodieque, nobilium quam plebeiorum cultior ac politior sermo fuit.

Idem, *Observat. Human. Lib.* II, *cap.* XIII.

Scitus et elegans tum in verbis, tum in numeris Tibullus: sed qui e Græcis fontibus pleraque expresserit.

CASP. BARTHIUS, *Lib.* IV, *Advers. cap.* XI.

Et quis melior Tibulli expositor, quam Tibullus? qui tot sæculis parem non habuit, ac ne imitatorem quidem, quem sane nostra sæcula legant? Et sæpissime miratus sum hoc fatum Romanæ Ecclesiæ; et floruisse et defloruisse una ætate Amatoriam ejus Venerem, quantum quidem ad nos pertinet: nam Martialis et Papinii ætate, quod ex ipsis et Plinio etiam juniore constat, talia non pauci scripserunt. Verum cum ipsis fere nominibus et hi et sequentis ævi interierunt.

VINCENZO GRAVINA, *nel Discorso delle Favole antiche.*

Tibullo è pieno di soavità, di grazia, di tenerezza, di passione, di purità, e d' eleganza, tanto nel numero quanto nelle parole, maravigliosa, e perfetta.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS.

Talis in Aonidum patria, silvisque beatis
Perfluit æternus sancta vireta liquor.

Illic largifluas vatum chorus omnis ad undas
  Inter odoratum ludit amatque nemus.
At myrti vacua solus gemit unus in umbra
  Quem circum lacrimis omnia plena madent.
Hunc quondam facilem pharetrato semper Amori
  Ipsa Venus campos duxit in Elysios.
Hoc duce carpe viam. Sed enim tu mente pudica,
  Caste puer, castis carmina finge modis.
Ipse quidem, nec vera nego, Sulmonis aquosi
  Ad Musas propius monstrat Alumnus iter:
Sed tantum superat facundi Musa Tibulli,
  Quantum voce alias Daulias ales aves.

Nostrates innumeras Tibullo laurus impertiti sunt, ut nullus fere poeta in carminibus egregium elegiæ romanæ principem illaudatum prætermiserit; sat erit hoc loco judicium transcripsisse, quod de Albio Gallicus pronuntiavit Quintilianus *La Harpe*, in opere dicto *Lycée*, vol. II, p. 209.

« C'est à Tibulle qu'il en faut revenir; c'est lui qu'il faut relire » quand on aime; c'est en le lisant qu'on se dit: Heureux l'homme » d'une imagination tendre et flexible, qui joint au goût des vo- » luptés délicates le talent de les retracer, qui occupe ses heures » de loisir à peindre ses momens d'ivresse, et arrive à la gloire en » chantant ses plaisirs! C'est pour lui que le travail de produire de- » vient une nouvelle jouissance. Pour parler à notre ame, il n'a » besoin que de répandre la sienne. Il nous associe à son bonheur » en nous racontant ses illusions et ses souvenirs; et ses chants » pleins des douceurs de sa vie, ses chants qui ne semblaient faits » que pour l'amour qui repose, ou pour l'oreille de l'amitié con- » fidente, sont entendus de la dernière postérité. »

ELEGIARUM ARGUMENTA.

ARGUMENTA cur non singulis elegiis præfixerim, audi nunc, amice lector; duobus causis maxime adductus sum ut ea omnia hoc loco exhiberem, quarum prior hæc est: poetas recentiores sive Gallos, sive Germanos absque ulla editorum interpretumque lucubratione legimus. Quis unquam elegias egregias quas cecinit *Parny* argumento onerare ausus est? quis tersam eximii *Bertin* elegantiam fœdo elencho dehonestavit? Nonne satis erit notis, commentariis, disquisitionibus veterum poemata impediisse; excursus insuper et notitias litterarias addidisse? An etiam in fronte carminis, lectorem ab aditu prohibebit argumentum? Altera causa cur seorsum hic compareant summaria, majoris adhuc momenti mihi visa est: ordinem spectat quo conscriptæ fuerint elegiæ, secundum temporum seriem; qua in re ab omnibus editoribus dissentio, in alia prorsus discedens. Certo nimiam audaciam professus essem, si nulla dubitatione adhibita opinionem meam textui ipsi obtrusissem, superscriptis iis, quæ fortasse nihil nisi vana somnia sunt. Cæterum, ne facultate careres primo intuitu unamquamque elegiam cognoscendi, tabulam ad calcem voluminis consueto more locavimus; ibique simul breve argumentum una tantum lineola pro singula elegia expressum. Jamdudum apud omnes constat Horatii, Virgilii aliorumque carmina nullo temporis ordine servato in libros digesta esse. De Tibullo idem obtinet, ut in vita ostendemus. Hic vero librorum vestigia prementes, numerosque superscriptos servantes, argumenta eodem ordine, quo

nunc leguntur ipsæ elegiæ, exponimus. Nihilominus sententiam nostram de serie restituenda addimus, ampliorem de hac re disquisitionem in Vitam relegantes.

LIBER PRIMUS.

ELEGIA PRIMA.

Crediderim hanc ordine tertiam esse, et tunc conscriptam quum Tibullus e Corcyra, ubi ægrotaverat, Romam rediit, anno U. C. secundum Varronem 727. Constat verbis *te bellare decet terra, Messala, marique* ducem hunc eo tempore adhuc in expeditione implicitum; quod non facile aliter explicare poteris, quam si Ægyptiacam intelligas; Gallicæ enim interfuit ipse Tibullus : *non sine me est tibi partus honos*, (eleg. VII, 9.) Quinadeo et in Ægyptum Messalæ comes profecturus erat poeta, quem Corcyræ morbus oppressit, ita ut, vix inde resurgens, divitias quas speraverat detestaretur, jam nihil aliud agens quam ut puellam citissime reviseret, *jam, modo non, possum contentus vivere parvo*, v. 25. Hunc versum et præcipue τὸ *modo non* ita intelligo : modo accisas patrum opes augere cupiens, nunc parvo contentus sum; *o quantum est auri potius pereatque smaragdi, Quam fleat ob nostras ulla puella vias.* Ut opinor, Tibullus e Gallia redux Deliam Romæ deperiit, annos natus circiter octodecim, ita ut prima stipendia, consueto more Romanorum, septimo decimo anno meruerit.

ELEGIA II.

Hanc cultro in minutas partes discerpserunt interpretes, quum tamen optime cohæreant ab initio ad finem usque versus omnes, ut in commentario ostendimus. Poeta queritur ob Deliæ suæ clausam januam, tum puellam adhortatur ut maritum decipiat; deinde sagæ laudat artes, denique rursus portæ obseratæ memor, exclamat *num Veneris magnæ violavi numina verbo :* et ad finem usque querimo-

niis indulget. Quod ad tempus attinet, opinor hanc elegiam, non nisi post librum tertium integrum natam esse; de Delia enim jam nupta agitur, et est Delia, ni fallor, eadem cum Neæra, ut in Vita reperire est. Suspicor insuper, primi libri quintam et sextam circa idem tempus conscriptas esse.

ELEGIA III.

Hæc mihi ordine secunda videtur. Tibullus qui Gallia reversus, amore in Deliam ardebat, nihilominus Messalam ad bellum secuturus erat in Ægyptum, licet *ingressus iter* offensus *in porta signa* dederit pes. Nunc omnem peregrinandi morem detestatur, aureique sæculi vitam prædicat. Deinde de morte et locis inferis cogitat. Redit autem inde ad vota pro salute et reditu in patriam.

ELEGIA IV.

Hanc inter poetæ postremas habendam censeo; inter eas scilicet, quæ post exstinctum in Deliam amorem scriptæ sunt; ita ut fere eodem tempore Tibullus in Marathum pravo desiderio raptus sit, quo Cerintho et Sulpitiæ carmina subministravit, ipse a puellis alienus donec rursus eum Nemesis retibus suis intricaverit. Enarrat artes quibus puerorum animus ad obsequium pellici possit. Partes docentis agit hic Priapus, et consultus respondet tanquam alter Apollo. Incidit fortasse hæc elegia in annos U. C. 732, 733, 734; perinde ac octava et nona ejusdem libri.

ELEGIA V.

Hæc secundam subsequitur, sextam vero antecedit quas omnes lubenter ad annum Urbis 729 vel 730 retulerim, quum Neæræ suæ jam Deliæ primam appellationem poeta reddiderit. Delia hic præter virum alios adhuc amatores, eosque divites admittere videtur, pristini pudoris oblita. Tibullus, qui illa se carere facile posse crediderat, nunc iterum amore vel potius cupidine incensus, injuriam puellæ a se factam deprecatur; et quam bene de ea, quum morbo ægrotaret meritus sit commemorat, denique lenam exsecratur quæ divitem amatorem ad Deliam adduxerat.

ELEGIA VI.

Ejusdem esse anni fere, cujus superior, videtur hæc. Poeta misere anxius multa comminiscitur, quibus aut furta puellæ arguere, aut eam ad meliorem mentem revocare conatur. Tandem matris puellæ recordatur summo cum affectu, quum eam studiosam sui et amoribus propitiam expertus esset.

ELEGIA VII.

An. U. C. 727, triumphum Messalæ Aquitanicum et simul ejus natalem celebrat. Enumerat, quod poetæ facere solent, loca in quibus Messala præterea res gessit, et, Ægypto commemorata, incidit in Osirin, quem tandem cum genio ad diem natalem celebrandum advocat, et pro Messala vota facit. Ordine fortasse sexta est earum quæ supersunt.

ELEGIA VIII.

Quod ad tempus attinet, te ad quartæ argumentum refer. De amore Marathi in Pholoen agit hoc carmen. Erat Marathus multorum, etiam Tibulli votis expetitus, ipse cultu sibi et ornatu placens : quem in gravem puellæ amorem incidisse, multis argumentis poeta deprehenderat. Nec tamen novus ille erat amor, sed ex longa cum Pholoe, quæ prior formosum puerum appetiverat, consuetudine natus : quo observato, Pholoe ad puellares artes edocta, superbe et fastidiose puerum habuit, eumque solita cum calliditate, modo elusit, modo excruciavit. Immiscet poeta monita et objurgationes puellæ, ne puerum illa ulterius torqueat.

ELEGIA IX.

Ad eumdem annum referenda. Marathus rursus adest, quem lector longe exsulare vellet. Pueri muneribus corrupti avaritiam et perfidiam graviter accusat poeta : hinc acerbe invehitur in corruptorem, eique mala summa apprecatur, uxoris adulteria et sororis temulentiam. Puero autem pœnitentiam facti prædicit.

ELEGIA X.

Ex ipsis Elegiæ verbis liquet poetam hæc scripsisse, quum militatum abiturus esset cum Messala, *et jam quis forsitan hostis Hæsura in nostro tela gerit latere*. Et est sane expeditio illa, ad quam, neglectis præsagiis, profectus erat revera, quum Corcyræ æger remansit; unde sequitur hoc carmen anno 726 vel ineunti 727 tribuendum esse, ita ut reliquas Elegias omnes præcesserit. Bellum exsecratur poeta, pacis bona laudans inque his amoris lusus. Utrum Deliam tunc noverit necne Tibullus, parum constat, qui eam fortasse paucos ante discessum dies vel menses primum vidit et adamavit. Licet puellam hac elegia silentio præterierit, potuit vel clam se, amore nascente, in illam rapi, ita ut jam belli tædium eum teneret.

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA PRIMA.

Elegia hæc primæ superioris libri subjicienda est, si temporis rationem spectas. Messalæ enim de Gallis victoria memoratur v. 33. Neque de Asia meminit, ubi, absens Messala, v. 31, adhuc agebat ut videtur, nondum superatis hostibus. Licet dicere possis Messalam non ante reditum ex Asia Gallicum celebrasse triumphum, sententia nostra nihil inde damni referet. Vox enim *triumphis* ad ipsam victoriam de Gallis reportatam trahi potest, quamvis solemnitas triumphalis nondum subsecuta sit. Sacrum ambarvale describit. Ovidius totum hoc argumentum ad sementivas ferias transtulit. *Fast.* I, v. 658 sqq. ubi ei Tibullum ob oculos fuisse manifestum est. Noster primo loco indicit festum diem, tum preces facit ad Deos, commemorat epulas festas, et inter vota Messalæ mentionem facit ingeniose. Inde ad laudes ruris convertitur.

ELEGIA II.

Superiores omnes, tertium librum integrum, imo quartum scripsisse Tibullum suspicor antequam hanc elegiam caneret ad Cerinthi

Natalem celebrandum. Tunc enim jam duxerat Sulpitiam ille ut ostendit hujus elegiæ v. 11, *uxoris fidos optabis amores*. Itaque existimo poetam nostrum jam Nemesin circa idem tempus amasse, ut e sequentis elegiæ primo versu patet *rura meam, Cerinthe*, etc. Tibullus tunc egregiis in Deliam carminibus illustris, Sulpitiæ sub nomine latens, quarti libri elegantes versus Cerinthi amoribus largitus erat.

ELEGIA III.

Hinc ad libri finem de Nemesi agitur, quæ Tibulli ultimus amor fuit; has elegias itaque circa, an. 733, 734, 735, ortas merito dixeris, sed inverso ordine, trajectaque quinta, ut inter tertiam et quartam appareat. Cæterum hic rusticari gestit Tibullus, propter amicam rus abductam, seque tuetur Apollinis exemplo; deinde de puellæ cupiditate conqueritur.

ELEGIA IV.

Nemesis amore devinctus, quum ea munera postularet, de ejus avaritia acerbe conqueritur; deos hominesque accusat, diras facit puellæ; constituit tamen miser vel paternis bonis venditis extundere munera quibus illam expugnet. HEYN.

ELEGIA V.

M. Valerio Corvino Messalæ duo erant filii, alter Marcus qui consul fuit cum Cornelio Lentulo a. U. C. 750, alter Lucius, datus in adoptione ingenti Aureliæ et dictus L. Aurelius Cotta Messalinus Volusus. Alteri eorum gratulatur Tibullus, quod in collegium quindecim virorum sacris faciundis et inspiciundis libris sibyllinis cooptatus fuerit. Primum Apollinem invocat ut sacris hujus diei solemnibus adsit, narrat inde præclarum Sibyllæ oraculum.—Romæ fata.—Tum prodigia sub illud tempus visa repetit, habetque in votis ut ea porro abolita et sublata sint; contra memorat meliora omina ex lauro in ara accensa, et exponit bona, quæ inde sint consequutura, inque his bonam messem, vindemiam ac feturam pecudis, fecundaque matrimonia: inde festos dies ab agrestibus hilariter peragendos inque iis lusus amatorios; inter quos sui ipsius amoris

parum secundi meminit. Facit tandem vota pro Messalino ejusque patre. HEYN.

ELEGIA VI.

Æmilio Macro ad militiam profecto, hoc idem se facere velle minatur, ut puella relicta militatum discedat; at quam impar tali auso futurus sit mox reputat. Tum ad miserationem conversus Nemesin obtestatur per Manes sororis, quæ circa illud tempus violenta morte, de fenestra præcipitata, interierat. HEYN.

LIBER TERTIUS.

ELEGIA PRIMA.

Tibullus jam per aliquod tempus Corcyra reversus, levem ac infidum puellæ animum suspicabatur, neque tamen omnino compertum habebat utrum novo studeret amori illa nec ne (sive sibi conjux, sive futura soror, v. 27) (seu, mea seu fallor, cara Neæra tamen, v. 6). Hinc crediderim hanc elegiam post secundam, tertiam et quartam hujus libri, emissam esse a poeta; in quibus Neæræ sive potius Deliæ in se amorem nondum suspectum habet, nisi forte exeunte quarta tale aliquid subodoratur. — Kal. Martiis ex more munera puellæ mittit.

ELEGIA II.

Hæc cum binis sequentibus primam præcedere secundum temporis seriem jam ostendimus. Poeta, post puellæ discessum, vitæ tædio victus, de funere jam cogitat, optatque ut Neæra ante rogum fleat, deinde ceremonias describit funebres.

ELEGIA III.

In eodem discidio conscripta. — Vota sibi ait fuisse nulla nisi ut cum Neæra vitam exigeret; sine ea si vivendum sit, vitæ munus deprecatur. HEYN.

ELEGIA IV.

Elegia hæc somnium exponit per quod Apollo ei apparuerat, et de Neæræ inconstantia dataque alii viro fide monuerat. Hic itaque prima suspicio nascitur, quam in prima elegia jam auctam esse vidimus; prima enim ordine temporis, hanc sequatur oportet.

ELEGIA V.

Mihi, ut videtur, poeta ob amoris nimias sollicitudines ægrotabat; Neæram enim alii favere jam liquido compertum erat Tibullo, qui hoc infortunio maxime percussus, ad amicos scribit, qui Thermas in Etruria adierant. Sexta elegia inter hanc et superiorem ponenda est: non quidem qualiter eam editores proferunt sexaginta versibus longam, sed qualis in libris omnibus occurrit, triginta duobus. Ita enim poeta qui hac, valetudini obnoxius, jamjam moriturus jacet, sexta (id est antecedente) dolet tantum, neque spe adhuc omnino caret.

ELEGIA VI.

Vide quæ ad quintam diximus. Æstuat miseri amantis animus in omnes partes distractus; vino dolorem excutere frustra conatur. *Venti temeraria vota.... diripienda* ferunt.

ELEGIA VII.

Cur novam constituerim e 32 duobus versibus, qui in reliquis editionibus sextæ elegiæ perperam adtexuntur, in notis fusius explicui. Poeta qui vino, qui *securæ mensæ* frustra confisus, nihil inde ad sanandum amorem profecerat, fatetur, male componi risum mendaci ore. Nihilominus Lenæi patris memor, tristia verba exsulare jubet. Tunc juvenes monet ne puellæ perjuriis sese capi sinant, ac subito de amica commonefactus, ejus perfidiam valde saucius deflet: denique amorem rursus parvi pendere videtur. Scripta hæc elegia tunc quum Delia, alii nuptura, ipsius ignem contemnebat, neque jam dolorem amici curabat. Hic videre est, quomodo poeta paulatim suspicione anxius, mox mali violentia in dies crescente, tandem in morbum inciderit (vide elegiam quintam), deinde refectus paulatim, modo pristino affectu raptus sit, modo vulneri mederi cupiens, eo

perveneri ut etiam sine Delia vivere posset, quam (eleg. II, V, VI, lib. I) denuo, licet nuptam, in deliciis habuit, non juvenili quidem et puro igni, sed libidinoso et lascivo; puella jam plures admittente: *illa quidem tam multa negat... sic etiam deme pernegat usque viro.* Hanc elegiam cum sexta quintæ præfigas.

LIBER QUARTUS.

CARMEN PRIMUM IN MESSALAM.

Primum excusat tenuitatem ingenii sui. Inde laudem orditur a virtutum prædicatione, quas in castrenses et forenses dispescit: comparat Messalam cum Ulysse; cujus mentione facta, in errores ejus evagatur. Commemoratis postea populis, ex quibus triumphos habiturus esset Messala, incidit poeta in descriptionem orbis terrarum. Denique addictum Messalæ se profitetur in perpetuum. Si quæras quo tempore hoc carmen scripserit Tibullus, respondebo, *nunquam*.

CARMEN II.

Sulpiciam laudat, pulcherrimam et jucundissimam puellam, quam Cerinthus deperibat, mutuo amore fruens. Martem advocat ipsum ut illam mirari possit kalendas Martias de more celebrantem; postea vota suscipit pro hujus festi felici reditu.

CARMEN III.

Queritur Sulpicia, Tibulli ut opinor verbis, ob Cerinthum venationi deditum; hunc in posterum sequi vult ad casses et per silvas. Elegiæ quæ Cerinthum et Sulpiciam spectant, tunc temporis scriptæ videntur, quum Tibullus amore in Deliam liberatus, Nemesin nondum noverat.

CARMEN IV.

Tibullus suis ipsius verbis usus, nullique sublatens ficto nomini, Phœbum advocat, ut ægrotanti puellæ *medicas* applicet *manus*: solatur deinde Cerinthum amatorem.

CARMEN V.

Nomine Sulpiciæ Cerintho mittitur hoc carmen, quod revera Tibulli est. Occasione natalis vota pro mutui amoris constantia facit puella.

CARMEN VI.

Tibullus ipse natalem Sulpiciæ diem celebraturus, ad Junonem preces fundit, ut amorem Cerinthi perpetuum conservet conjugioque faveat, quamquam puellæ matre non adnuente.

CARMEN VII.

Potita votis suis puella et Cerinthi amplexibus perfruita exultat præ gaudio. Noli mirari eam absque ullo pudore omnia aperte edicere, cui Tibullus interpres erat.

CARMEN VIII.

In villam ad natalem suum celebrandum abducta Sulpicia se ab amatore suo divelli ægre fert. Messalæ fuisse in eo itinere et festo apparatu partes aliquas ex v. 5, colligitur, unde etiam suspicio fit, Messalam amavisse Sulpiciam. An vero Messala ad natalem celebrandum rus eam invitaverit, quod Scaliger tanquam exploratum ponit, equidem non diserte commemoratum video. Quid? quod nec illud admittendum videtur quod ad natalem suum in villa celebrandum illa abducta putatur; nam e sequenti carmine potius sic statuendum : quavis alia de causa rus illam abiise : incidisse tantum iter in illum ipsum diem qui puellæ natalis erat. Nam Cerinthi vix esse potest, quia *invisus* adjectum est. HEYN.

CARMEN IX.

Cerintho Sulpicia se natali Romæ mansuram esse nuntiat.

CARMEN X.

Vulgaris puellæ amplexibus indulsisse Cerinthum suspicatur Sulpicia, eumque hac de re reprehendit.

CARMEN XI.

Sulpicia ex febri laborans, Cerintho se sollicitam esse de ipsius amore profitetur et se convalescere, idem si Cerintho fuerit optatum, cupit.

CARMEN XII.

Levitatem suam, quod Cerinthum reliquerit solum, excusat puella.

CARMEN XIII.

Hæc elegia (mea sententia) ad Deliam pertinet, et post primam libri primi legenda est. Ordine vero temporis servato eam merito quartam numeraveris. Jurat poeta puellæ suæ, se ei uni perpetuo serviturum: mox quum se præcipitanter hoc jurasse intelligat, quum puella hac constantiæ professione adduci possit, ut de ejus amore nimis secura, in alios ipsa amores proclivis sit, ad preces supplices confugit.

CARMEN XIV.

De perfidia puellæ sollicitus, tantum hoc in votis habet ut ipse surdus sit. Hoc carmen, quæ mea sententia sit, optime post quintam primi libri elegiam legetur, lasciviente jam Delia et alios amatores clam marito clamque Tibullo admittente.

De singulis argumentis, quatuor librorum ordinem secuti, jam quæ sentiremus diximus. Superest ut elegias secundum seriem temporum disponamus, denique ut Scaligeri trajectiones cum vulgatis editionibus conferamus, et rursus vulgatas editiones et libros scriptos cum illius depravationibus. Tres igitur submittimus tabulas quarum prima elegias ordine chronologico exhibet, reliquæ vero duæ vulnera a Scaligero Brouckhusioque illata sanant, comparandisque inter se variis editionibus inserviunt.

TABULA PRIMA.

ELEGIÆ SECUNDUM SERIEM TEMPORUM DISPOSITÆ.

(Numeri arabici ordinem indicant quo quæque elegia composita fuerit.)

1. Elegia X.	Libri primi.		An. U. C. fere 727.
2. . . . . . . III.	. . . .		
3. . . . . . I.	. . . .		
4. . . . . . . XIII.	Libri quarti.		
5. . . . . . . I.	Libri secundi.		
6. . . . . . . VII.	Libri primi.		
7. . . . . . . II.	Libri tertii.		An. U. C. 728, 729 ad 732 vel 733.
8. . . . . . . III.	Libri tertii.		
9. . . . . . . IV.	Ejusdem.		
10. . . . . . . I.	. . . .		
11. . . . . . . VI.	. . . .		
12. . . . . . . VII.	. . . .		
13. . . . . . . V.	. . . .		
14. . . . . . . II.	Libri primi.		
15. . . . . . . V.	Ejusdem.		
16. . . . . . . XIV.	Libri quarti.		
17. . . . . . . VI.	Libri primi.		— Huc usque Deliæ regno subditus vixit.
18. Elegia IV.	Libri primi.		Marathum spectant tres illæ elegiæ.
19. . . . . . . VIII.	Ejusdem.		
20. . . . . . . IX.	. . . .		

21.	II.	Libri quarti.	De Sulpiciæ et Cerinthi amoribus fortasse annis 732, 733, conscriptæ.
22.	III.	Ejusdem.	
23.	IV.	. . . .	
24.	V.	. . . .	
25.	VI.	. . . .	
26.	VII.	. . . .	
27.	VIII.	. . . .	
28.	IX.	. . . .	
29.	X.	. . . .	
30.	XI.	. . . .	
31.	XII.	. . . .	
32.	II.	Libri secundi.	
33.	III.	Libri secundi.	Amore in Nemesin ardebat, ut videtur: exeunte an. 733 ad 735 vel fortasse 736.
34.	V.	Ejusdem.	
35.	IV.	. . . .	
36.	VI.	. . . .	

TABULA SECUNDA,

SIVE

INDEX IN CARMINA ET VERSUS DIVERSARUM EDITIONUM,

NUMERORUM DIVERSITAS ILLATA PER SCALIGERI ET BROUCKHUSII TRANSPOSITAS CARMINUM PARTES.

Edd. vulgatæ et Codd.		*Scaliger et Brouckhus.*	
	LIBER PRIMUS.		
Eleg. I.	1, 2, 3, 4. (Quem labor.)	Eleg. I.	1, 2, 45, 46.
—	5, 6.	—	3, 4.
—	7, 8, 9, 10.	—	9, 10, 7, 8.
—	11, 12.	—	15, 15.
—	13, 14.	—	17, 18.
—	15, 16.	—	19, 20.
—	17, 18.	—	21, 22.
—	19, 20.	—	23, 24.
—	21, 22.	—	25, 26.
—	23, 24.	—	27, 28.
—	25, 26, 27, 28.	—	47, 48, 49, 50.
—	29, 30, 31, 32.	—	9, 10, 11, 12.
—	33, 34.	—	33, 34.
—	35, 36.	—	13, 14.
—	37, 38, 39, 40.	—	29, 30, 31, 32.
—	41—50.	—	35—44.
—	51—58.	—	51—58.
—	59—78 f.	—	73—92 f.
Eleg. II.	1—64.	Eleg. II.	1—64.
—	65—70.	Eleg. I.	67—72.
—	71—78.	—	59—66.
—	79—98 f.	Eleg. V.	37 ad f.
Eleg. III.	1—94 f.	Eleg. III.	1—94 f.
Eleg. IV.	1—8.	Eleg. IV.	1—8.
—	9—14.	—	69—74.
—	15—38.	—	11—34.
—	39—40.	—	9—10.
—	41—74.	—	35—68.
—	75—84 f.	—	75—84 f.

h

TABULA SECUNDA.

Edd. vulgatæ et Codd.		*Scalig. et Broukchus.*	
Eleg. V.	1—36.	Eleg. V.	1—36.
—	37—68.	Eleg. VI.	1—32.
—	69—70.	—	33—34.
—	71—76 f.	Eleg. VII.	33—38.
Eleg. VI.	1—32.	—	1—32.
—	33—86 f.	—	39—92 f.
Eleg. VII.	1 ad f.	Eleg. VIII.	1 ad f.
Eleg. VIII.	1—66.	Eleg. IX.	1—66.
—	67 ad f.	—	71 ad f.
Eleg. IX.	1 ad f.	Eleg. X.	1 ad f.
Eleg. X.	1 ad f.	Eleg. XI.	1 ad f.

LIBER SECUNDUS.

Eleg. I.	1.	Eleg. I.	
Eleg. II.		Eleg. II.	
Eleg. III.	1—32.	Eleg. III.	1—32.
—	33—60.	Eleg. VI.	15—42.
—	61—74.	Eleg. III.	33—46.
—	75—78.	Lib. I, ix.	67—70.
—	79—80.	— II, iii.	47, 48.
Eleg. IV.		Eleg. IV.	
Eleg. V.	1—42.	Eleg. V.	1—42.
—	43—60.	—	45—62.
—	61—62.	—	43—44.
—	63-112.	—	63-112.
—	113-122 f.	—	117-127.
Eleg. VI.	1—14.	Eleg. VI.	1—14.
—	15—18.	Eleg. V.	113-116.
—	19—54 f.	Eleg. VII.	1—36 f.

LIBER TERTIUS.

Eleg. I.	Eleg. I.
— II.	— II.
— III.	— III.
— IV.	— IV.
— V.	— V.
— VI.	— VI.

LIBER QUARTUS.

Eleg. I.	Eleg. I.
— II—XV.	— II—XV.

TABULA TERTIA,

SIVE

INDEX IN NUMEROS ELEGIARUM TIBULLI ET VERSUUM EX EDITIONIBUS SCALIGERI ET BROUCKHUSII COMPARATIONE CUM NUMERIS CODD. ET EDD. EX IIS FACTARUM.

Edd. ex Scalig. et Brouckhus. interpolatione.		*Edd. ad fidem Cod.*	
	LIBER PRIMUS.		
Eleg. I.	1, 2.	Eleg. I.	1, 2.
—	3, 4.	—	5, 6.
—	5, 6.	—	9, 10.
—	7, 8.	—	7, 8.
—	9, 10, 11, 12.	—	29, 30, 31, 32.
—	13, 14.	—	35, 36.
—	15—28.	—	11—24.
—	29—32.	—	37—44.
—	33, 34.	—	33, 34.
—	35—44.	—	41—50.
—	45—46.	—	3, 4.
—	47—50.	—	25—28.
—	51—58.	—	51—58.
—	59—66.	Eleg. II.	71—78.
—	67—72.	—	65—70.
—	73—92 f.	—	59—78 f.
Eleg. II.	1—64.	Eleg. II.	1—64.
Eleg. III.	1—94 f.	Eleg. III.	1—94 f.
Eleg. IV.	1—8.	Eleg. IV.	1—8.
—	9—10.	—	39, 40.
—	11—34.	—	15—38.
—	35—68.	—	41—74.
—	69—74.	—	9—14.
—	75—84 f.	—	75—84 f.
Eleg. V.	1—36.	Eleg. V.	1—36.
—	37—56 ad f.	Eleg. II.	79—98.
Eleg. VI.	1—32.	Eleg. V.	37—68.
—	33, 34.	—	69, 70.
Eleg. VII.	1—32.	Eleg. VI.	1—32.
—	33—38.	[ex Eleg. V.	71—76 f.]
—	39—92 f.	Eleg. VI.	33—86 f.

Edd. ex Scalig. et Broukhus. interpolatione.		*Edd. ad finem Codd.*	
Eleg. VIII.	1 ad f.	Eleg. VII.*	1 ad f.
Eleg. IX.	1—66.	Eleg. VIII.	1—66.
—	67—70.	[L. II, El. III.	75—78.]
—	71 ad f.	Eleg. VIII.	67 ad f.
Eleg. X.	1 ad f.	Eleg. IX.	1 ad f.
Eleg. XI.	1 ad f.	Eleg. X.	1 ad f.

LIBER SECUNDUS.

Eleg. I.		Eleg. I.	
Eleg. II.		Eleg. II.	
Eleg. III.	1—32.	Eleg. III.	1—32.
—	33—46.	—	61, 74.
—	47, 48 f.	—	79, 80.
Eleg. IV.		Eleg. IV.	
Eleg. V.	1—42.	Eleg. V.	1—42.
—	43, 44.	—	61, 62.
—	45—62.	—	43—60.
—	63-112.	—	63-112.
—	113-116.	Eleg. VI.	15—18.
—	117-127 f.	Eleg. V.	113-122 f.
Eleg. VI.	1—14.	Eleg. VI.	1—14.
—	15—42 f.	El. II, III.	33—60.
Eleg. VII.	1—36 f.	Eleg. VI.	19—54.

LIBER TERTIUS.

Eleg. I.	Eleg. I.
Eleg. II.	Eleg. II.
Eleg. III.	Eleg. III.
Eleg. IV.	Eleg. IV.
Eleg. V.	Eleg. V.
Eleg. VI.	Eleg. VI.

LIBER QUARTUS.

Eleg. I.	Eleg. I.
Eleg. II—XV.	Eleg. II—XV.

ALBII TIBULLI
ELEGIARUM
LIBER PRIMUS.

ELEGIA PRIMA*.

DIVITIAS alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa soli,

* Hanc Elegiam ordine primam esse, sed tempore postremam dicit Scaliger, qui non solum in hac re, sed etiam in singulis distichis ordinandis, pro libito et auctoritate magis quam ratione certa et perspecta versatus est; constat enim Tibullum in Deliam amore arsisse, ante quam Nemesis eum suis legibus adstrinxerit. Legimus apud Ovidium, in libro III Amorum, Eleg. IX, 55: « Delia discedens, felicius, inquit, amata Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram. Cui Nemesis, quid ais? tibi sint mea damna dolori? Me tenuit moriens deficiente manu. »

1. Diomedes grammaticus, libro tertio de Poematis generibus, hoc distichon referens scribit *conferat;* sed codices omnes miro consensu exhibent *congerat*, nisi forte Bernensis, qui *congregat*, a quodam inepto librario exaratum, affert.

2. De hoc loco vehementer inter doctos disceptatur. Codices fere omnes *magna* legi jubent; quam lectionem Vulpius, Gæsius, Henlei, J. H. Voss. et nuper Bach. amplectuntur. Statius contra et reliqui omnes *multa* prætulerunt; dicunt enim jugeri semper esse certam magnitudinem. J. H. Voss. opinatur illos sese poeticæ rationis imprudentes ostendisse: jugera enim magna nihil significare, nisi jugera late porrecta, vel, si malueris, jugerum longum tractum. Servetur poetæ (exclamat Bachius) *magna*, et habeant *multa* rei rusticæ scrutatores, a quibus profectum est. His præmisit Voss. et Bach. exempla admovent, quibus demonstrationem suam absolvant, ut *magna talenta*, Virgil. IX Æneid. 265; *jugera immetata*, Horat. III, XXIV, 12. Nobis videtur hic versus ex aliis Tibulli versi-

Quem labor assiduus vicino terreat hoste,

bus, ubi similiter τὸ *multa* usurpatur, sibi constare posse; ait enim noster poeta, lib. III, Eleg. III, vers. 5: « Aut ut *multa* mei renovarent jugera tauri, Et magnas messes terra benigna daret. » Id. in libri secundi Eleg. III, 41: « Prædator cupit immensos obsidere campos, Ut *multo* innumeram jugere pascat ovem. » Hæc exempla certo ad rem propius accedunt quam illud Horatii, a J. H. Voss. relatum. Illic enim *immetata* eodem sensu scribitur quo *indivisa*: adde quod τὸ *multa* quibusdam codicibus insit, verbi gratia, Statii, Isacii, Vossii, Gothanoque secundo: accedit præterea quod in V. C. Diomedis libro citato, teste Heinsio, legitur *multa*, non *magna*.

3. Hæc scriptura e codice Parisiensi et ex edit. anni 1472 sumpta, nobis lectione *adsiduus* melior visa est. Hoc distichon a quibusdam spurium interpolatumque dicitur, ita ut in nonnullis editionibus desit. Heynius, qui illi in editione sua locum patefecit, tamen non dubitat quin sit eradendum: « Sic autem ei primum distichon parum respondet: nam qui adhuc sub signis habetur, etsi forte ille congerere divitias dici possit, nondum tamen ille *tenet* culta jugera soli; aut si tenet, alienum tamen hoc nunc a tota sententia. Alioqui bene convenit hoc quod in nota posui: duplex ex militia lucrum prædæ et assignatorum agrorum h. loc. respici. Cogitabam de veteranis limitaneis in imperii finibus adversus barbaros collocatis, qui et agros tenere et simul militiæ terrores experiri poterant; Tibulli ætate nondum legiones in limitibus habebantur. Ita vero versus a seriore poeta insertos credere necesse est. » Hæc quidem Heynius. Nobis aliud credere *necesse est*, scil. doctissimum illum virum e Tibullo mathematicum, non poetam effinxisse, quippe qui omnia quæcunque ille dixerit, ad verbum interpretatus sit, ut de uno ac eodem milite incommoda militiæ intelligenda viderentur. Quo facto verbum *tenet* mirum in modum urget Heynius, quasi opus esset milite nunc agris suis insidente. Nec video quid impediat, quo minus hostis vicinus dicatur, non quidem agri; sed ipsius militis nunc stipendia facientis laboremque suscipientis, quo in posterum *jugera magna* vel *multa* acquirat. Sed Heyn. alia his versibus inesse declarat, quæ nos premant. « Quomodo, ait, hoc fieri potest ut labor terreat? .... terrent mala, pericula, discrimina; labor autem, quippe qui tolerandus est, premit, urget, exercet. » Pace tanti viri labor etsi tolerandus, tamen anxius esse potest, ut merito terrere dicatur; absint itaque emendationes *exerceat*, *terreat*, *pavor*. Denique Heynius verba *classica pulsa* increpat. « Classica cani vel inflari dicuntur, non pelli; aut igitur exoleverant litterarum ductus in vetere charta et male reparati sunt, aut debetur totum distichon homini docto ex seriore ævo: ei classica pulsa videri poterant quoniam tympana pulsa cogitabat, quæ nunc signis militaribus edendis adhibentur. » J. H. Voss. hanc occasionem in Heynium, quasi in hostem, invadendi nactus, eum merito refellit, Lucretium Catullumque secum adducens, qui uterque *pellere humum pedibus* dixere; quod quidem minime litem dirimeret, nisi apud

Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus exiguo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, et facili grandia poma manu;

Græcos locutio Σαλπίγγων κτύπος usitata foret. Huschk. meliora exempla citat ex Plutarchi et Claudiani libris, quorum prior dixit καὶ κρούματα αὐλήματα καλοῦσιν; alter XVII, 312: « Qui nutu manibusque loquax; cui tibia flatu, Cui plectro *pulsanda* Chelys. »

4. J. H. Voss. hoc loco reposuit *quoi* pro *cui*, ut I, v, 31; et I, x, 44. At per reliquos libros hoc pronomen in mira versatur varietate. Præstat in his carminibus retinere *cui;* codex Paris. semper *cui* habet, nunquam *quoi*.

5. *Me mea.* Hæc verba a quibusdam delicatioris ingenii eruditis damnantur, ut geminationem parum elegantem continentia. O utinam isti emunctæ naris homines ante Lucretium et Ciceronem vixissent! Certo eos meliora edocuissent; nam et Lucretius et Cicero frequenter hujusmodi geminationibus usi sunt; videsis, lib. III, vers. 21; lib. V, vers. 1336; lib. VI, vers. 626. Tum et Virgilius, Georg. lib. II, vers. 328; Æn. V, 403.—Traducere, tradere, reddere; dare se otio, litteris, παραδοῦναι, δοῦναι: sic Homerus δοῦναι ὀδύνῃσι, Il. E, 397; γήραϊ, ἀχέεσσι, Odys. T', 167; O', 356. Heyn.

6. Codicibus permultis inest lectio *exiguo* quæ viris doctissimis potior visa est, ut Heynio, J. H. Voss. aliisque. Exemplorum nubem a Brouckhusio coacervatorum missam faciamus: nec enim quia Martialis *focum perennem* dixit, vel quia apud Papinium *focus pervigil* nominatur, idcirco apud Tibullum ubique epitheton *assiduus* textui obtrudendum est. Occurrit jam idem epitheton superiore disticho. Vocem *exiguo* cum tenuitate poetæ bene convenire quis inficiari possit? Brouckhusius opinatur, discordare *lucendi* verbum ab exiguitate ignis; nam eo verbo scriptores latinos semper de ignibus magnis usos esse. Acuta sane distinctio! dolendum tamen, quod Plinius, lib. XVIII, idem de cicindelis usurpaverit. Ut ut est, scribenti Tibullo non adfuimus; scripsit quod placuit: evanescant igitur eruditorum disputationes, quorum alii super illius foco perpetuum ignem accendunt, alii contra restinguunt. Huschkius sententiæ nostræ adversatur; ait enim, « lectio *assiduo* vel propter repetitionem vocis retinenda est; suaviter enim focus Tibulli assiduo igne lucens opponitur assiduo militis labori: » denique lapidem laudat apud Fabretum inscript. cap. IV, p. 283, ubi legitur: TUNC MEUS ASSIDUE SEMPER BENE LUXIT AMICÆ FOCUS. Eligat lector.

7. Scaliger huic disticho præposuit illud quod sequitur, *Nec spes destituat*, statuens hoc cum superiore ita cohærere: dum meus focus assidue luceat, nec seges eludat sementem.—Hoc in errorem conjicit Heynium, qui, etsi pristinum servavit versuum ordinem, longius tamen Scaligero progressus, contendit distichon hoc, pro fragmento a cæteris

Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
Præbeat, et pleno pinguia musta lacu;
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,

diverso, habendum esse. HUSCHK. — Manifesto a Scaligero in casses inductus est Heyn. nihil enim melius decurrit quam sententiarum ordo. Poeta, qui modo militiæ incommoda, nunc rei rusticæ labores refert: ita arborum, inprimis vitium, culturam commemorat, vs. 7–24; deinde arationem, et rem pecuariam, vers. 25-34.

9. *Nec spes destituat.* Brouckhus. jubet *Spem* majuscula littera designari, quippe quæ in deorum numero censeatur: « Hanc Romani credebant mortalibus singulis, simul atque in lucem forent editi, una cum genio bono adesse præsto. Quare et SPEM GENIALEM vocarunt, ut in nummis et lapidibus sæpe reperitur; » vide apud Bochardum, tom. IV, Antiq. p. 130, et apud Gruterum, CII, 1. Mulier est stolata, corolla florea crinem redimita, spicas quinque sinistra gestans cum duobus papaverum capitibus: ad pedes stat alveare, ex summo alveari prominent duæ rosæ, unum caput papaveris, spicæ quatuor; in basi hæc verba:

M. AVR. PACORVS AEDI
TVVS SANCTAE VENE
RIS IN SALVST. HORTIS
SPEI
ARAM CVM PAEMENTO
SOMNIO MONITVS SVM
TV SVO D D

Sed hunc Pacorum negotiatorem fuisse, indicat ad caput deæ sarcina in qua merces colligatæ. BROUCKH. — Spem non deam esse, sed rem ipsam quæ sperando exspectatur, sc. largos frugum proventus, bene monuit vir doctus, in Eph. litt. Jen. BACH. — Nobis pariter videtur spes ut animi affectus hoc loco reponi: eodem sensu, Horat. lib. I, Od. 4: « Vitæ summa brevis *spem* nos vetat inchoare longam. »

10. Apud Propertium votum hujus simile invenies, lib. III, El. XV, vers. 17: « Dummodo, purpureo spument mihi dolia musto, Et nova pressantes inquinet uva pedes; » et Heinsius hoc disticho fretus, loco τοῦ *pinguia* desiderabat *spumea*, aliique suas nugas admoverunt, inter quos Servius Ovidium valde reprehendit, quod mustum plurali numero dixerit.

11. Hic versus apud Brouckhusium decimus quintus occurrit, magno juncturæ detrimento, quæ hæc est: felicem frugum ex agris et vineis proventum fore, sperare licet: quum pietas mea diis cordi non esse nequeat; nam veneror, etc. — Intelligendus autem Hermes, vel Hermæ, quales, Silvani, Panes, Bacchi, Priapi ex ligno vel lapide frequentes in agris reperiebantur; ad idem genus spectant Termini. Hos Terminos, seu rudia deorum agrestium signa, ait poeta se *venerari*, debito honore afficere. Fiebat autem hoc corollis signo imponendis, infulis injiciendis, inprimisque ut unguento Hermas delibuerent: qua de re vide Apuleii Florid. I, pr. et ibi Colum. pag. 164; Clement. Alex. VI, pag. 843; adi Cic. Verr. IV, 35. Exstat etiam inter tabulas Herculanenses depicta talis religio, tom. IV, pag. 216. — Stipes desertus non est, ut recte J. H. Voss. monet,

Seu vetus in trivio florea serta lapis :
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deo ;
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores ;
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,

defixus, quæ Brouckhusii explicatio est, sed in loco deserto h. e. infrequente positus; Propert. I, xx, 36: « Roscida *desertis* poma sub arboribus. » Moschus, III, vers. 21 : Οὐκ ἔτ' ἐρημαίῃσιν ὑπὸ δρυσὶν ἥμενος ᾄδει. Huschk.

12. *Florea serta.* Codex Paris. exhibet *florida* ; Brouckh. docet *florea* dici quæ ex floribus fiunt aut contexuntur : in *floridis* autem videtur esse translatio quædam quæ jucunditatem significet, et pulchritudinem atque amabilitatem ; idque magna exemplorum copia demonstrat.

13. Novum anni tempus, sc. sive autumnale sive æstivum, quod poma nascentia temperie sua fovet. Hoc enim est *educat* vel simpliciter profert, gignit, ut in lusibus, 31 : « Betasve quantas hortus educat nullus. » Annum vocabant quamlibet anni partem, addito epitheto discretionis gratia. Heyn.

14. Codex Paris. cum editione ann. 1472 et aliis codicibus MSS, exhibet *ante deum.* Muretus correxit *ponitur ante deo.* Inerat codici Colotii *agricolam*...*deum*, quod in excerptis Antonini Pocchi legebatur. Alii *agricolas*... *deos* maluerunt, in quibus Barthius, et Joann. Pricæus qui et interpretes hoc non advertisse indignatur. Brouckh.—Absolute ita dictum deum agricolam vix alium esse putat Heyn. quam Priapum ; Brouckh. et Heinsius Vertumnum intelligunt, Bach. Silvanum, quem etiam hoc loco J. H. Voss. veneratur ; sed Vulpius, cujus in sententiam eundum censuimus, quemcunque agriculturæ præsidem hic designari, existimat.

15. Videntur et alii dii rurationis præsides coronas spiceas gestasse ; aperte hoc testatur noster poeta in fine hujus libri, El. x, vs. 22. Hic non agitur de corona quæ crines redimeret, sequitur enim statim *quæ templi pendeat ante fores.* Brouckh. —Eodem sensu Propert. IV, ix, 29 : « Omnibus, heu ! portis pendent mea noxia vota. » Hic autem templi appellatione poeta sacellum designat ; ut in Elegia x, vers. 20 : *Stabat in exigua ligneus æde deus.*

17. *Ruber* dicitur quia minio pictus ; notum ex lusibus. Heyn. — Lambinus *donatur* legebat in Horat. lib. I, Satyr. viii, vers. 3, et Lucas quoque Fruterius, Epist. 5, adsentiente Livinejo. — Sed *poni* dicitur Priapus verbo proprio, quod sedem notat certam ac stabilem, ubi ille perdius et pernox excubias agat contra fures, tam volantes quam ambulantes. Sic ipse de se prædicat : « Parum est Misellus fixerim quod hic sedem, Agente terra per caniculam rimas, Siticulosam sustinens die æstatem ; Parum quod imos perluunt sinus imbres, Et in capillos grandines cadunt nostros, Rigetque dura barba vincta crystallo ;

Terreat ut sæva falce Priapus aves.
Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares!
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos;

Parum quod acta sub laboribus luce, Parem diebus pervigil traho noctem. » Hinc noster poeta, credo, misertus numinis Ficulnei, minus incommodam ei stationem optat, hujus libri Eleg. IV : « Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape, Ne capiti soles, ne noceantque nives. » BROUCKH.

18. Tertio Brouckhusii codici inest lectio *curva*, ut apud Virgil. Æn. VII, vs. 179, *Curvam servans sub imagine falcem;* et Georg. I, 508, *Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.* Codex Asckew. et Gothanus habent *sævas*, scilicet aves, quam lectionem Gebhardus amplexus est, quocirca a Brouckhusio reprehenditur, idque merito; nam vulgata lectione nihil simplicius.

19. Quidam codices, inter quos regius, *felices* exhibent, minus bene; sic enim perit oppositionis gratia. Felix ager qui proprie ferax, bonus est ex oppositionis lege, hoc loco est dives, copiosus, bene instructus, villa opulenta. Sic Virgil. Ecl. VII, 34, *custos es pauperis horti*, eodem sensu ut h. l. Respicit autem tempora belli civilis, quibus patrimonii partem per proscriptiones amiserat. HEYN.

20. Hæc est librorum lectio, tantum non omnium, cujus elegantiam non capientes editores primi, substituerunt *nostra* (quod exstat tamen etiam in cod. Paris.). *Fertis munera vestra* est, jure quodam vestro aufertis, accipitis, *munera vobis debita.* HUSCHK. — *Lares.* Vulpius, secutus Statium, compitales intelligit. Melius Brouckhusius silvestres, sive agrestes.—De rebus quæ Laribus offerri solebant, Calpurnium adeas, Ecl. II, vs. 64; Horat. III, Od. 23; Cato de R. R. cap. 143. Apud Gruterum VICUS LARUM RURALIUM memoratur in lapide luculento, p. 202, Col. 5, quem vicum in quarta decima urbis regione trans Tiberim ponit P. Victor. Hos inter Lares præcipui fuisse videntur Silvanus et Priapus, ut ex Horatii Epod. II, vers. 17, et e Maronis Eclog. X, adparet. BROUCKH.

21. *Tunc vitula.* Omnes libri æque *tunc* exhibent. Nihilominus J. H. Voss. ut hoc loco, ita per totum librum *tum* reponi vult sequente consona qualicumque. Priscianus, pag. 556, ait: *Hanc autem mutationem litterarum sciendum est, quadam naturali fieri vocis ratione;* sed Bach. errare eos declarat, qui unum eumdemque istarum vocum usum opinantur. *Tunc* enim plerumque præteritum, rarius aliud tempus singulari quadam vi notat, ita ut vel *nunc* ut nostro loco, vel *quum* respondeat ut I, X, 19. Etiamsi una vel altera istarum vocum subintelligi debet, lib. I, El. IV, vs. 53; El. V, vs. 41. *Tum* inservit singulis sententiis continuandis, vel ordine quodam efferendis, sine graviori temporis notatione; quapropter sæpius præsenti tempori aptatur; lib. I, El. II, vs. 79; El. III, vs. 71; El. IV, vs. 7; El. VIII, vs. 43; El. X, vs. 53. Hæc quidem Bach. sed paulo infra ad Prisciani præceptum, contra suam voluntatem, ipse revertitur. Fatetur

Nunc agna exigui est hostia magna soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet: Io! messes et bona vina date!
Jam, modo non, possum contentus vivere parvo,

enim *tum* scribendum esse iis quoque locis, ubi *tunc*, per se bonum, propter asperitatem consonæ sequentis adversatur linguæ, et mox exempla citat, quibus omnino hic non opus est.

22. *Hostia magna.* Multis codicibus editionibusque inerat lectio *parva*; sed Muretus et Scaliger e suis MSS *magna* reposuere, quod ruris exiguitati, et tenuitati rerum accisarum, melius respondet. Etenim agna, si pauperis facultates respicias, hostia magna dici potest.

23. *Agna cadet vobis.* Ergo Laribus sacrum h. l. factum intelligendum; agit autem de sacro, quo lustrantur greges et agri. Tale Ambarvale sacrum facit agrum.; vide Eleg. prim. lib. II. Ibi Bacchus et Ceres vocantur, et preces fiunt ad deos patrios, vers. 17. Et sic quoque annuum sacrum Cereri et Baccho factum, ad gregis lustrationem, extrema hieme, ineunte jam vere, Virgilius memorat, Georg. I, 338; *Suovetaurilia* vero Cato de R. R. cap. 141, in quibus Marti preces faciendas præscribit; Ferias sementivas Ovid. Fastor. I, 658. Hæc et alia adducunt me, ut sacra ejusmodi lustralia plura inter rusticos viguisse existimem; alia forte magis, alia minus solemnia: ad hæc minus solemnia et privata, cujusque religione concipi instituique solita, refero sacrum lustrale, de quo h. l. agitur. Aliud est quod paulo post, vs. 35, memoratur, quod ad Lustrationem in Palilibus, XI Kal. Mai. fieri solitam referendum est. Ab omnibus his diversa sunt *Suovetaurilia*, publicum festum in lustro condendo celebrari solitum. HEYN.

24. Barthius magis impleturum poeticas aures opinatur, si legatur *Et date vina bona;* atque ita et sonum versiculi malle, et consuetudinem poetæ; lib. IV, Adv. cap. 2. Mihi secus videtur: non quo Barthio plus sapiam, sed quia aurium judicium esse solet liberrimum. BROUC. —Codex Regius et tres eorum quos J. H. Voss. citat, lectionem exhibent *clamat;* quæ omnino falsa videtur.

25. *Jam, modo non, possum contentus vivere parvo.* Critici et interpretes in hunc locum irruerunt, maximamque ingenii impensam fecerunt; ut non facile inter tot diversas lectiones et doctorum conjecturas scire possis, quo te vertas. Cyllenius verba, *modo non*, parenthesi includit. Brouckhus. negationem deesse existimat, quasi scribendum esset: *Non possum vivere non contentus.* Idem adfirmat, Manutium de hoc eloquendi genere exempla collegisse. Muretus inquit, *modo non*, est μονονουχὶ, *etsi sunt qui aliter sentiant.* Vulpius locum ita explicat: Non modo, inquit poeta, possum tenui victu contentus esse, quod antea non poteram; non tantum longis itineribus valedicere, rem augendi causa susceptis: verum etiam in summa animi securitate indulgere otio, sedens æstate propter aquam sub arbore. At quis est, quin sentiat hoc modo languescere sententiam? Quod ad Scaligeri emendationem attinet, secundum quam legendum est, *Quippe ego jam possum*, eam ut

Nec semper longæ deditus esse viæ;
Sed Canis æstivos ortus vitare sub umbra
Arboris, ad rivos prætereuntis aquæ.

interpolatoris manum olentem rejiciamus, et lectionem cod. Asckew. et Guelferbitani tertii adoriamur, scilicet, *Jam modo nunc possum*. Hæc pariter rejicienda est, licet Bach. eam amplexus sit; nam aliis codicib. adversatur. Neque J. H. Voss. litem dirimit, qui in textum Guyeti conjecturam invexit, quamvis nullis codicibus fultam: *Jam modo, jam possum*. Huschk. omnem versus duritiem atque orationis insolentiam tolli posse putat, hac verborum trajectione: *Jam possum, modo non, contentus vivere parvo*: sententiam suam Huschk. sic declarat: « Ait Tibullus, posse se nunc contentum vivere parvo; sed non absolute; quandoquidem, ut scribit IV, I, vers. 188, *desiderium* superest *et cura novatur, Quum memor anteactos semper dolor admovet annos*. Pergit Huschk. adfirmatque hoc unice a doctissimo Schæfero probari; denique addit: « Vel sic tamen malim versum interpungere: *Jam possum, modo non contentus, vivere parvo*, ut adverbia *jam* et *modo* de diverso tempore sumantur, *parvo* autem referatur simul ad *contentus* et ad *vivere*, sicut apud Propertium, III, III, 39. » Sensus itaque loci hujus, si Huschkio consentias, erit: *ille ego qui modo non contentus eram parvo, jam possum parvo vivere contentus*; ita hic versus et tota Elegia opponi poterit loco querulo carminis in Messalam (182-191), maturius haud dubie et eo tempore scripti, quo nondum parvo contentus erat Tibullus. Vides, amice lector, quanta diligentia doctissimus quisque huic loco quasi mendoso opem ferre voluerit; nec desunt tibi lectiones inter quas eligere possis. Liceat tamen et nobis sententiam proferre simpliciorem, quæ nulla varietate lectionis, neque immutatione indiget. Cyllenii parenthesin admittas, simulque Huschkii interpretationem, quæ nullo modo trajectionem ab illo propositam requirit: et nihil jam impediet, quo minus hic versus eleganter et facile procedat.

26. *Longæ deditus esse viæ*. Hæc verba ab Heynio contorti sermonis et ingenii esse dicuntur, qui mox addit: totum distichon h. l. sublatum esse velim. Lucretius tamen et Ovidius Tibullo opem laturi præsto sunt; quorum prior, lib. IV, vers. 997, *fugæ deditus* dixit; alter, Met. XIII, 921, *Deditus æquoribus jam tum exercebar in illis*.

27. Bentlei. ad Horatii I, Sat. VI, 126, *ictus* corrigere maluit citra necessitatem. Nam maximus ut splendor, ita æstus tribuitur caniculæ orienti. Alcæus cecinit: Δασίας θάμνῳ ὑπὸ πλατάνου Καύματ' ὀπωρινοῖο φυγὼν κυνός. Homerus, Iliad. E, 4, quem citat Huschk. Δαῖε δέ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον ὅς τε μάλιστα Δαμπρὸν παμφαίνῃσι, λελουμένος Ὠκεανοῖο.

28. *Ad rivos*. J. H. Voss. hæc vocabula superioris versus voce *æstivos* corrupta esse dicit, amplectiturque conjecturam Burmanni, *rivum* vel *ripam* scribere jubentis; sed perperam; licet enim exempla congerat, ubi rivus singulari numero usurpatur, nihil hoc modo proficiet; nec impedire poterit, quo minus alia in-

Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
    Aut stimulo tardos increpuisse boves.
Non agnamve sinu pigeat fœtumve capellæ
    Desertum, oblita matre, referre domum.
At vos, exiguo pecori, furesque, lupique,
    Parcite; de magno est præda petenda grege.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis,

numera occurrant, in quibus plurali numero idem vocabulum ponitur, ut vir doctus in Ephem. litter. Jen. bene notavit. Horat. III, Od. XIII, vers. 7: « Nam gelidos inficiet tibi Rubro sanguine rivos Lascivi soboles gregis. » Virg. Æn. XI, 668: « Sanguinis ille vomens rivos cadit. »

29. Colot. *pigeat bidentem.* Regius, Guelferb. 3 et alii, *bidentes.*

30. Brouckh. pro *increpuisse*, vitiose *implicuisse.* Cæterum hoc distichon apud Scaligerum et Brouckh. statim post octavum versum occurrit. Contra, versus 25 ad 28, ab iisdem post quadragesimum sextum relegantur, nulla sinceri verborum ordinis habita ratione. Hujusmodi textus turbationes innumeræ sunt, nec operæ pretium est omnes notare.

31. *Non agnamve ... fœtumve.* Ed. an. 1472, *Non agnam ne ... fœtumque;* cod. Paris. *fœtumve;* Colbertin. *Nunc agnamque ... fœtumque;* codex Gothanus *fœtusque;* Vienensis *pudeat*, et in margine *pigeat.* Calpurnius hunc locum ita expressit: « Te quoque non pudeat, quum serus ovilia vises, Si qua jacebit ovis partu resoluta recenti, Hanc humeris portare tuis, natosque tepenti Ferre sinu tremulos, et nondum stare paratos. »

34. *Est* in finem rejecit Brouckh. sequutus aurium judicium. Aberat τὸ *est* a quibusdam Statianis MSS: nec tamen Brouckh. delere vocabulum ausus est. J. H. Voss. quo orationem ποιητικωτέραν redderet, τὸ *est* ejecit. Nos vero ne loco quidem movendam censemus hanc vocem; nihil enim molesti inest lectioni pristinæ. Cæterum VVunderlich. adire poteris, ad versum quartum elegiæ quartæ hujus libri fusius de hac re disserentem. Heyn. existimat, post hunc vers. aliqua intercidisse. Huschkius hæc Heynii verba referens, addit: « ego quamvis quærens, nullum reperire possum lacunæ vestigium. »

35. Hic versus in editione Brouchkusii et in Scaligeriana, tertius decimus occurrit. Conjiciebat Passeratius, *pastorumque deum*, aut certe *pastoremque deum*, ut significaretur Apollo Nomius: Gebhardus illum rejiciens, acutior sibi videtur si pastorem interpretetur ipsum Pana, *meum* vero exponat *mihi propitium;* deinde neque ipse sibi placet. Nos simpliciter intelligamus, videlicet et pecus simul lustratum fuisse, et pastorem. Quæ et Barthii mens fuit lib. IV Adv. cap. 11. In veteri Kalendario rustico mense Aprili legitur, *Oves Lustrantur.* Ea lustratio fiebat Palilibus, quæ erant XI Kal. Mai. Confer Ovidii Fast. lib. IV, vs. 721; Propert. lib. IV, Eleg. IV, vers. 71, Caton. de R. R. cap. 141. Satis ex hisce constat, vulgarem lectionem non debere mutari. Br.

Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, divi, neu vos de paupere mensa
Dona, nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.

36. Calpurn. Ecl. V, vs. 24: « Sed non ante greges in pascua mittito clausos, Quam fuerit placata Pales; tum cespite vivo Pone focum, geniumque loci Faunumque Laremque Salso farre voca; tepidos tunc hostia cultros Imbuat, atque etiam, dum vivit, ovilia lustra. » Noster recte placidam vocat Palem, quæ parvo contenta sit, lacte puta ac libo et pulte agresti; confer Servium ad Georg. lib. III, vs. 1, et Arnobium, lib. III. Brouckh. — Videntur non modo vasa lacte plena apposita fuisse, sed et lacte adspersum deæ signum, nisi poeta libationem in ara factam declarat, quod verum arbitror. Heyn. — In quibusdam Statii libris legitur *Palen*, græca terminatione, quod Voss. in textum recepit. At Santenius docte dixerat: *græcam formam hujus vocis equidem ignoro*. Nullæ enim voces, nisi græcæ, hoc modo terminandæ sunt. Simile mendum Virgilio illatum indicat Huschkius, Ecl. I, 62: *Aut Ararin Parthus bibet, aut Germania Tigrin*. Charisius, Priscianus, et Maximus Victorinus hunc versum citantes, confirmant Virgilium semper scripsisse *Ararim*, *Tigrim*, sicut *Irim* et *Parim*.

37. Apud Scaligerum et Brouckh. hoc distichon post versum vigesimum octavum locatur. — Brouckh. e libris Statianis et suis *neu vos* bene revocavit pro *nec*. Codici Paris. aliisque quibusdam inerat, *e paupere*; idem Brouckh. mutavit, et lectionem *neu vos de paupere mensa* protulit, quæ procul dubio genuina est. *Dona de mensa et e fictilibus* dicuntur; Cicero dixit *mittere de mensa*. Hic mensa non est sacra mensa, etsi inter utensilia sacra hoc genus habebatur, sed Tibulli mensa in qua appositæ fruges ac poma sunt, unde pars prælibata diis in ara ponitur. Heyn.

38. *Nec e puris spernite fictilibus*. Scaliger, ex *infimæ vetustatis* codice, assumpsit *e parvis fictilibus*, pro *puris*. Sed recte Brouckhusius: *non quam parva essent illa vasa referebat, sed quam essent pura*. De vasis fictilibus, quibus pro simplicitate prisca diis libare veteres Latini solebant, idem multa congessit scriptorum loca. Huschk.

39. Vulgo legitur *primus* Witt. pr. cum binis Anglic. Heinsii. Heyn.

40. *Composuitque*. Tibullus particulam *que* penultimo pedi et quidem verbo connectere amat, quapropter plerumque in tertiam demum sedem transfertur, ut hic et I, Eleg. x, vs. 54; II, Eleg. vi, vs. 16; quod etiam alias fieri solet, docente Burmanno ad Ovid. Metam. XIV, 30. Sæpius voci subjungitur ad quam non proxime spectat, ut I, Eleg. i, vs. 54; Eleg. iv, vs. 2; Eleg. x, 64; lib. III, Eleg. vi, vs. 47. Insolentius pro *et* positum duo membra jungit, quamquam postremum fere locum obtinet, ut II, Eleg. v, vs. 72: alias absolute, copula neque præcedente neque sequente, positum; I, El. v,

Non ego divitias patrum, fructusque requiro,
  Quos tulit antiquo condita messis avo:
Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto
  Si licet, et solito membra levare toro.
Quam juvat immites ventos audire cubantem,

vs. 11; El. x, vs. 51; II, El. v, 29. Sæpius quoque sibi respondent *que-et*, *et-que*; aut in locum particularum *et-et* succedit, ut lib. I, El. I, vs. 35; El. II, vs. 4; conf. Drackenb. ad Livium, XXIX, XII, 5. Bach.

41. Locus dulcissimus propter animi simplicitatem contenti modico, dummodo otiari et amare liceat. Heyn. — *Fructus* et fruges amplectuntur.

42. Quidam codices loco τοῦ *avo*, exhibent *agro*.

43. *Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto.* Brouckhusius de hoc versu sic disserit: « Otiosa est *lecti* vox, quum sequatur *toro*; minima mutatione reponebat *tecto* Lucas Fruterius, probante Passeratio. Malebat tamen Nic. Heinsius *fesso* not. ad Ovid. lib. I Fast. vs. 287. Invitus a viro illustri discedo: sed mihi Tibullus in mentione segetis persistere videtur, et tectum intelligere stramineum, qualia fere sunt villarum modicarum. » Hæc quidem Brouckhusius scripsit, adducens loca quædam huc minime pertinentia. Omnes libri consentientes *lecto* habent; nec refert an subsequatur *toro*, nec ne. Innumera hujusmodi iterationum exempla, et græca et latina, in promptu sunt, sed iis non opus est: non enim idem significant lectus et torus. Præterea sensus quem Brouckh. profert, aliquid insulsitatis continet. Tibullus, etsi majores divitias amiserit, non eo paupertatis adductus est, ut stramineo tecto uteretur. In quibusdam codd. legitur *Parva satis mensa est*, verbi gratia, in Excerptis Pocchi; quæ lectio mihi perabsurda videtur; opponitur enim *parva seges* fructibus, *Quos tulit antiquo condita messis avo*. — *Parca* quoque fuere qui mallent. Pro *satis est* altero loco in quibusdam est *uno* vel *parvo* (hoc et Guelf. 3, cum altero in marg.); nempe intrusum ab iis, in quorum libris *satis est* semel tantum exaratum erat.

44. Loco vocabuli *solito*, Scaliger ex suis excerptis *solo* intrusit; addens, *solum torum sibi superesse ait.* Parcamus memoriæ viri excellentis. Non tanta fuit nostri equitis egestas. *Solito* habent omnes omnium libri. Brouck. — Pro *membra levare toro*, Statii unus et duo Palat. Gebhardi habebant *membra referre toro*, dictum ut *referre se*, reddi quieti. Pro *Si licet*, mendose in edd. usque ad Scaligerum, et in libris etiam Regio et Guelf. *Scilicet.* Heyn. — H. Voss. et Wunderlichius τὸ *referre* in textum receperunt, et Voss. longam notam addidit, qua Scaligerum et Vulpium erroris arguit. Sed quamcunque explicandi viam inieris, τὸ *referre* nihil habet nisi notionem movendi, quæ quam longe absit verbo *levare* facile colligitur. Membra levare est, recreare, reficere corpus *toro*, sive discubitorio in quo epulis accumbebant, sive alius generis lecto, quo se ab opere aut ab ambulatione relaxandi causa, conferre solebant. Bach.

Et dominam tenero detinuisse sinu!
Aut gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
Securum somnos, imbre juvante, sequi!
Hoc mihi contingat: sit dives jure, furorem
Qui maris, et tristes ferre potest pluvias.
O quantum est auri potius pereatque smaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias.
Te bellare decet terra, Messala, marique,

46. Vulgaris lectio est *continuisse*, sed in uno Palatino emendatissimo et in aliis quibusdam, *detinuisse* legitur; et est sane elegantius. Heyn. de complexu puellæ *continere* dici non meminit, qui tamen hanc lectionem in priore editione servaverat; Virg. in Æn. IV, vs. 84, ait: « Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta, *Detinet*, infandum si fallere possit amorem. »

47-48. Erat vulgaris lectio, *igne juvante*. Scaliger primus reposuit *imbre juvante* (suffragante Guelf. 2), quæ lectio egregie confirmatur loco Sophoclis, qui legitur apud Ciceronem, lib. II, Epist. 7 ad Atticum: *Nunc vero quum cogar exire de navi, non abjectis sed receptis gubernaculis, cupio istorum naufragia ex terra intueri; cupio, ut ait tuus amicus Sophocles*, καὶ ὑπὸ στέγῃ πυκνᾶς ἀκούειν ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί. *Laharpe* hoc distichon et superiora sic vertit:

Je n'ai point regretté le bien de mes aïeux,
Content de mon champêtre asyle,
Content de reposer sur la couche tranquille,
Où le sommeil ferme mes yeux.
Oh! qu'il est doux, lorsque la pluie
A petit bruit tombe des cieux,
De céder à l'attrait d'un sommeil gracieux!
Qu'il est plus doux encor, la nuit près de Délie,
De se sentir pressé dans ses bras amoureux,
Et d'entendre mugir l'aquilon en furie!

49. *Hoc mihi contingat*. Ovidius, III Amor. Eleg. 11, vers. 9: « *Hoc mihi contingat*, sacro de carcere missis Insistam forti mente vehendus equis. »

50. *Tristes ferre potest pluvias*. Brouckh. ex Heinsii emendatione, et J. H. Voss. scripsere *Hyadas*, quæ et orientes et occidentes tempestatem excitare credebantur. Omnes libri consentientes exhibent *pluvias*. Itaque conjecturas missas faciamus, ne Tibullo gratiam nativamque simplicitatem detrahamus.

51. *Potius pereatque*. Hunc verborum ordinem ex uno codice Statiano refinxit Brouckhusius, et jam Livinejus ita conjecerat. Vulgaris lectio est *pereat potiusque*. Apud H. Voss. vocabulum *smaragdi* littera Z incipit; quam scripturam, duce Brouckhusio, operose defendit, sed perperam: ait enim Priscianus *S quoque, sequente M, ut Smyrno, smaragdus.*—Vitium faciunt qui Z ante M scribunt. Nunquam enim duplex in capite syllabæ potest cum alia jungi consonante. Lucanus quoque hoc ostendit in lib. X, vs. 121: *Terga sedent crebro maculas distincta smaragdo*. Nam si esset Z ante M, subtrahi in metro minime posset; S enim in metro sæpe vim consonantis amittit. HUSCHK.

52. *Ob nostras... vias*, itinera negotiationis vel militiæ lucrosæ causa

Ut domus hostiles præferat exuvias.
Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ,
Et sedeo duras janitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia : tecum
Dummodo sim, quæso, segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi quum venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.

suscepta, ex more equitum romanorum.

54. Codd. Paris. Dresd. Witt. A. duo Angl. ed. ann. 1472, habent *ut domus exiles*. Mos fuit iste Romanorum, ut foribus spolia hostium præfixa haberent; Propert. III, El. VII, vs. 26; Virgil. Æneid. VII, vs. 183. HEYN. — Majoribus nostris, ut testantur Possidonius et Strabo, id moris fuit, ut hostium capita *ἐν προπυλαίοις* affixa servarent.

55. Balbus, cap. LXXX, p. 179, probat cum Heynio et duobus antiquissimis codicibus vulgatam Tibulli lectionem. Tertius codex recentior *Me retinet vinctum formosæ cura puellæ*. Verum eodem jure Tibullus scribere potuit *vinctum vincla retinent*, quo Hom. Il. E, 385, *δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ·* et in Odys. X, 189, *σὺν δὲ πόδας χεῖράς τε δέον θυμαλγέϊ δεσμῷ*. HUSCHK.

56. Heinsius mallet : *sedeo ut durus*; sed id subintelligitur. — *Et sedeo*. Reminiscendum est, janitores servos fuisse catena foribus alligatos. Sic Ovid. I Am. VI : « Janitor, indignum! dura religate catena. » Cum hoc igitur se comparat puellæ servientem. HEYN.

57. *Non ego laudari curo*. Pauci libri *cupio*. At Brouckh. multa disserit de discrimine inter non *cupere* et non *curare*, quæ tamen in cujuscunque velis mentem incidunt. Tunc de verbo *laudari* copiosam init dissertationem, atque de ejus militari loquendi usu : nec opus erat tanta exemplorum congerie ad demonstrandam rem, quæ ex omnibus patet Lexicis. — *Mea Delia*. Eam vero nomine *Planiam* fuisse nominatam, auctor est Apuleius. Casaubonus *Flavia* malebat, quamquam timide; quod et Colvio placuit, aut *Plancia*. In Fulvii Ursini codice *Plantia* legebatur, teste Scipione Gentiles; solus Jo. Pricæus nihil mutavit, eo quod Plantia in lapidibus visatur. Ita est apud Gruterum : SEX PLANIUS HERMES. Reperitur in lapide prægrandi, itemque SEX PLANIOS HYACINTHUS; pag. 251, columna 4. Ibidem in tumulo Maturæ : AUFIDIUS GENITOR, GENUIT ME PLANIA MATER, p. 576, col. 7. Denique M. Planius legitur, p. 820, col. 18 : esto igitur Plania nomen romanum; sed, sic ut Deliæ datum fuerit, vel a domina, vel a patrono; erat enim libertinæ conditionis : id quod perspicuum fiet ex locis compluscülis nostri poetæ. BROUCKHUSIUS. — Huic disticho subjunxit Scaliger Elegiæ secundæ quosdam versus, idque magno ordinis detrimento.

59. *Te spectem*. Verba *suprema mihi quum venerit hora* repetiit Auson. Ephem. Orat. 72. HEYN.

60. *Te teneam moriens deficiente manu*. Hunc versum expressit Naso

Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
  Tristibus et lacrymis oscula mixta dabis.
Flebis ; non tua sunt duro præcordia ferro
  Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non juvenis poterit de funere quisquam
  Lumina, non virgo, sicca referre domum.
Tu manes ne læde meos : sed parce solutis
  Crinibus, et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, jungamus amores :

in Epicedio nostri poetæ; ubi Nemesis ad hanc Deliam : « . . . Quid ais ? tibi sint mea damna dolori? Me tenuit moriens deficiente manu. » Cf. Antholog. græc. t. II, pag. 42–106 : ὄφελόν γε χειρὶ φίλην τὴν σὴν χεῖρα λαβοῦσα θανεῖν. Plura imitatorum loca suo more addit Brouckh. Nobis liceat gallicam imitationem venustissimam hujus distichi in lectoris memoriam revocare ; *Laharpe* sic vertit :

> Ah ! que ma paupière mourante
> Se tourne encor vers toi, dans mon dernier moment :
> Que par un dernier mouvement,
> Je presse encor tes mains dans ma main défaillante !

61. *Flebis.* Hic Beckii conjectura *mea Delia* ab H. Vossio in textum recepta, qui τὸ *me* languidum esse declarat, perinde ac si in sequente versu *mihi* adscriberes ; cave ne talibus immutationibus consentias ; Ovid. Met. XIV, 747 : « Luridaque arsuro portabat membra feretro. » De funeribus Romanorum, vide Johan. Kirchman. lib. I, cap. 5 ; lib. III, cap. 2. Codex Isaaci Voss. secund. habet *posito.*

62. *Tristibus* etc. Quidam commentatores hanc locutionem perinde ac illam Propertii, *Et tremulus mæstis orietur fletibus horror*, reprehendunt, quasi frigeret oratio cumulatione verborum *mæstis* et *fletibus*, *lacrymis* et *tristibus.*—Nunquam igitur docti illi desinent textum vexando, suaque non poetæ verba proferendo, suas injurias temporis damno addere, ita ut, si illos sequamur, ne integrum quidem vs. retinuerimus.

63. *Flebis; non tua sunt duro præcordia ferro.* Commentatores ac interpretes innumera exempla in unum congerunt, quibus demonstrent, huic loco inesse translationem a ferri silicisque rigore ductam.

67. *Tu manes ne læde meos.* Noli crines conscindere, genas radere, pectus nudum lacerare ; his enim rebus manes carorum offendi putabant, et torqueri. Brouckh. Crediderim Tibullum hoc loco minime superstitionem illam respexisse, sed ea hoc consilio pronuntiasse, ne puella nimio planctu pulcherrimam corporis formam fœdaret. *Laharpe* gallica sua imitatione eumdem sensum copiosius expressit :

> Mais garde d'outrager ta belle chevelure,
> De blesser de ton front l'ivoire ensanglanté :
> Aux mânes d'un amant c'est faire trop d'injure
> Que d'attenter à ta beauté.

Mollevaut nobis etiam consentit ; quippe qui verterit :

> . . . Hélas ! n'outrage point tes charmes.

69. *Interea, dum fata sinunt.* Pro-

Jam veniet tenebris Mors adoperta caput:
Jam subrepet iners ætas; nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, et rixas inseruisse juvat.

pertius, lib. II, Eleg. II, vers. 29: « Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore; Nox tibi longa venit, nec reditura dies. » *Conjungere amores* etiam Catull. dixit, carm. LXIV, vers. 373; et 335, *contexere amores;* infra lib. I, El. IX, vers. 76, *jungere Venerem.* Cæterum compara cum his Sannasar. lib. I, El. III, vers. 49. HEYN.

70. *Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.* Præclarum phantasma: Mors incedit, ut alii dii caput nimbo, vel aere cincti: confer ad Virgil. Æneid. I, Exc. XIII, nost. Edit. T. II, p. 194. Convenit nota illa *Orci galea*, Ἄϊδος κυνῆ, qua qui indutus erat, spectantium oculis subducebatur, ut Perseus (et Hesiod. Sent. 227). Convenit hoc morti furtim subrepenti, in carmine quod Neoptolemus Philippo Macedoni cantabat, apud Diodor. XVI, 92: ... Ἀμφιβάλλει Ταχύπουν κέλευθον ἔργῳ Σκοτίαν ἄφνω τ' ἄφαντος Προσέβα, μακρὰς ἀφαιρού — μενος ἐλπίδας θανάτῳ πολύμοχθος Ἅδας. Gratius Cyneget. vers. 348: « Stat fatum supra; totumque avidissimus orcus Pascitur, et nigris orbem circumsonat alis. » Lepide ad Noctem transtulit 704, Joh. Pontanus, Amor. II, I: « Tuque nigram tenebris Nox adoperta comam. » H. Hunc locum imitatus est quoque Janus secundus, I, 5: « Mors venit æterna cincta caput nebula. »

71. ... *Nec amare decebit.* Ovid. Amor. I, Eleg. IX, vers. 3: « Quæ bello est habilis, Veneri quoque convenit ætas; Turpe senex miles, turpe senilis amor. « Constat, præstare lectionem *decebit* lect. *licebit:* idque ex Eleg. II, 91, ubi de sene Tibullus dicit.: « Et sibi blanditias tremula componere voce, Et manibus canas fingere velle comas; Stare nec ante fores puduit. »

72. *Dicere nec cano blanditias capite.* Gebhardus tarditatis arguit Lucam Fruterium, qui noluerit *capiti* legere, nec ceperit hunc dativum recte jungi cum verbo impersonali; sibi habeat suam sapientiam. Ablativus absolutus hic tempus notat, et causam; Horat. lib. I, Epist. V, 9: « ... cras nato Cæsare festus Dat veniam somnumque dies; » cras justitium erit, quia Cæsaris natalis est. Sane in libris Mureti et Achillis Statii *capite* erat: quod et nos in nostris quatuor invenimus; in quatuor aliis Nic. Heinsius; probavitque magnus Turneb. lib. XXIX Advers. cap. 30; eodem modo Plautus loquitur, Asinar. Act. V, Sc. II, vers. 84: « Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit. » H.

73. *Levis.* Venus, quæ levem decet ætatem, ut senectutem decent gravia; ita Horat. *jocosam Venerem* dixit; et infra Eleg. VII, 44, *levis amor.* H.

74. *Et rixas inseruisse juvat.* Heinsius corrigit *sera* pro *juvat;* ingeniose quidem, sed parum probabiliter: nec placet hoc, *rixari* cum *sera.* *Inseruisse* defendi potest, quamvis H. Voss. in textum *conseruisse* re-

Hic ego dux, milesque bonus; vos signa, tubæque,
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris;
Ferte et opes: ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

cipiat: *inseruisse* forsan metaphor. ponitur, pro *immiscuisse*.

75. *Hic ego dux, milesque bonus.* Hic consueto more Brouckh. omnium scriptorum loca adducit, quibus insunt verba *dux* et *miles*.

76. *Cupidis vulnera ferte viris.* Cupidos aiunt dici eos, qui sunt avari, et cupiditatem pro avaritia poni. — Sane avaritiam nunquam esse sine cupiditate facile credo; non tamen ut concedam, cupiditatem sine avaritia consistere nequire. Omnium mortalium facile cupidissimus fuit Domitius Nero; quem tamen avaritiæ nemo unquam postulavit. E contrario parcum, adstrictum, sordidum, avarum fuisse scimus Sergium Galbam: at hujus cupiditates populus romanus sensit nullas. Est igitur aliud cupiditas, aliud avaritia; et cupiditas quidem in milite recte, ut arbitror, definietur *appetentia rei alienæ*: non ut rem illam, quoquo modo partam, conservet miles (id quod solent avari), sed ut suis inde libidinibus morem gerat, perdat, profundat. Brouckh.

77. *Composita acervo.* Scilicet frugum in horreo collectarum; Virg. G. I, 156: « Heu! magnum alterius frustra spectabis acervum. »

78. *Despiciam dites.* Statius primus verba sic ordinavit, ex libris quibusdam. Antea legebatur *Dites despiciam*, quod Gebhardo placebat: sed nobis favet ipse Tibullus, qui, Lib. I, El. IV, v. 81, dixit: « Heu, heu! quam lento Marathus me torquet amore! Deficiunt artes, deficiuntque doli. » Conf. Ovid. Heroid. IV, 112; et XV, 54.

ELEGIA II.

Adde merum, vinoque novos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor;

1. *Adde merum.* Βάλ' οἶνον, ait Anacreon, Od. XXVII, vs. 10; funde Vinum, puer: et Noster; infra lib. II, Eleg. VI, 63: « Tu puer, i, liquidum fortius adde merum. » Vulpius operose docet, esse pro simplici *dare*. Heyn. — Ed. Ald. sec. habet *graves dolores*, ex interpolatis libris quos vidit Muretus. In aliis *novos... furores* legi, testatur Brouck. Nos vulgatam amplexi sumus: *novi dolores* enim dicuntur, quod Tibullo adhuc ignoti, eodem sensu quo apud Æschylum, Pers. vs. 663, καινά τι νέα τ' ἄχη, et apud Virgilium, Æneid. lib. V, vs. 670, *novus furor*.

2. *Lumina victa.* Alii legunt *vincla*, quod absque dubio spurium est. *Lu-*

Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor.
Nam posita est nostræ custodia sæva puellæ,
Clauditur et dura janua fulta sera.
Janua difficilis dominæ, te verberet imber,
Te Jovis imperio fulmina missa petant.

mina victa hoc loco sunt lumina somno obnitentia. Sic apud Ovidium, Art. Amat. lib. III, vs. 647: « Sunt quoque, quæ faciant altos medicamina somnos, Victaque Lethæa lumina nocte premant; » et in Fast. libro III, vs. 19: « Blanda quies victis furtim subrepit ocellis. » Quid differat *victus* et *vinctus somno* docuit Hand. ad Stat. t. I, p. 326 sq.

3. *Perfusum tempora.* Ita editum constanter: sicque nostri cum multis aliis scriptis. Alii libri, pari forte numero, in his Guelf. 2, *percussum* tuente Heinsio; confer Douzam in not. cap. 1 et 7. Heynius hanc lectionem potiorem esse existimat; ait enim græce dici βεβολημένος ὕπνῳ; et notum illud Ovidii e Remedio amoris, vers. 146, profert: « Multo tempora quassa mero. » Denique addit bibentis caput percelli et percuti videri, dum vino turbatur; et ita Græcis οἰνόπληξ dici. Bach. *percussum* in textum suscepit. Nos autem *τὸ perfusum* servavimus: hoc loco poeta *novos dolores* sopire conatur, idque *multo Baccho*; oportet itaque ut bibentis caput paulatim madefactum curarum memoriam amittat. Ipse Tibullus, eodem eloquendi genere, lib. I, Eleg. VII, vs. 20, iterum utitur *multo tempora funde mero.*

4. *Infelix dum requiescit amor.* Sic scripti omnes; sed primæ editiones *amans* habent, quod fuit glossema vocis *amor.* BROUCKH.

6. *Dura janua fulta sera. Fulta* recte Brouckh. reposuerat, quamquam Vulpius denuo revocavit *firma;* quod in aliis est, etiam in codicibus Reg. Guelf. 14, et edd. Lips. et Rom. Est hoc haud dubie istius interpretamentum: confer infra, ad Eleg. VIII, vs. 76. Ita enim variatur in Metam. Ovidii, XIV, 780, *portasque petunt quas objice firmo Clauserat Iliades.* Quæ Priscianus, teste Heinsio, ita laudat: « quas objice fultas Clauserat Iliades. » Art. II, 244: « Atque erit opposita janua fulta sera. » Duo Burm. *janua firma.* Etiam Virg. Æn. VIII, vs. 227, *fultosque emuniit objice postes.* HEYN.

7. *Janua difficilis dominæ.* E scripturæ compendio *dm* nata est lectio duplex; nam sunt qui *domini* servare jubeant cum Brouckhusio, qui vocabulum *difficilis* dominæ non convenire declarat; quippe quæ custodienda sit: sed Statius, Muretus, Gryphius, Passeratius, Livineius, Raphelenginus, J. H. Voss. Huschkius et Bachius omnes *dominæ* elegerunt, quorum opinioni accedimus et nos; cave tamen secundo casu accipias vocabulum *difficilis*, quod meo sensu ad januam non ad dominam pertinet, amatori enim cum puellæ janua res agitur. Hæc olim facilis erat, tunc enim quum Delia adhuc innupta, nunc eadem, difficilis facta, a poeta oneratur maledictis, *te verberet imber, Te Jovis imperio fulmina* etc.

Janua, jam pateas uni mihi victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas; capiti sint, precor, illa meo.
Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, quum posti florea serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle.
Audendum est. Fortes adjuvat ipsa Venus.

9. *Pateas victa.* Infra I, Eleg. v, vs. 67, *nec verbis victa fatiscit Janua;* ubi maxima librorum pars habet *patescit.* Virgil. Georg. I, 180, de area complananda; *Ne subeant herbæ, neu pulvere victa fatiscat.* Quo loco Heynius verbum *victa* ornatus causa adjectum ait. Sed *vinci* ex usu poetarum universæ dicuntur res solidæ et clausæ, ubi aditum præbent, vel patescunt. Pindarus Nem. IX, 2, de janua Chromii hospitibus patente: ἔνθ' ἀναπεπταμέναι ξείνων νενίκανται θύραι. HUSCHK.

10. *Neu.* Is. Vossii primus codex habet *nec*, loco τοῦ *neu*, quod etiam editioni anni 1472 inest.

11. Ad hunc versum, Brouckh. qua garrulitate est, nullum amatorem silentio præteriit, omnesque laudat, qui antiquis temporibus ante puellæ fores porrecti, posti convicia fecerint, vel blanditias ingesserint.

12. *Capiti sint, precor, illa meo.* De hac formula vide egregiam Henrici Steph. disputationem in Thes. ling. græc. tom. II, p. 149.

13. *Voce peregi.* Hoc est: dixi, precatus sum; Livius, I, cap. 28: *rex cetera, ut orsus erat, peragit;* et cap. 37: *peragit deinde postulata;* vide Ovid. Fast. V, vs. 680. HEYN.

14. *Florea serta.* — *Florida serta* sic quidem nostri libri: tamen malo *florea*, quod in suis manuscriptis se invenisse testatur Ach. Statius Comment. in Catull. p. 230. BROUCKH. — J. H. Voss. lectionem *florea* pariter amplexus est; sed loco τοῦ *darem* reposuit *dabam;* prætexens hoc, actionem infinitam, vel, ut hic sæpe, repetitam significare, illud vero actionem definitam. At H. Voss. a doctissimo viro Huschkio optime refellitur; is enim tribus exemplis demonstrat potiorem esse sententiam secundum quam conjunctivus quoque frequentiam denotat. Dixit enim Varro, R. R. lib. III, 1: *Fuit tempus, quum rura colerent homines, neque urbem haberent.* Reliqua exempla non opus sunt. Bachius, Huschkio consentiens, fusius de usu indicativi et conjunctivi disserit.

16. Deest hic versus in Colet. et Ald. 1515. Statius eum quoque damnavit: « Hoc vero totum non est hujus poetæ γνήσιον, quamquam scriptis in libris legatur. » Sed pace Statii, sententia, quæ huic loco inest, perantiqua videtur. Utrum Simonides illam primus protulerit, an alius poeta græcus, pendet ex incerta lectione apud Claudian. Carm. XLII, vs. 9, ubi vulgo editur: *Fors juvat audentes; Cei sententia vatis.* Sunt qui legant *prisci vatis*, quo Ennium designari censet Columna, p. 134; dixit enim Ennius, *Fortibus est Fortuna viris data.* HUSCH.

Illa favet, seu quis juvenis nova limina tentat,
  Seu reserat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli descendere lecto,
  Illa pedem nullo ponere posse sono;
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
  Blandaque compositis abdere verba notis.

17. Voss. *juvenum* in textum suscepit, quod et Statius in multis libris legi affirmat. Santenius testatur ad Balbum, p. 1812, nullum ex suis codicibus *juvenum* habere.—Quum difficillimum sit judicare, quid veterum auribus elegans, vel elegantius fuerit, vagas atque incertas emendationes eas esse puto, quæ studio auribus placendi debeantur. Bach. — Mihi quoque *juvenis* magis placet; nam in sequente versu poeta puellam inducit, et pariter singulari numero.

18. *Fixo dente.* Clavi dentata seræ inserta. Bene hæc exposuit Cl. Salmasius Exercitat. Plinian. pag. 928. Brouckh. — Nullus adhuc commemoratus est liber scriptus qui exhiberet lectionem, quæ reperitur in codice parisino, n. 7989, *falso dente.* Huschk.

19. Vulgo *decedere*, vel *discedere*. Illud habet codex paris. et edit. an. 1472. Hinc Douza formavit *descendere*, quod Brouckh. amplexus est aliique omnes, eo freti, quod sæpe permutentur tria illa verba *discedere*, *decedere*, *descendere*, ut docet Bentl. ad Horat. lib. I, Ep. xvi, vers. 7. Brouckhus. e consuetudine sua multa congessit loca, quibus sat superque doceret lectos fuisse gradibus instructos, ut nonnisi ascendendo eos inire potuerint. Virgilius præterea simili eloquendi genere usus est in Cir. vs. 209 sq : « Quum furtim tacito descendens Scylla cubili Auribus arrectis nocturna silentia tentat. » Nec tamen video cur non æque poeta *decedere*, vel *discedere* dixerit, licet Brouckhus. id esse parum latine existimet. Liber unus Frising. habet *derepere*, quod J. H. Voss. nulla dubitatione in textum suscepit. At Huschkius lepide pronuntiat id accommodatius esse feli quam puellæ.

21. *Nutus conferre loquaces. Conferre*, quia mutuo fiunt : ita *conferre sermones*, quos mutuo facimus, *consilia* dicimus : itaque melius quam *proferre*, quod Statius laudat, quodque est in Exc. Ital. In uno Brouckh. Guelf. 2 ; etiam *vultus* ex interpretatione ; etsi sic Ovid. Amor. II, iv, 17, qui hac de re classicus est : « Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem : Excipe furtivas, et refer ipsa, notas. » Fere ut in nostro Propert. III, El. vi, vers. 25 : « Tecta superciliis si quando verba remittis. » Heyn.

22. *Blandaque compositis abdere.* Plerique male *addere*, Statiani *reddere*, Regius ; Guelf. 2 tenet *abdere*, quod et magna pars librorum Brouckhusii tuetur. Tum pro *notis* unus Brouckh. *modis*. Guarner. *jocis* ; Ovid. Art. Amat. I, 489 sq : « Neve aliquis verbis odiosas afferat aures, Quam potes, ambiguis callidus abde notis. » Idem, Amorum lib. III, El. xi, vers. 24, hunc locum imitatur : « Verbaque compositis dissimulata notis. » Heyn.

Nec docet hoc omnes; sed quos nec inertia tardat,
  Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego quum tenebris tota vagor anxius urbe,

23. *Nec docet hoc omnes; sed quos.* Unus Brouckh. *sed quas*, probante Heynio: « Nam metus cadit, et de iis in antecedentibus actum. » Nobis Heynius errare videtur, quippe qui non reputaverit Tibullum, vs. 17 et 18, primum de juvene, mox de puella, denique de juvenibus et puellis simul meminisse, nunc vero ad virorum audaciam transire.

24. Non ludet operam qui Propertium contulerit lib. III, El. XIV; itemque Ovidium, Amorum lib. I, Eleg. VI. Brouckh.

25. *En ego* etc. Veteres editiones et codices fere omnes exhibent hoc distichon; ita quidem ut hexameter ubique idem occurrat; pentameter vero tanta laboret varietate, ut nemo idoneus sit ad litem dijudicandam. Sed antequam eligamus, nobis quibusdam editoribus advorsum ire videtur; isti enim huic loco cultro medentes malunt poetæ nihil superesse quam aliquid spurii, eumque veste exuunt ac denudant, ne forte maculata incedat. Scaliger primus fuit qui distichon exsulare jussit, quem mox secuti sunt, Brouckhus. Vulpius, Heynius, quorum ultimus tamen hexametrum in Observationibus sincerum esse putat. Certo, hexameter si eadem varietate agitaretur qua pentameter, nullus dubitaret, quin integrum distichon eradendum esset, sed ille sibi ubique constat, ut necessario legitimus declarandus sit. Quo facto, nemo erit quin agnoscat Tibullum pentametrum hexametro submisisse. Superest itaque, ut videamus qualis fuerit ille versus. Antiquam codicum et editionum scripturam servavimus; attamen Statius contra nititur; ait enim: « est in veteribus libris; κίβδηλον tamen existimatur, commentum enim esse Aurispæ cujusdam dicitur. » Fuit hic Aurispa vir summæ doctrinæ qui, ut notat Brouck. non multum ab initio sæculi quinti decimi floruit, seque variis erga latinas Musas meritis insignivit. Attamen Statio et Brouck. hoc loco parum fidei tribuo: præsertim quum versus, de quo sermo est, jam in codice perantiquo anglo legatur anni 1425, et Aurispa demum circa 1430 vixerit: adde quod idem versus in Pall. sex, in Comel. Guelf. 1, 3, 4, in Beroll. 2, 3, 4, denique in Vossii 1, 2, 3, 4, inveniatur. Fatemur tamen in nonnullis librorum adesse lacunam; quin adeo in aliis scripturam vario modo torqueri, ut nunc *ire*, nunc *isse* denique et *esse* et *ipsa* reperiantur. Interpolatores quoque lacunam resarcire conati sunt; quo factum, ut loco pentametri Muretus et Statius in quibusdam libris invenerint: « Præsidio noctis sentio adesse deam. » In Wittiano priori adest: « Non mihi nocte quies, non mihi nocte sopor. » Sed in hoc et in altero Wittii codice pro diversa lectione, in margine appinxerat recentior manus *securum in tenebris* etc. In codice paris. legitur ab eadem manu quæ codicem descripsit, adjectum: « Ille deus certæ dat mihi signa viæ. » Pontanus denique, cujus liberalitatem damnavit ipse Brouckh. poetam alio versu donavit: « Usque meum custos ad latus hæret Amor. »

Securum tenebris me facit ipsa Venus ;
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet : insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis,
Non mihi, quum multa decidit imber aqua.
Non labor hic lædit, reseret modo Delia postes,

Causam et rationem, cur veteri textui acquiescendum censemus, jam tenes, amice lector ; ipse nunc decerne. Sed cave credas, nos tibi hunc versum auctoritate obtrudere voluisse, qui fortasse Tibulli non est. Faciamus igitur cum Gebhardo dicente : « Si non genuinum, saltem proximum genuino cognoscimus. » Sunt quibus ipse sensus seriei, hoc distichon opus esse videatur, mihi vero secus; absit enim, vel adsit, nihilominus decurrit sententia. Pauca adhuc Brouckhusio objicienda censeo, qui τὸ *anxius* in hexametro culpat, eique substituere conatur *avius*, quasi *anxius* non esse possit, quem Venus *securum* facit : sed hæc verba minime inter se pugnant : quamvis securus ab omni damno vel periculo, amator anxius esse dicetur, scilicet, curarum quas amor habet. Denique putat Brouckh. τὸ *avius*, esse consentaneum verbo *vagor: tota vagor avius urbe* ; h. e. quum vagabundus circum lustra oberro in urbis aviis regionibus: et erant Lupanaria fere aut in Suburra, aut in Summænio; sed Tibullus non ad *Summænianas uxores*, (ut lepide dixit acutus ille Martialis), sed ad Deliam iter instituerat ; non erat igitur cur Brouckhusius pro libito poetam nostrum, velit nolit, in Lupanaria seduceret ; quod delicatiori hujus venustissimæ Elegiæ sensui omnino adversatur.

27. *Nec sinit occurrat* etc. Quidam, codice regio freti, *accurrat* legi jubent : nos vulgatam, ut rei accommodatiorem, servavimus.

28. *Petat.* Brouckhusius e duobus codd. pro *petat* reposuit *ferat* ; sed, qua opinione sum, perperam. Cyllenius ait: Circitores, hoc est, urbis custodes, quem nocte invenerint sine facibus, aut in carcerem detrudunt, aut arrepto palliolo præmium expostulant ; verum Brouck. Cyllenium reprehendit quasi ad sui temporis mores poetam exposuerit. Idem Brouck. addit hic de prædonibus nocturnis agi.

29. *Quisquis*... etc. Propert. l. III, El. XVI, vs. 13 : « Quisquis amator erit, scythicis licet ambulet oris. »

30. *Non timuisse.* Ita edit. anni 1472, et cod. paris. Pauci libri *nec timuisse*, quod minus placet in generali sententia. Huschk. Voss. et Bach. *nec* anteposuerunt ; opinantur enim dictum esse pro *ne quidem*.

31. *Frigora.* In Regio *sidera*, nimis grave vocabulum pro elegiæ simplicitate ; cæterum aberratio librariorum valde obvia. HEYN. *Pigra* dicuntur *frigora*, ab effectu ; rigentibus gelu membris, et ægre se moventibus.

33. *Non labor hic lædit.* Heynius

Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir, seu femina fias
Obvia; celari vult sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum, neu quærite nomen,
Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Si quis et imprudens adspexerit: occulat ille,
Perque deos omnes se meminisse neget.
Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,

lædat in Observationibus desiderat; sed, ut videtur, perperam; nam *lædit* superioribus consentaneum, ubi *nocent* legitur. Regius codex Tibullo Deliam abstulit, eique Lydiam quamdam substituit, sed reliquorum omnium consensu Delia pristinam sedem tuetur.

34. *Et vocet*... etc. Interpretes fere omnes, hoc loco signum nocturnum intelligunt, quo Delia innuerit amatori suo, velle se clanculum descendere, et fores illi aperire. Brouck. solemniter pronuntiat: « Ita recte subodoratus est Gonsalius *de Salas* ad Petron. pag. 97. » Idem Brouck. Quia apud nostrum poetam semel de amatore sermo est, qui exsecratione signum dabat, omnibus amatoribus digitorum sono interdicit, puellasque pariter exsecratione prohibet. Crediderim tamen, hoc loco, signum digiti a Tibullo profectum, ita ut leviter janua pulsa, Deliam de adventu ejus certiorem faceret, quæ, postes mox reserans, illum vocaret.

35. *Parcite luminibus.* Quasi metuenda foret orbitas oculorum. Hæc eos pœna sequebatur, qui numen aliquod conspexissent invitum, quamquam ignari ipsi atque imprudentes. Vide Spanheim. Observat. in Callimachi Hymnum Palladis vers. 78. Brouckh. — Codex paris. *fiat.* Editio anni 1472 *fiet.* Melius vulgat. esse e seq. apparet.

37. *Neu.* In hac particula mira est librorum varietas; H. Voss. eligit *nec*, quamobrem ab Huschkio valde castigatur. Bach. *ne-neu* e quibusdam libris revocavit; ei sententia superioribus non connexa videbatur. Sed Huschkius ait: « *Ne-neu* proba quidem est construendi ratio, nec ea tamen ubivis inculcanda. Nam non minus recte se excipiunt ante imperativos, particulæ *neu-neu* quam *ne-neu*, ut apud Virgil. Georg. IV, vers. 47, et apud Claudianum VIII, vers. 278. »

38. *Lumina ferte.* Nunc *lumina* alio modo dicta, ac paulo ante vs. 35: hic erat: *Nolite me propius adspicere;* nunc; *ne facem propius admovete.* Heyn.

39. *Si quis.* Duo cod. H. Voss. habent: « Si quid et imprudens adspexerit, » probante Passeratio.

41. *Nam fuerit quicumque loquax.* Brouck. putat, hoc loco, poetam amatoribus præcepta scripsisse; scilicet ne sese jactent, ob nimium puellæ amorem. Idem de Venere meminit quæ graviter comminatur Anchisæ, ne jactare velit in amore se mixtum fuisse cum immortali dea. Sed interpretationi Brouck. sensus superiorum adversatur; poeta simpliciter dicit: Quicumque meos amo-

Is Venerem e rabido sentiet esse mari.
Nec tamen huic credet conjux tuus : ut mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi;
Fluminis hæc rapidi carmine sistit iter;

res evulgaverit, is crudelitatem Veneris cum dolore sentiet.

42. *Rabido.* Quidam libri loco vulgaris *rapido*, exhibent *rabido*, quod cum Fruterio, Livinezo et Bentleio ad Lucan. III, 255, probat Santenius. H. Voss., Bach., Wunderlich. eidem accedunt sententiæ, merito sane; maris enim sævitiæ magis convenit. Ovidius, Metam. I, vs. 36 pariter dixit: « Tum freta diffundi, rabidisque tumescere ventis. » — H. Voss. *e* cum nonnullis libris omittit; sed parum apte. — E sanguine nata dicitur Venus, quia ex abscissis Cæli genitalibus et in mare projectis orta.

43. *Nec tamen huic credet.* Nec tamen, si vel maxime aliquis loquax fuerit, et marito furta nostra indicaverit, ei credet maritus. Heyn. De originibus artis magicæ ejusque singulis momentis, perite disputavit illustris Wachsmuth. in Athenæo V, II, part. II, p. 209. Bach.

44. *Saga.* Nonnius Marcellus ait: « Sagæ mulieres dicuntur feminæ ad lubidinem virorum indagatrices; unde et sagaces canes dicuntur, ferarum vel animalium quæsitores. » Paulatim usu venit, ut *sagæ* nomen ad incantatrices ac veneficas transiret.

45. *Hanc ego de cælo* etc. Heyn. ait : Ductum videtur a meteoro stellarum caducarum. — Hic incipit choragium miraculorum Thessalorum, quibus pleni veterum scriptorum libri. Tu, si tanti videbitur, confer Horatium, Epod. V et XVII; Nasonem, Epist. Hypsipyles, vers. 83, et Amor. lib. I, Eleg. VIII, 21; Metam. lib. VII, vs. 179; lib. XIV, vs. 43; Maronem, Eclog. VIII; Propertium, lib. IV, Eleg. V; Senecam Med. vs. 675, et Herc. Æt. vs. 454; Lucanum, lib. VI, vs. 431; Apuleium, initio Metam. lib. I, et lib. II ac III; Petronium eo loco, « Quidquid in orbe vides, paret mihi. » Claudian. in Rufin. lib. I, vs. 146; Silium, lib. VIII, vs. 496; Flaccum Valerium, lib. VI, vs. 439; Nemesianum, Eclog. IV. Brouck.

46. *Fluminis hæc* etc. Inter doctos de hoc versu magnæ contentiones ortæ sunt. Quidam enim *fulminis* legi jubent : inter quos maxime Brouck. H. Voss. et Bach. locis poetarum nonnullis freti, asserunt hanc lectionem superioribus esse consentaneam, nobilioremque imaginem præbere. Verum Heinsius, Heyn. et Huschk. qui lectionem *fluminis* amplectuntur, totidem fere exemplis gaudentes, aperte demonstrant magicarum artium præcipuam vim fuisse in fluminibus vertendis ac sistendis. Præterea, id tibi notes velim, poetam superiori versu jam de prodigiis, quæ cælo eveniunt, egisse: mox et sequenti versu prodigia memorat, quæ solum findunt: denique ad ea procedit, quæ sub terra fiunt, ut necessario hic aquarum portentis locus patefiat. — Brouck. librorum unus *sistit* loco vulgaris *vertit* exhibet, assentiente cod. Hamb. Hanc lectionem Brouck. Voss. et

Hæc cantu finditque solum, manesque sepulcris
Elicit, et tepido devocat ossa rogo.
Jam ciet infernas magico stridore catervas;
Jam jubet adspersas lacte referre pedem.

Bach. amplexi sunt : quippe qui *fulminis* non *fluminis* legant, attamen τὸ *sistit* flumini quoque aptius videtur, et certo sensum præbet validiorem quam languidum illud *vertit*. Quin adeo Apollonium vadem habemus; is enim de Medea, lib. III, vers. 532 : Καὶ ποταμοὺς ἵστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας. Virgilius quoque ait, Æneid. lib. IV, vers. 489, *sistere aquam fluviis.*

47. *Manesque sepulcris* etc. Brouckhusius hoc loco integra fere poemata in suas notas transvexit, quibus nos doceret qualis apud Romanos fuerit ritus mortuorum eliciendorum. Multi viri, iique eruditissimi, hac locorum mole decepti eo erroris venere, ut cum evocationibus deorum, evocationes mortuorum confunderent, quæ tamen inter se omnino differunt : iidem, ne iterum *catervæ infernæ*, (quas cum manibus permiscent), loco moverentur, vers. 49 genuinam lectionem delere volunt, eique substituerunt *tenet;* quod non nisi ab errore librariorum procedit. H. Voss.

48. *Et tepido devocat ossa rogo.* Hæc vulgo eo referunt interpretes, ut ossa e cineribus legat venefica, quibus ad maleficium utatur. Enimvero enumerat poeta miras istas, et stupendas plane sagæ potentissimæ præstigias. Quantum autem illud est, ossa de rogo legere? nisi forte in eo artis summa posita est, quod, videntibus et præsentibus iis, qui in funeris officio sunt, cadaver e rogo subducit. Malim tamen ita accipere, quasi anus cadaver in rogo positum descendere faciat, et vitæ restituat; hoc est, quod aqud Statium Theb. lib. IV, 507, « Attollere bustis Corpora, etc. » Similem narratiunculam in Apuleio, lib. II, legere memini. Heyn.

49. *Jam ciet* etc. Brouck. multum hic sudat ut lectionem *tenet* defendat, auctoritate veterum codicum et editionum fretus; at nobis totidem codices, nec ii despiciendi, præsto sunt, quibus *ciet* tueri possimus. Cæterum te ad notam vs. 47 refer; ibi enim H. Vossii sententiam declaravimus. — *Tenet* inveteratum scribendi vitium mihi videtur, quum litteræ *c* et *t* in cod. minusculis litteris exaratis tanta sit similitudo, ut oculis vix possint discerni. Bach. — In primo Wittiano et tertio ac quarto Anglicanis erat, *magico sermone.* Falso atque inveneste; *stridere* et *stridor* vocabula sunt propria abominandæ artis : confer Statium, lib. VII, Theb. 770; Silium, lib. VIII, vers. 501; Claudianum, in Ruf. lib. I, 126, etc. etc. Brouckh.

50. *Jam jubet adspersas...* Hujus adspersionis in dimittendis umbris perexigua est memoria, nam reliquus lactis usus in libamentis mortuorum, et in evocatione deorum manium, una cum melle ac cruore victimarum et mero, aliorsum pertinebat. Papinius Theb. lib. IV, 543, ore Tiresiæ : « Argolicas magis huc appelle precando Thebanasque animas; alias avertere gressus, Lacte quater sparsas, mæstoque excedere luco, Nata, jube. » De quaternarii

Quum libet, hæc tristi depellit nubila cælo;
Quum libet, æstivas convocat ore nives.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,
Sola feros Hecatæ perdomuisse canes.

numeri mysteriis multa disputat Macrobius Comm. I, in somnio Scipionis, cap. 5 et 6. B.

52. *Quum libet, æstivas convocat ore nives.* Brouck. quoque sic legit auctoritate veterum librorum fretus; alii libri, pari fere numero, exhibent *æstivo convocat orbe nives.* Passeratius, Vulpius, Heyn. Husch. et Bach. nostram lectionem rejiciunt. Voss. alia quadam usus est ad integrum versum immutandum; nam quum Brouck. de antiquo libro meminerit, cui insunt hæc verba *æstivo fulgurat orbe deos;* Voss. declarat hunc locum esse imitatione ab Ovidio facta restituendum. Ait Ovidius, Am. lib. I, Eleg. VIII, vs. 10: « Quum voluit, puro fulget in orbe dies: » τὸ *fulget*, si Vossium sequaris, paulatim in *fulgurat* immutatum; ita quidem ut librarius quis, Ovidianum distichon respiciens, in Tibulli textum *fulget* invexerit; aliusque modo librarius, versum sensu carentem ope vocabuli *fulgurat* magis magisque deformarit. Cæterum putat Voss. genuinam lectionem esse *fugit*, et ubi nunc *deos*, legendum esse *dies*. Sane nihil contortius esse potest, quam illa doctissimi viri emendatio. De nivibus nihil omnino H. Vossius Sagis concedere vult, ne nimia fruantur potentia; iis tamen mortuos evocandi facultatem concedit. Nos cum Brouck. facimus; nihil enim obstat quominus dicamus *æstivas nives;* præsertim quum Martial. lib. VI, Epig. VIII, *hibernas rosas* scripserit. Sunt tamen quidam, qui asserant τὸ *b* festinatione librariorum ex *orbe* excidisse: tunc quia parum congrueret cum *ore* epitheton, plurali numero et quarto casu scriptum esse. De his omnibus ipse decernas, dummodo H. Vossii conjecturam procul habeas. Miror equidem, hunc tantum virum qui semper habet quem interpolationis incuset, tamen ipse eo temeritatis venisse, ut culpam admitteret majorem, quam antecessorum omnium delicta.

53. *Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas.* Quidam codices exhibent *artes*, quod Brouck. contra mentem omnium poetarum esse declarat. Idem a Heyn. rejicitur propter epitheton *malas*. Ait enim herbis esse aptius quam artibus. Sed artes pariter innumeris in locis dicuntur *malæ;* vide Martial. V, XVIII, 6, et alios: confer etiam Robert. Stephanum Thes. ling. lat. qui h. l. *malas artes*, magicas interpretatur.

54. *Hecatæ.* Brouck. undecim libris, quibus accedit cod. paris. obsecutus, reposuit *Hecatæ*, ut sibilum insuavem emolliret. Vossius *Hecates* revocavit propter insuavem sibilum deæ illi vel maxime convenientem. Brouck. accessit Heyn. Sed adeo inconstans est latinorum in flectendis his nominibus ratio, ut, ubi variant libri, quid scripserit auctor definiri plerumque nequeat. Frequentius tamen horum nominum genitivi et accusativi latina terminatione exprimi solent, quod innumeris exemplis utriusque generis scriptorum demonstravit Oudendorp. ad Apuleium, pag. 96... H.

Hæc mihi composuit cantus, queis fallere posses:
  Ter cane, ter dictis despue carminibus;
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
  Non sibi, si in molli viderit ipse toro.
Tu tamen abstineas aliis: nam cætera cernet
  Omnia: de me uno sentiet ille nihil.
Quid credam? nempe hæc eadem se dixit amores
  Cantibus aut herbis solvere posse meos;

— Cyllenius et Turnebus hic de furiis agi putant, sed canes sunt, vere canes, quæ ululantes Hecaten comitantur. Sic Virgil. in Æneid. lib. VI, vers. 257: « Visæque canes ululare per umbram, Adventante dea. »

55. *Queis fallere posses.* Cod. paris. habet *quis fallere posses.*

56. *Despue.* Quidam codices *exspue*, alii *conspue;* formulas docet ter recitandas esse, et in sinum ter despuendum, qui ritus ab hominibus doctissimis illustratus est. Nam Achilles Statius, Andreas Tiraquellus, in sextam legem Connub. n. 17; Turnebus, lib. XXVI; Joannes Wouwerus ad Petronium; Meursius ad Theocrit. Idyl. VI; Freder. Lindenbruch. in Cirin, Casaubonus in Persii Satyram, II, vs. 33; Elias Schedius, de Diis Germanis, syngram. II, cap. 44, et fortasse alii complures de hujusmodi incantationibus egere; Scholiastes ad Theocrit. VII, vers. 126, notavit εἰώθασι δὲ αἱ γραῖαι, ὅταν ἐπάδωσιν, ἐπιπτύειν.

57. *Ille nihil* etc. Ovidius hunc locum imitatus est, Amor. lib. II, Eleg. II, vs. 57. « Crede mihi; nulli sunt crimina grata marito..... Viderit ipse licet, credet tamen ipse neganti, Damnabitque oculos, et sibi verba dabit. » Nec dissimilia sunt Am. lib. III, Eleg. III, vs. 43 sq.

58. *Si in molli* etc. Voss. ducibus aliquot libris *in* ejecit, exemplaque adduxit ex Elegia tertia Tibulli, ubi legitur *recubare toro*, et e quarta ubi similis occurrit locutio: *secubuisse toro.* Huschk. præpositionem contra Vossium defendit; priorique loco opponit exemplum Propertii, posteriori locum Ovidii. Nihil refert quod in nonnullis libris omittatur præpositio: perierat, ut existimat Brouck. absorpta, ab elemento principe voculæ *molli* « Id ita esse indicio est meus codex tertius, in quo paulo aliter aberratum fuit geminata littera *m*: *Sim molli viderit ipse toro.* Nihil potest explicari apertius. » Huc accedit, quod *videre aliquem in molli toro* ita plane dicitur ut εὑρίσκειν τινὰ εὐνῇ ἐνὶ μαλακῇ apud Homerum, Iliad. X, vs. 73.

60. *Sentiet ille nihil.* Poeta quin *ille* scripserit, fere nihil est dubii; præsertim quum in cod. pluribus occurrat. Lectio *ipse* fortasse librariorum culpa, e superiore disticho, in hunc versum transiit. J. H. Voss. — *Ille* placet quoque Heynio, et inest codici regio.

62. *Solvere.* Brouckh. nube exemplorum advolat, ut nos doceat *Solvendi* verbum huic negotio esse proprium ac peculiare; *vinciendi* vero verbum vim habere omnino contrariam.

Et me lustravit tædis; et nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non ego totus abesset amor, sed mutuus esset
Orabam; nec te posse carere velim.
Ferreus ille fuit, qui, te quum posset habere,
Maluerit prædas stultus et arma sequi.

63. *Et me...* etc. Facibus et tæda, cum admixto sulfure ac bitumine; forte et cruore. Præcedebat lotio sollicita, mactata simul ove nigra. Sparsim hæc reperire est apud poetas; Ovid. Metam. lib. VII, vers. 259; Papin. Theb. lib. IV; vs. 414; Horatius, Epod. V, vers. 79; Virg. Eclog. VIII, vers. 82; Nemesian. Eclog. IV, vers. 62; Claudian. Panegyrico Honorii, in sexto ejus consulatu etc. BROUCK.

64. *Ad magicos ... deos.* Deos inferos, quos in his sacris magicis invocant. Vide Ovid. Metam. VII, vs. 192. Proprie dicendum erat: *Concidit diis*; inde *ad aram deorum hostia pulla*. Nigra ovis ex more sacri magici. H. — Brouck. innumera poetarum loca, consueto more, coacervat; vid. Valer. Flac. lib. VI, vs. 155; Æneid. lib. V, vs. 736; Senec. in Œd. vers. 556; Silium, lib. XIII, vs. 404; Stat. Theb. lib. IV, vers. 451; Lucan. lib. VI, vs. 577.

65. *Non ego* etc. Sic Glaucus apud Nasonem, Circen adfatus, Met. lib. XIV, vs. 23: « Nec medeare mihi, sanesque hæc vulnera mando: Hac ope nil opus est: partem ferat illa caloris. » Tibullus more delicatissimo naturam secutus est. Nam amatores, etsi excruciantur, tamen nihil acerbius esse putant, quam amoris exstinctionem.

67. *Ferreus* etc. De sequentibus versibus ad finem usque, multum inter doctos disceptatur. Scaliger et Brouckh. quatuordecim inde vs. Elegiæ ingerunt primæ; Heynius eosdem secundæ quidem adscripsit, sed asteriscos interponit, quasi lacuna quædam inter 66—67, et inter 80—81 occurreret. Sed illustrissimus ille vir, diverso tempore, diversas, de hac sensus cohærentia, iniit sententias. H. Voss. et Frentzel. novam Elegiam constituunt, in qua Tibullum pœniteat se castra secutum esse. H. Vossium ipsum inducamus loquentem; ait enim in Præfatione: « Patet libri primi secundam Elegiam sequenti accrevisse, quod ita fere accidit: in cod. manuscriptis, Elegiæ nullo interposito titulo sese excipiunt, ut facile librarius quis unam cum altera confuderit. Poeta vero in secunda queritur ob januam Deliæ nunc sibi clausam. Aliud est tertiæ Elegiæ argumentum; sese enim excusat quod, neglecta Delia, in bellum profectus prædæ studuerit etc..... » Secundum hanc Vossii sententiam *Ferreus ille*, et infra *ipse boves* de eadem usurpantur persona; nempe de Tibullo, sed de diverso tempore, ita ut *ferreus ille* insanum denotet Tibullum, qui puellam olim dereliquerit; *ipse boves* etc. eumdem Tibullum, sed amore flagrantem. Nobis secus videtur; manifeste enim diversos homines designant *ille* et *ipse*, præsertim quum poeta præsenti tempore et belli, et amoris commoda subjiciat, ita ut necessario, dum dux *ille*

Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
  Ponat et in capto Martia castra solo,
Totus et argento contextus, totus et auro,
  Insideat celeri conspiciendus equo;
Ipse boves, modo sim tecum, mea Delia, possim
  Jungere, et in solo pascere monte pecus;

victas agit catervas, *ipse*, amator scilicet, apud Deliam boves jungat. Brouckhusius hoc loco multa eruditionis mole, de Sosio quodam nescio quid somniat, ut τὸ *ille* ad certum hominem referri possit. Heyn. qui hæc ad triumphum de Cilicia pariter retulerat, sententiam mutavit agnovitque hic agi de incerta persona; quin adeo fortasse agitur de *hypothetica et de quacunque*, quæ Deliam non amore sollicitaverit. Quo circa mihi Heynius et Huschk. errare videntur qui post verbum *fuit* desiderant *maluit* vel *maluerat*, quasi τὸ *fuit* absolute positum esset. Nunc superest ut demonstremus superiora cum sequentibus bene cohærere, qua in re non multum sudabimus. Initio enim hujus Elegiæ, lamentatur poeta de obserata porta, tum puellam adhortatur ut maritum decipiat; deinde sagæ laudat artes, quibus omnia moveri possunt. Denique declarat se nunquam amore liberari velle; ita verbis *ferreus ille fuit* sensus optime continuatur, quamvis eum H. Voss. ruperit; is enim *te* velut *accusativum* ad verbum *carere* retulit, ablativumque sustulit, quod contra sincerum latini sermonis usum fecit.

69. *Victas*. E sequenti versu patet hic agi de hostibus nunc fugientibus, quorum regionem hostis occupat; quamobrem lectionem *victas* anteposui lectioni *vinctas*, quæ non nisi triumphatori convenit.

71. *Contextus* ad vestem pertinet, qua victor indutus *celeri insidet equo*, quum ex acie revertitur: itaque hæc verba ad pompam spectare videntur, qua dux prædam inter milites dividit. Vulpius putat hoc loco Tibullum ovationem respexisse. — Ovantes sane illo tempore equo Romam intrabant, neque prætexta, ut ante, republica libera, sed veste triumphali utebantur. H.

73. *Ipse boves*. Editiones veteres, in bis princeps omnium anni 1472, « Ipse boves mea si tecum modo Delia possem. » Quam verborum structuram retinens Scaliger *si* mutavit in *sim*. Et sic Heynius edidit. Concinnior est, etiam de judicio Brouck. verborum collocatio in uno Statiano: « Modo sim tecum, mea Delia. » Cod. etiam paris: « Ipse boves modo si tecum, mea Delia, possim. » Nullo libro confirmatur lectio inconcinna: « Ipse boves tecum possim jungere. » H.

74. *In solo.... monte*. Sic recte scripserunt cum Scaligero Murretus, Passeratius, Gebhardus. In libris legitur *in solito* quod ab editoribus vitiosum dicitur; aiunt enim, *montem solum* esse, qui desertus, solitarius, ut apud Virgil. Georg. lib. IV, vs. 465: « Te solo in littore secum; » Æneid. lib. VI, vs. 268: « Ibant obscuri sola sub nocte per umbram; » Ibid. lib. XI, vers. 571: « Et solis exegit montibus ævum; » et apud Propertium, lib. II, Eleg.

Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis in inculta sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, quum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem,
Nec sonitus placidæ ducere possit aquæ.
Num Veneris magnæ violavi numina verbo,
Et mea nunc pœnas impia lingua luit?

xv, vers. 7: « Sola eris, et solos spectabis Cyntia montes. »

75. *Et te dum* etc. H. Voss. novam hic statuit sententiam incipi, eamque ex animo precantis: qua propter in textum intulit: *O te dum teneris liceat.* Favente Frenzelio. Librarii, ait illustris ille vir, ob corruptum *si* superiore disticho, exclamationem *O* in *et* immutaverunt, juncturæ mederi cupientes; sed *et* superiori sequentique versui inest: itaque ab elegantiore sermone alienum, hic quoque interpolari. Huschkius Vossium refellit, quippe qui emendationem inutilem attulerit. Neque in omnibus libris legitur *et*, versu 76 qui subsequitur in quibusdam occurrit lectio, *in nuda*; in Statianis vero, in Vaticano secundo et in aliis adsunt verba *in occulta.* Sic quoque Ovidius in Arte amandi, lib. II, vers. 524. « Perfer in immunda ponere corpus humo. » Crebro apud veteres iteratur præpositio.

77. *Quid Tyrio* etc. Editio veneta anni 1475, quam Brouckhus. principem vocat, cum nonnullis libris ita distinguit. « Quid tyrio recubare toro sine amore secundo prodest? cum fletu nox vigilanda venit. » Quæ interpunctio an etiam exstet in editione principe, signo interrogationis raro instructa, notatum non reperio: assumsit eam Pulmannus. H. — Hoc peperit confusio adverbii *quum* et *cum* præpositionis, quæ et hodie iisdem litteris exarari solent, non sine crebra legentium hæsitatione. Brouckh.

79. *Soporem ducere* etc. Adducere somnum, conciliare. Hor. lib. Epodon xiv, vs. 3: « Pocula lethæos ut si ducentia somnos, Arente fauce traxerim. » Hanc locutionem illustravit Gronovius, Observ. lib. II, cap. 1. Vide etiam Marcelli Donati Dilucidationes Livianas.

81. *Num Veneris magnæ* etc. Hoc distichon a Scaligero et a Brouckh. in quintam Elegiam cum reliquis sequentibus relegatur; ab Heynio vero ab antecedentibus sejungitur ope asteriscorum, quasi lacuna quædam intercidisset. Nihil tamen melius procedit, quam totius Elegiæ sensus. Poeta, qui modo ferreum illum virum stultitiæ incusabat, quod puellæ bellum anteposuisset, sese nunc ut fidum amatorem ostendit, et subito clausæ sibi portæ memor, exclamat: « Num Veneris magnæ violavi numina verbo? » Hoc idem est ac si dixisset: nihil contra deæ voluntatem feci, neque puellam dereliqui; itaque verbis tantum, non factis, Venerem lædere potui. — Passeratius in vetere libro invenit *magno*, sed Brouckhus. demonstrat

Num feror incestus sedes adiisse deorum,
  Sertaque de sanctis deripuisse focis?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
  Et dare sacratis oscula liminibus:
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
  Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui lætus rides mala nostra, caveto

epitheton *magna* ubique Veneri datum esse. *Magnum verbum* esset verbum superbum.

83. *Num feror incestus* etc. Ipsum crimen religionis violatæ *incestum* vocavit Cicero; sed hoc loco vocabulum aliter intellexerim. Poeta ne interrogando quidem scelus a se commissum significat; nullam aliam divinæ iræ causam putat, quam quod ab aliis sit obtrectatus. Non enim dixit: *num sedes deorum adii;* sed tantum *num adiisse feror?*

84. *Sertaque... deripuisse.* Voss. vulgatum *diripuisse* in textum revocavit. Bach. eum secutus est, et pariter Bauer. contradicente Huschkio, qui plura exempla τοῦ *deripere* ostendit. — Viri quidam, nec ii despiciendi, docent verbum *diripere* semper usurpari de rebus quæ minutim distrahantur, vel dilacerentur; iidem contra, *deripere* reponunt, ubi sensus est, *de loco cum vi movere, auferre.* Sed *dis* et *di*, qua opinione sum, non solum alicujus rei in minutas partes dilacerationem indicant, verum etiam separationem ab alia re. Locutio *dimisit comites* modo significat *comites in diversas partes abire jussit;* modo, *comites a se ipso removit.* Verbum *digrediendi* nunquam aliud indicat quam *abire ab aliquo.* Sensus series est itaque, quæ hoc loco litem dirimere poterit. H. Voss.—*Deripere* est *de loco alto, vel deorsum cum vi rapere.* Plautus, Rud. act. III, sc. III, vs. 5. *De ara deripere* — De permutatione verborum *deripere et diripere* vide Brouck. ad nostrum, Heins. ad Ovid. Met. lib. III, 52. Fea ad Horat. IV, Od. XV, vers. 9. Et omnino de syllabis *de* et *di* in compositis sæpe permixtis, vid. Drackenb. ad Livium. lib. VII, vers. 23. H.

86. *Et dare sacratis.* Ritum hunc pulchre illustravit Lipsius, Elect. lib. II, cap. 6. Cui adde Douzam Præcidan. cap. 2, quos nec nominatos exscripsit Martin. Kemp. dissert. VII, de osculis, cap. 23. B.

87. Gebhardus, quoniam in primo Palatino *proterrere* erat, emendavit unico elemento immutato, in *proverrere.* Probat hanc suam emendationem locis aliquot aliorum scriptorum, ubi mulieres inducuntur aras atque humum crinibus suis everrentes. Eam in rem apti erant crines muliebres, longi ac promissi, non vero genua.

89. *At tu, qui lætus.* Sensus est: Amor non uni mihi, sed et tibi sæviet, quamvis me nunc lætus irrideas. Brouck. carminum immensam congerit molem ut nobis persuasum faciat loco τοῦ *lætus*, legendum esse *lentus;* quod omnino falsum. Statius perperam jungit: *mala nostra caveto.* Sensus a Vulpio præpositus « Mox tibi non unus (sed omnes dii) sæ-

Mox tibi; non uni sæviet usque deus.
Vidi ego qui juvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem,
Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas;
Stare nec ante fores puduit, caræve puellæ
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc juvenis turba circumterit arta,
Despuit in molles et sibi quisque sinus.

viet usque deus, » omnino rejiciendus, nihil enim hac interpretatione languidius inveniri potest. Scaliger veram Tibulli sententiam subodoratus est; locum enim sic interpretatur, « Caveto Mox tibi, non unus sæviet usque deus, » id est, « Non unus ac semper sibi constans erit ille deus, neque in unicum me sæviet. » Huschkius, nulla librorum auctoritate fretus, verba *non vanus* quod plurimis inest, in *non vacuus* immutat, sibique Propertii distichon fulcro sumit, quasi omnes poetæ iisdem verbis usi essent, more ovium, quæ una post alteram, rivum eumdem, eodem vestigio innixæ, transiliunt. Nos lectionem *uni* ex vetustissimis Perreii excerptis revocavimus, probantibus H. Voss. Bauer. Wunderlich. et Bach. Codices fere omnes *vanus* vel *unus* exhibent, sed *unus* e scripturæ mendo natum videtur : *s* enim adhæserat ex sequenti voce, tum *unis* facile in *unus* mutatum.

91. *Vidi ego*... etc. Scaliger immutavit hanc genuinam lectionem, scripsitque « Vidi ego qui juvenem seros desisset amores. » Sed conjecturam textui obtrudere non ausus est. Brouckh. quasi ἐνθουσιῶν, exclamat : « Non possum non amplecti Scaligeri emendationem. » Nos vero vulgatam scripturam sequamur, qua nihil facilius procedit. Poeta enim eos maxime vituperat qui juvenes, amantium mala irrident; idemque vaticinatur fore, ut senes iidem aliquando Veneris jugo colla submittant. *Ludere* enim idem est hoc loco quam *irridere*. Heynius *juvenum amores* active explicavit; nempe quibus in puellas feruntur: quocirca Santenius illum perperam reprehendit; *quasi* id *argenteæ* esset *latinitatis*. Santen. hic παιδεραστίαν subintelligit, et sic hanc venustissimam Elegiam fœdum in modum contaminat.

93. *Et sibi blanditias* etc. Secum præmeditari sermones amatorios, quibus animum puellæ aggrederetur : ita quoque Vulpius. Non bene Brouckh. de Elegiis amatoriis accipit. Heyn.

94. *Velle*. Brouckh. et Heyn. existimant abundare hoc loco τὸ *velle*, sed perperam. Senex enim etsi comas fingere vult, non potest.

97. *Circumterit*. In quibusdam cod. legitur *circumstetit*, in aliis *circumvenit*. Scaliger ex ingenio *circumstrepit* reposuit. *Circumterere* idem est quod *premere*, *urgere*.

98. *Despuit in* etc. Nescio quo immutandi desiderio captus H. Voss.

At mihi parce, Venus; semper tibi dedita servit
Mens mea : quid messes uris acerba tuas ?

proponit : « Despuit et molles in sibi quisque sinus. » Videlicet avertendi ominis gratia. Ita hunc senecionem pueri ac juvenes, tanquam portentum, exsecrabantur.

99. *Dedita.* Apud Brouckh. nonnulli cum Guelf. *debita*. Scaliger et Brouckh. edidere *servüt*. HEYN. — *Dedita.* Valde data; sic Lucretius, lib. III, vs. 647 : « In pugnæ studio dedita mens; » et lib. VI, vs. 1253: « Jacebant corpora, paupertate et morbo dedita morti. »

100. *Quid messes uris.* Virgilius, Æneid. lib. V, vs. 672, *vestras spes uritis*. Eodem fere sensu Horatius, Epist. lib. II, 1, 220, « Ut vineta egomet cædam mea. »

ELEGIA III.

IBITIS Ægeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei;
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.
Abstineas avidas, Mors, precor, atra manus!

1. *Ibitis* etc. Tibullus, quum Messalam in Asiam profectum sequeretur, Corcyræ, morbo implicitus, substiterat; id nunc conqueritur hac Elegia : erat enim Tibullus in Messalæ cohorte, seu comitatu, qui seu cum imperio extraordinario, seu legatus Cæsaris, in Asiam profectus est anno forte ineunte 725. HEYN.

2. *Ipse.* Unus Passeratii liber *tuque* exhibet, quam scripturam H. Voss. in textum admisit, ubi nunc *ipsa*.

3. *Terris.* Argutatur Brouckhusius, quum *tectis* mavult : in hospitium enim alicujus viri Corcyræi eum devertisse videri. Illud maxime urebat Tibullum, quod ignota terra mori, adeoque contumulari timebat. Hoc enim grave et infaustum: vide Ovid. Trist. III, III, 29, ubi inter alia : « Tam procul ignotis igitur moriemur in oris, Et fient ipso tristia fata loco. » Idem, Am. lib. III, Eleg. IX, vs. 47, hunc ipsum locum expressit : « Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus Ignotum vili supposuisset humo. » HEYN.

4. *Abstineas* etc. Multiplex est hujus loci scriptura : « Mors modo nigra ; Mors precor atra ; Mors violenta, etc. » Hic locus notabilis est propter *manus Mortis*, quas nescio an debeat Tibullus, ut totam locutionem, Homero; Nam in Il. XXI, vers. 548, Apollo, Agenori adstat, ὅπως Θανάτοιο βαρείας χεῖρας ἀλάλκοι ; Callimachus quoque, Ep. II, vs. 5, scripsit : Αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες

Abstineas, Mors atra, precor : non hic mihi mater,
    Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus;
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
    Et fleat effusis ante sepulcra comis;
Delia non usquam est; quæ me quam mitteret urbe,
    Dicitur ante omnes consuluisse deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit : illi

ἧσιν ὁ πάντων Ἁρπακτὴρ Ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ. Ovidius, qui Callimachum imitatus est, Am. lib. III, Eleg. IX, vers. 19 : « Scilicet omne sacrum Mors importuna profanat; Omnibus obscuras injicit illa manus. » HUSCHK.

5 et 6. *Non hic mihi mater*, etc. Ossa legere proximorum officium erat, et carissimorum. Ita se patris sui ossa in tenera pueritia legisse Propertius noster conqueritur, lib. IV, El. I, vers. 127; sua autem vult legi ab amata Cynthia, lib. I, Eleg. XVII, vers. 12 et 22. BROUCKH.

7. *Dedat.* Consentiunt omnes libri in *dedat*, quod horridule dici visum Brouckhusio; ipse mutat in *fundat*, Heynius in *reddat*, vel *didat*, Vossius in *condat*. Hic, eo maxime fretus, quod Plinius idem vocabulum de malo Assyrio usurpaverit, more consueto emendationem suam textui obtrusit; sed nihil est in *dedat*, quod sensum impedire possit, ut bene notavit Muretus ad Catullum : « Dedimus ea, quæ volumus accipienti propria ac perpetua fieri. » — *De* autem augendi vim habet, et significat totum et omnino dare. Vetus interpres Terentii : « Dare est, quod repetas; dedere est ad perpetuum. » Vulpio et H. Vossio sepulcris et cippis unguenta adspersa fuisse negantibus, testimonia veterum obloquuntur : vide Æn. lib. VI, 218; Ovid. Heroid. X, vs. 122; alia apud Kirchmannum, lib. III, cap. 5; Lucian. de Luctu, vs. 11.

8. *Sepulcra. Sepulcra* cum Wunderlichio proprie hoc loco accipi puto; Heynius rogum subintelligit.

9. *Quam.* Douza est qui primus *quam* pro *quum* scripsit, et est probanda emendatio; videtur enim *quum* e scripturæ compendio *qm* ortum esse. H. Voss. ait, Douzæ conjecturam firmari auctoritate librorum quorundam, quos citat : particula *quam* sæpe præpositionem præcedit. Martialis, lib. IX, Ep. XXXVI, 6 : « Victricem laurum, quam venit, ante vides. »

11. *Illa sacras* etc. De trina sortitione fusius egit Ezechiel Spanhem. ad Callimachi Hymnum in Apollinem. Brouckh. contra librorum fidem τὸ *triviis* mutavit in *trinis*, doctorum virorum conjectura fretus. « Τὸ *puer* enim, ait, τῷ *pueri* respondet, ita ut pariter vocabulum *ter* sibi *trinis* expostulet : neque satis apparet quare puer quispiam de triviis potius sortes sustulerit, quam Camillus aliquis de templo Fortunæ. » Pergit Brouckh. nummumque inducit, quem quo pertineat non intelligo. Heynius, qui τὸ *trinis* rejecerat, Brouckhusio postea consensit. Ex antiquis interpretibus Muretus, Auratus, Canterus, Livineius, Salmasius uterque, Douza, e recentio-

Rettulit e triviis omina certa puer:
Cuncta dabant reditus : tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret, nostras respiceretque vias;
Ipse ego solator, quum jam mandata dedissem,
Quærebam tardas anxius usque moras;
Aut ego sum caussatus aves, aut omina dira,

ribus H. Voss. eamdem emendationem auctoritatis suæ fulcro firmaverunt. Nos vero pristinam lectionem retinere decrevimus, qua nihil clarius esse potest. Moris erat fortasse, ut apud nos, quum schedularum fit sortitio, ut puerum e triviis arcesserent, qui propositi ignarus fungebatur officio absque ulla fraude : « Illa sacras pueri sortes ter sustulit, » idem est, ac si poeta dixisset; Illa puerum jussit, ut sortitionem faceret triplicem; qua facta, idem puer omina retulit certa. At Voss. negat hunc sensum sermoni latino consentaneum esse. Ennius nobis adest; is enim dixit : *de circo Astrologi.* Catullus quoque, XXV, vs. 5 : *de via mulier :* in epigrammate Stratonis legitur : παιδίον ἐξ ἀγέλης. Vulpius, quod ad genuinam lectionem attinet, nobis consentit; sensum vero torquet hoc modo : « Puer aliquis casu prætериens vocem misit faustæ significationis. » Idem S. Augustinum sibi opem laturum advocat, qui de vetere refert superstitione, secundum quam puer, si medius inter duos amicos curreret, amicitiæ nexum dissolvebat, nisi in ipso transcursu amici illum alapis cæderent.

13 et 14. *Tamen* etc. Innumeræ fere sunt hujus loci interpretationes. Passeratius in nonnullis codicibus invenit : « tamen haud deterrita frustra est, Quum fleret; » et ita interpretatus est : « Quum videret se a lacrymis temperare non posse, in ipso discessu, id ei formidolosum atque ominosum fuit. » Gronovius, Diatrib. in Statii Silvas, cap. 26, ominosas esse lacrymas inter discedentes dicit, præsertim si nolentibus excidant; itaque mentem Tibulli sic aperit : « Tamen non potuit se metu mali continere, ut non fleret, et sæpe respiceret; nam utrumque ominis minus secundi : itaque vereri, et hac cura moneri debuisset, ne tot bonis signis triste quidpiam misceret. » H. Voss. Passeratii lectionem amplexus est. Brouckhusius vero verbi *deterrere* sensum indicavit; recte enim monuit, aliquando hoc verbum idem significare quod *aliter persuadere* : « Interdum ponitur pro eo quod est dehortari, dissuadere, rationibus adducere, ut hoc aut illud ne facias. » Plautus, in Milite, act. II, scen. III, vers. 61 : « Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in his ædibus. » Cicero, Philip. VIII, cap. 6 : « Antea deterrere te, ne popularis esses, non poteramus : exorare nunc, ut sis popularis, non possumus. » Idem ad Brutum, Ep. IX : « Auctoritas tua me a nimio mœrore deterruit. »

17. *Sum caussatus.* Hæc verba integram regunt phrasin. In omnibus libris et editionibus ante Scaligerum, legebatur : *Aut ego sum caussatus, aves dant omina dira.* Hic primus *dant* in *aut* mutavit ex ingenio, ut videtur. Heyn. — Lectio *Aut omina*

Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito ne quis discedere Amore,
Aut sciat egressum se prohibente deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties æra repulsa manu?
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Te, memini, et puro secubuisse toro?

codicibus inest Bernensi Vindobon. Hamburg. J. H. Voss.

18. *Aut.* In editionibus et magna librorum parte *aut* non legitur. Legi tamen in veteribus libris *aut*. testatus est Statius: H. Vossius *Saturnive* scripsit. Lectio suspecta, nec digna quæ præferatur receptæ, nihil duri, nec quod auribus molestum sit, habenti. Idem Vossius *timuisse* amplectitur pro *tenuisse:* utraque lectio libris firmata, defendi potest.

19 et 20. *O quoties* etc. De hac superstitione conf. Ovid. Heroid. Ep. XIII, vers. 88; Trist. lib. I, Epist. III, vers. 55; Amor. I, Eleg. XII, vers. 3. Admodum serio super Tiberio Graccho, res novas parante, ac pedem graviter offendente, nugatur Valerius Maximus, lib. I, cap. 4. Idem facit Plinius, lib. II, cap. 7.

21. *Ne quis discedere.* Hoc loco παρήχησις syllabarum *quis* et *dis* H. Vossium offendit: quumque in quibusdam libris, ut in cod. Paris. legatur *neu* pro *ne*, veram lectionem esse statuit *nemo*, eamque in contextum invexit.

23. *Isis mihi.* Ita Scaliger refinxit ex vetere scriptura apud Statium et alios, antea ubique editum *tibi*. Sed quod idem vir magnus liquere ait, Deliam pro Tibulli morbo in casto Isidis fuisse, non item probare possum, neque enim Tibullus, antequam ex urbe discederet, ægrotabat. BROUCKH. — Constat e duobus Luciani locis navigantes Isidis tutelæ fuisse commissos. Heynius quidem negat, *Isidem ista ætate eo nomine Romæ cultam fuisse;* nos vero, in excursu ad voluminis calcem, fusius de hac superstitione agemus.

24. *Illa tua* etc. Sistra manibus quatiebant inter preces et hymnos ante aram accensam. Ritum hunc Isiacum egregie declarant tabulæ LIX et LX picturarum Herculanensium. HEYN.

25 et 26. *Quidve* cum verbo *prosunt* superioris distichi jungas; deinde id tibi notes voculam *dum*, etsi de rebus peractis sermo sit, nonnunquam cum præsenti verbi tempore usurpari: sic Ecl. VII, vs. 6: « dum teneras defendo a frigore myrtos, Vir gregis ipse caper deerraverat. » Georg. lib. III, vs. 487: « dum nivea circumdatur infula vitta, Inter cunctantes cecidit moribunda ministros. » Georg. lib. IV, vers. 559: « Hæc... canebam... Cæsar dum fulminat. » Heynius itaque perperam vocem *memini*, ut importunam, vel otiosam, rejicere conatur. Idem scribere jubet: « pureque lavari Te

Nunc, dea, nunc succurre mihi : nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis :
Ut mea votivas persolvens Delia voces,
Ante sacras, lino tecta, fores sedeat;
Bisque die, resoluta comas, tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.

membra et puro secubuisse toro. » Huschkii emendationem quoque missam faciamus : sic enim corrigit: *et*, ubi nunc pronomen *te* legitur, scribi jubet. *Memini* innumeris in locis interpositum, sensum suavi modo suspendet. Ovidius, Heroid. XVI, vers. 247 : « Prodita sunt, memini, tunica tua pectora laxa. » Idem, Amor. lib. III, Ep. VII, vs. 25 : « Exigere a nobis angusta nocte Corinnam, Me memini numeros sustinuisse novem. »

27 et 28. *Nam posse* etc. Notissima sunt Juvenalis verba, *Pictores quis nescit ab Iside pasci*. Naufragi enim in Isidis templo vota solvebant, pariterque ii qui maritimo periculo liberati... Quin tamen illi qui ex ægritudine convaluissent, gratias egerint Isidi suspensivis votivis tabellis, negari nequit : et vel solus hic locus evicerit. Sed in illis tabellis, præter eam corporis partem, quæ fuisset affecta, expressum fuisse aliud nihil arbitror ; verbi gratia, oculum ponebant, aut crus, aut manum, qui oculo, aut crure, aut manu laborassent. Valide hanc opinionem firmat poeta vetus in Priapeis, carm. 37 : « Cur pictum memori sit in tabella Membrum quæritis. » Juvat nos lapidum inscriptorum fides in Thesauro Gruteriano, pag. 82, et in Syntagmate Reinesii, Class. I, 132. BROUCKH.

29 et 30. *Ut mea* etc. Scaliger *noctes* reposuerat, quod et Brouckh. et Livineius amplexi sunt. Idem exhibent tres codices nuper comparati ; reliqui omnes in *voces* consentiunt. Qui lectionem *noctes* exemplo Propertii tueri conantur, locum, quem citant, minus intelligunt : ait enim poeta : « Redde etiam excubias divæ nunc, ante juvencæ Votivas noctes, et mihi redde decem. » Patet hoc loco Propertium nugari, perinde ac Plautus, Asin. act. IV, vers. 61 : « Si forte pure velle habere dixerit Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit. » Præterea, ut recte monet Heynius, scripturæ *noctes* non favet versus minor. Votivæ voces videntur dictæ, ut votivæ preces ; nam *voces* de hymnis cum Statio accipere nolim. — *Sedere* proprie de iis dicitur qui operati diis, ante vestibulum templi morantur, inprimis in cultu Isiaco.

31 et 32. *Bisque die* etc. Venus quoque bis die salutabatur. Horatius, Od. lib. IV, 1. Isis, prima hora celebrabatur, et octava. Martialis, lib. X, Epig. 48 : « Nuntiat octavam Phariæ sua turba juvencæ. » Scaliger, per *Phariam turbam*, intelligit Alexandrinos, ab insula Pharo urbi adjacente ; sed decepit illum epitheton, Isidi, rebusque Isiacis proprium ac peculiare, nulla nullius loci exceptione ; confer Ovid. Art. Amator. lib. III, vers. 635 ; Epist. ex Pont. lib. I, Epistol. 1, vers. 37. BR.

At mihi contingat patrios celebrare Penates,
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum cæruleas pinus contemserat undas,

33. *Patrios celebrare Penates.* Domum redire: nam ex itinere reduces deos Penates salutatum ibant, ut vel ex Terent. Phorm. act. II, sc. V, vs. 81, notum. *Celebrare*, seu sacro facto venerari, seu simpliciter adire. Heyn.

34. *Reddereque* etc. Loquitur de sacrificio quot mensibus peracto, et quidem *Neomeniis;* Horat. Od. lib. III, XXIII. — Complures libri *mascula* habent, pro *menstrua.*

35. *Quam bene* etc. Inter loca de aurea ætate a tot poetis tanta cum arte tractata, hæc Tibulli disticha jucunditate eminent. Tu Virgilium adeas, Ecl. IV; Georg. lib. I, vers. 125; Cornelium Severum, Ætn. vs. 9; Ovidium, Am. lib. III, El. VIII; Metam. lib. I, vers. 89; lib. XV, vs. 96; Horatium, Epod. XVI, vs. 41; Senecam, Hyppol. vs. 525; Med. vs. 329; Octav. vs. 395; Senecam philosophum, Ep. 90; Germanicum Cæsarem, et Festum Avienum in Virgine; Claudianum, lib. I, in Rufin. vs. 282; de Raptu Proserpinæ, lib. III, vs. 19; Boetium, de Consol. Philos. lib. II, Metr. 5; Jovianum Pontanum, Uraniæ lib. II, et Am. conjug. lib. II, Eleg. IV; Jac. Sannazarium, de partu Virg. vs. 200; Herc. Strozam, lib. I, El. II; Janum Secundum, Juliæ Eleg. VII; Tarq. Gallutium, lib. I, carm. 2; Sarbievium, lib. I, Od. 1, Epod. 8. Eminent inter Italos Torquatus Tassus, Amyntæ choro primo, et Baptista Guarinus Pastoris Fidi choro quarto, quos videre juvabit ingeniose inter se certantes, diversa quemque via ac ratione inventionum. Brouckh.

36. *Tellus* etc. Canis seduli est lupos ab ovili arcere; nobis autem eadem cura immutatores abigendi sunt. Poetice et venuste loquitur Tibullus: *Tellus in longas est patefacta vias.* Sed Brouckhusius languidam emendationem *male secta* profert: hunc tamen delicti pœnituit. H. Voss. vero, quatuor codicibus insidens, *sit* inhabentibus, suas nugas quoque admovet: τὸ *sit* enim affirmat ex *it* procedere, quod et ipsum ex *iit.* Mira sane conjectura! secundum quam tellus tellurem ipsa pervagaretur. Pindarum laudat Huschkius dicentem: ἁλὸς βαθεῖαν κέλευθον ἀνοίγων; Pyth. VI, vers. 113, hunc locum vix citaverat, quum jam criticus Ephem. Jenens. ann. 1815, n. 13, eum ineptiarum incusavit, et H. Vossii conjecturam amplexus est: is negat posse eodem modo dici *tellurem patefacere*, et ἀνοίγειν ἁλὸς κέλευθον. *Interest haud dubie aliquid*, exclamat Huschkius, *siquidem illæ pedibus teruntur, hæ navibus.* Ceterum multis exemplis demonstrationem suam perficit doctus ille vir, ut nihil supersit dubii, quin τὸ *it* rejiciendum sit.

37. *Contemserat.* Heynius, qui lectionem *contexerat* merito rejecit, vulgarem pro simplicitate Tibulli, nimis gravem esse putat; nihil tamen simplicius esse potest. Cod.

Effusum ventis præbueratque sinum;
Nec vagus, ignotis repetens compendia terris,
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus;
Non domito frenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec ensem
Immiti sævus duxerat arte faber.
Nunc Jove sub domino cædes, nunc vulnera semper,

Paris. *conspexerat*.—Servant aliquot libri, *præbueratve*: mira est argutia editoris (J H Vossii), particula *ve* majorem indicari primi navigatoris audaciam, mare contemnentis, atque adeo vela pandentis. Copula longe melius continuat sententiam. De particula *ve* perite disputavit Hand. ad Stat. tom. I, pag. 281.

39 *Vagus*. *Vagus* dicitur navita, propter longa et continua itinera.

40. *Presserat*. Oneraverat, externis nempe mercibus, quibus lucrum sibi compararet; Virgilius, Georg. lib. I, vers. 303, pariter *pressas carinas* dixit; confer. Ovid. Fast. IV, vers. 300.

41 et 42. Saturno regnante nondum terra bubus fuit proscissa, quippe quæ sponte sua fruges efferret; Virgil. Georg. lib. I, vs. 125; Ovid. Metam. lib. I, vers. 101; Fast. lib. II, vers. 295.

45. *Ipsæ mella dabant quercus*. Apes enim sine hominum cura et opera in earum truncis mel faciebant, idque tam copiosum, ut in terram deflueret. Ovid. Am. lib. III, Eleg. VIII, vers. 40: « Et in quercu mella reperta cava. » Illustrat rem Schol. Nicandri ad Alexiph. vs. 448: Ἔνθα δὲ καὶ κοίλοιο κατὰ δρυός. HEYN.

46. *Obvia* etc. Lucretius, lib. I, vers. 886: « Lanigeræ quales sunt ubere lactis. » Ibi Bentleius comparans hunc locum Tibulli, Otiosum, inquit, plane, et iners est *securis*: lege *pressuris*; aut propius ad vulgatam lectionem, *sucturis*: nam, opinor, terrigenæ illi, mutum et turpe pecus, *mulctralia* nondum habebant.—Pessima sane divinatio! Tibullus, lib. I, Eleg. X, vs. 9: « Somnumque petebat *Securus* varias dux gregis inter oves. » HUSCHK.

47. *Non acies, non ira fuit*. Conjiciebat Heinsius, *non acies ferrive fuit*; Brouckh.: *non animi, non ira*; is exclamat, *si quis melius divinaverit, is melior vates esto*. Heynius supervenit, qui pariter suas conjecturas affert; alii denique aliter legi volunt. *Acies* hoc loco exercitum instructum denotat, non acutum instrumentum, ut falso interpretatur H. Voss.

48. *Duxerat*. *Ducere*, ἐλαύνειν, tundendo ferrum in laminam procu-

Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.
Parce, pater! timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis his scriptus stet super ossa notis :
HIC JACET IMMITI CONSUMPTUS MORTE TIBULLUS,
MESSALAM TERRA DUM SEQUITURQUE MARI.
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,

dere. Sic Virg. Æn. VII, vs. 634 : « Aut leves ocreas lento ducunt argento. » HEYN.

50. *Nunc leti* etc. Brouckhusius et H. Voss. legi jubent *nunc leto multa reperta via*, quam lectionem ex codice Vaticano, et ex codice Caroli Dati concinnant; In priore enim est: *multa reperta via*; in altero, *leto*. Brouckh. non *repente* mortis vias exstitisse, sed aliam super aliam paulatim. H. Voss. eos qui aliter sentiant, cum irrisione demittendos putat. Nos vero libris scriptis confisi, Vulpio, Heynio, Bauero, Huschkio consentimus. — Tibulli sententia : *nunc leti mille repente viæ*, ducta videtur ex Homeri Il. M, vs. 326. *Repente viæ* nihil habet quod offendat : idem est ac si poeta dixisset *nec opinantibus*. Sic Horatius ait : « Improvisa leti Vis rapuit, rapietque gentes. » Statius, Theb. lib. IX, vers. 280 : « Mille modis leti miseros mors una fatigat. » Lucretius, lib. II, vs. 915 : « leti vitare vias. » Confer Livium, lib. XXXI, c. 18.

51. *Non me* etc. Hæc ex vulgari veterum, jam inde ab heroica vita, opinione illustranda sunt, qua mortes præmaturas, aut celeres, et ex morbis acutis, pro magnorum scelerum pœnis, ab ipsis diis præsentibus, inflictis habebant. Tibullus igitur se nullius sceleris conscium esse ait, quo in medio juventæ cursu abripiatur. HEYN. — Ovidius, Metam. lib. V, vers. 100 : « Æqui cultor, timidusque deorum. »

53. *Quod si fatales* etc. Homerus, Il. IV, 170 : Αἴ κε θάνῃς, καὶ μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο. Ovid. Trist. lib. III, El. III, vs. 29 : « Si tamen implevit mea sors quos debuit annos. »

54. *Fac*. Omnes servant *Fac*, nec hoc adhuc offensionis aliquid apud quemquam habuit. H. Voss. mutavit in *At*; Jovem enim non allocutione petendum esse declarat. — In antiquis quibusdam libris legitur : *Fac lapis inscriptus stet super ossa mea*; alii libri, *his scriptis*; alii, *his scriptus*; habent ed. anni 1472, *Fac lapis in scriptis*; cod. Paris. *Fac lapis inscriptis stet super ossa notis*.

55. *Hic jacet* etc. Solemnes monumentorum inscriptiones erant, HIC SITUS EST, vel HIC JACET. Vid. Joh. Kirchen. de Funer. Roman. Statius malebat *Marte* ex veteri Sfortiæ libro, sed perperam ; nam si tunc temporis obiisset Tibullus, obiisset utique vi morbi, non ferro. BROUCKH.

57. *Sed me* etc. Heyn. eximium inventum hoc esse ait, et dignum, quod pictum reddatur. Tum de *Venere Libitina* docet, in cujus fano Servius Tullius pro singulis mortuis, singulos nummos reponi jus-

Ipsa Venus campos ducet in Elysios;
Hic choreæ cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves;
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Hic juvenum series teneris immixta puellis
Ludit, et assidue prælia miscet Amor.
Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata jacet sedes in nocte profunda

sit : denique vas memorat sepulchrale, quod in Lucernis ant. sepulc. edidit Bellorius, P. II, Tab. 48. De hisce omnibus infra, in excursu, fusius agemus. Sed tibi notes velim, amice lector, quantum Tibulli de infernis doctrina distet a narrationibus quæ apud Lucianum occurrunt: hic enim puellarum pulcherrimas, *ὀστᾶ μόνον καὶ κρανία τῶν σαρκῶν γυμνά*, esse asserit : ille contra teneris formosisque virginibus immixtos juvenes ostendit, et amori indulgentes. Excerpt. Lips. exhibent *qui* ; codex unus *sim.* Passeratius præfert *qui sum.*

58. *In.* Alii libri habent *in*, alii *ad*, quod confirmatur Domitii Marsi epigrammate : « Mors juvenem campos misit ad Elysios »

59. *Hic choreæ* etc. Confer Pindari Olymp. II, vers. 128; Virg. Æneid. lib. VI, vers. 637.—Comparentur etiam quæ de insulis beatorum Homerus, Hesiodus.

62. *Terra benigna*, sc. fertilis: apud Virgilium infecunda dicitur *maligna*; lib. II, vers. 179 : « Difficiles primum terræ collesque maligni. »

63. *Immixta.* Heynius *innexa* legere mallet. H. Voss. citra necessitatem *implexa* scribit. *Hic* in quibusdam libris, ut in cod. Paris. abiit in *hac*, unde ortum videtur *ac* et *at.* Brouckh. e Colotiano, cui accedit Corvin. reposuit *hic*, quam lectionem firmat oppositus huic locus, vs. 73–81 : *illic* ... *illic.* HUSCH.

64. *Amor.* H. Vossio si confidas, omnes interpretes alicujus existimationis, de *Amore* deo, hunc locum intellexere. Heynius vero dubitat utrum de deo, an simpliciter de amore, ut animi affectu, sermo sit. Integram illam disputationem ne flocci quidem faciendam censeo.

66. *Myrtea.* Vetus fama prodidit, Venerem, quum e mari exisset, primulum in myrto latuisse, ne conspiceretur nuda; Ovid. Fast. lib. IV, vers. 139 : « Vos quoque sub viridi myrto jubet illa lavari : Causaque cur jubeat, discite, certa subest. Littore siccabat rorantes nuda capillos: Viderunt Satyri, turba proterva, deam. Sensit, et apposita texit sua corpora myrto. Tuta fuit facto : vosque referre jubet. » Vide Virgilium, lib. VI, vers. 442. BROUCKH.

67. *Scelerata.* Brouckh. ait : « Majusculo charactere scribi debet *scelerata*, quum sit proprium nomen, docente Ovidio, Metam. lib. IV, vers. 455, ubi de Furiis Junoni as-

Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Sævit; et huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore

surgentibus : « Quam simul agnorunt inter caliginis umbras, Surrexere deæ : sedes Scelerata vocatur. » Quæritur tamen cur *scelerata* non epitheton dici posset, et est sane, ut apud Virgilium, Æneid. lib. VI, vers. 563, *sceleratum limen;* et vers. 543, *impia tartara.*

68. *Quam circum* etc. Novavit hic aliquid, aut variavit saltem, nisi ex Platonicis commentis illud repetitum malis, quod tartarum fluminibus ambiri narrat, quæ alioqui regna Plutonis loca infera omnino intercludunt. Accedit ad ea flumina in ipso orci aditu, quisquis ex locis superis descendit. Vid. Exc. IX ad lib. VI Æneid. de Ixione, Tityo et cæteris; in sqq. commemoratis multa congessit Brouckh. Tu vide præter culicem inprimis, Æneid. lib. VI, vers. 570 sqq; 595 sqq. Heyn.

69. *Tisiphone* etc. De Tisiphone et Furiis vide Virgil. Æn. lib. VII, vers. 446; Culicis, vers. 217; Ovid. Metam. lib. IV, vers. 487; Stat. Theb. lib. I, vers. 104; Silii Italici, lib. II, vers. 543, etc. Eadem scripturæ varietas, quam supra notavimus, vers. 63, ad verbum *immixta*, hoc etiam loco notanda est ad verbum *impexa:* nam Fruterius iterum proponit *implexa*, Gebhardus *innexa*. Utrumque exemplis defendi potest; sed recte scribit Brouckhusius: Tisiphonem, *quo foret terribilior*, impexam facit. Virgilius, Æneid. VII, vers. 667 : « Tegmen torquens immane leonis, Terribili IMPEXUM seta. » Alii tamen, fateor, *implexum* legunt. Ut ut est, non erat quod Mitscherlichius hoc et sequens distichon exulare juberet, ut spurium, atque apto orationis nexu carens.

70. *Sævit.* Verberibus et tædis ardentibus miseros exagitat. Vid. Æn. lib. VI, vers. 570; Sil. lib. II, vs. 527; Senec. Med. vers. 958; Valer. Flacc. lib. VII, vs. 147. *Sævire* eodem modo apud Ovidium : « Colligit... Phœbus equos : stimuloque domans et verbere sævit. » — *Huc illuc turba fugit.* Hic locus Homerum fere auctorem habet, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν; et Odyss. XI, 604 : Ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν, οἰωνῶν ὥς.

71. *Tum niger.* Scaliger ita refinxit : « Tum niger in porta serpens, tum Cerberus ore Stridet. » H. Voss. hanc emendationem amplexus, *ore* in *ora* mutavit, ut legeret *ora stridit : Cerberum* vero *ora stridentem* prorsus ignorat consuetudo Latini sermonis; latrat enim canis, non stridet. Vulgatam ac genuinam lectionem tuentur multa poetarum loca : apud Hesiodum, Theog. Typhœus, Cerberi pater, item centum serpentis capitibus, ῥοιζεῖ, eodemque modo apud Virgilium, Æneid. lib. VII, vs. 447 : *Erinnys* sibilat *hydris*. At, inquit H. Voss., in porta, hoc est, *intus* habet sedem serpens, secundum Virgilium, Æneid. lib. VI, vers. 576, *ante fores æratas*, id est, *longe a foribus æratis*, ad Stygis ripam *excubat* Cerberus. — Quod ut ita sit, qua de re non disputo, quid tum postea? Nempe nunc Cerberus

Stridet, et æratas excubat ante fores.
Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota;
Porrectusque novem Tityos per jugera terræ,
Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, et circum stagna: sed acrem

in porta serpentum ore stridit, et *ante fores æratas* excubat, ad eum plane modum, quo idem apud Sophoclem, *in porta ærata* excubat, et *ex antro* ululat. Quem Sophoclis locum ita persequitur Tibullus, ut omnes simul criticorum evertat temerarias emendationes. Œd. Col. 1568 ad 1573: Ὃν ἐν πύλαισι φασὶ πολυξέστοις εὐνᾶσθαι, κνυζᾶσθαί τ' ἐξ ἄντρων. H. — Omnium librorum consensu freti, *stridet* reposuimus loco τοῦ *stridit*, quæ Statii emendatio, a Brouckhusio recepta est, et ab Heynio. Mea quidem sententia ingeniosa comparatione ab Husckio facta, ad confutandum Vossium non opus erat; H. Vossius enim, et alii quidam particulæ *in* verum sensum minus intellexerunt; potuit certo in porta jacere Cerberus, et tamen ante fores excubare, etsi clausas; nullo modo pugnant inter se *in* et *ante*. In limine nempe ad ipsam portam canis ille vigilabat: innumera occurrunt exempla, ubi *in* idem quod *apud*. Sic Propert. lib. I, Eleg. XVI, vers. 22: « Tristis et in tepido limine somnus erit ». El. II, vers. 11: « Surgat et in solis formosius arbutus antris. »

74. *Versantur. Vexantur,* quod in Colbertino codice legitur a Juniore Burmanno, eodem sensu sumitur, quo *vectantur*. Sed ipse noster infra Eleg. V, vers. 70: « Versatur celeri fors levis orbe rotæ. »

75. *Tityos*. Ex optimis codicibus, et monente Heinsio scribimus Tityos: is Latonæ concubitum appetens supplicio affectus est quam acerbissimo. Burmannus ait in quibusdam libris legi *projectus*. Sed hoc eorum est, qui cum contemtu, sive negligentia quadam in terram se abjiciunt; porrecti autem dicuntur, qui extensi non suo arbitrio jacent. Homerus, Il. XVIII, vers. 26: Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθείς. Bach.

76. *Assiduas* etc. Homerus duos Vulturios Tityo adfixit, unum Virgilius; et habuit uterque suos sectatores: vide Servium ad L. VI Æn. vs. 595; Lutatium, ad Papin. lib. II Theb. vs. 14. Brouckh. — H. Voss. ait: *viscus* viventium animalium et carnem et intestina designat; caro vero proprie de mortuis jam animalibus usurpatur. Idem discriminis inter sanguinem et cruorem esse asserit Voss. At Propertius dixit lib. II, El. IX, vs. 39 et 77: « hanc mihi solvite vitam, Sanguis erit vobis maxima palma meus. »

77. Scaliger nulla codicum auctoritate fretus correxerat *et circat stagna*. Brouckh. ad Propert. lib. IV, Eleg. IX, vs. 35, vocabulum *circat* tuitus est; tamen agnovit postea servandam esse librorum fidem. Luebat pœnas Tantalus, ob Pelopis, filii sui, humerum, diis in convivio appositum: conf. Nason. Art. Amat. lib. II, vers. 605; Senec. Hercul. Fur. vers. 752.

Jamjam poturi deserit unda sitim;
Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,
In cava Lethæas dolia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
Optavit lentas et mihi militias:
At, tu, casta, precor, maneas: sanctique pudoris
Adsideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colo;
Ac circa gravibus pensis adfixa puella

79. *Et Danai proles* etc. Vide apud Ovidium Hypermnestræ epistolam; Apollodor. Biblioth. lib. II; Horat. lib. III, Od. 11; Hygin. Fab. 168; Servium, in Æneid. lib. X. vers. 497. Damnatæ dicuntur apud inferos aquam assidue ingerere in vas pertusum. Hinc paroimia *Danaidum dolium* ... non dicit cunctas Danai filias in Tartaro torqueri, sed illas quæ *Veneris numine* temerato conjuges suos jugulassent. Earum erant quadraginta octo: duæ enim fuerunt inventæ, quæ, neglecto perfidi patris imperio, sponsis suis pepercerunt; Lynceo quidem Hypermnestra, Hippolyto autem Bebryca. Hæc ab antiquis historicis ita tradi scribit Eustathius in Perieges. Dionysii Alexandrini. Br.

80. *In cava dolia*. Perforata, pertusa, τετρημένα.

81. *Quicumque*. Dicit *quicumque violavit* eodem sensu, quo multa efferimus quotidie: *si quis* fuerit qui violet. Heyn. — Non opus est lectio *violarit*, quam anteponunt Vulpius et H. Vossius.

82. *Militias*. Heinsius conjiciebat *delicias*, sed perperam; nam hic agitur de puellæ quocumque corruptore, cujus interest Tibullum abesse diu, ut ipse melius insidias struere possit.

83. *At, tu*, etc. Ait Brouckhusius: nutricem, opinor, intelligit; tamen si quis matrem fuisse malit, cum eo non contendam.

85. *Hæc tibi* etc. Ut apud mulieres plerumque moris est. Conf. Virgil. Georg. lib. IV, vers. 345; Ovid. Metam. lib. IV, vers. 32.

86. *Plena*. Nonnullis in libris legitur *pleno colo*; idque, quasi antiquitatem oleret, amplexi sunt quidam, quum tamen nihil sit, nisi librarii lapsus.

87. *Circa*. Hic præcipue sudant editores. Scaliger *circa* majuscula littera scribi vult; is enim e præpositione puellam finxit, eamque *Circam*, Κίρκην, appellat. Et hoc modo in idem vitium incidit, in quod olim inscitia delapsus est nescio quis, qui in ecclesia regi adstans cuidam, ab eo interrogatus est quænam esset significatio vocabuli *quemadmodum*, quod sacerdotes inter solennes hymnos cecinerant: hic nulla dubitatione regem antiquum Galliæ, eumque Vercingetorigis coætaneum sub hoc nomine celebrari affirmavit. Nubat itaque præpositio *circa* a docto illo Scaligero inter puellas re-

Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante :
Sed videar cælo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede :
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem

lata, regi Vercingetorigis coætaneo ; nos sinceram Tibulli scripturam servemus. Vulpius scribit : « Puella hic non unam tantum ancillam, sed plures videtur significare : quasi dixisset noster *multa puella* ; neque enim τὸ *circa* uni tantum potest accommodari. » Brouckh. aliquid profert de servulis puellæ peculiaribus (hoc est, quæ in peculio forent). Potuit tamen et una circa dominam esse dici ; quin adeo ancillam hic nullam aliam video, quam anum illam fabellas narrantem. Itaque H. Vossio consentio, qui sub puella ipsam subintelligit Deliam. — *Circa* tam de singulis quam de pluribus usurpari docent Drack. ad Liv. tom. II, pag. 385 ; Duck. ad Florum, lib. XVIII. Græce quoque dicunt, τὴν περὶ τὴν δέσποιναν θεράπαιναν. Melius certo ad Deliam *circa* referret, quam ad ancillam ; de hac enim superiore disticho sermo est. Verborum seriem si respicias, omnia ex Vossii interpretatione ordine cadunt. Quin, locus sic intellectus sensum longe vividiorem efficit : Delia adventu Tibulli subito e somno, qui eam oppresserat, expergefacta, nudato pede adcurrit.

89. *Tunc veniam subito*. Græce ἔρχεσθαι ἐξαπίνης. Veteri proverbio qui subito veniunt, cælo missi dicuntur.

91. *Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos*. Bertin sic fere nostrum imitatus est :

J'entrerai tout d'un coup sans me faire annoncer;
Je paraîtrai tomber du céleste empyrée, etc.

— *Nudato pede*. Nempe calceis, vel soleis præ festinatione relictis ; nisi referre malis ad vestem altius adstrictam. De qua re vide interpretes ad Homeri Hymn. in Cererem, vs. 176 ; sed illud præfero. Huschk.

93. *Hoc precor*. In sexto Palatino erat, *nunc precor*, unde Gebhardus *hunc precor* effinxit, quomodo et ante illum Achilles ex vetustæ scripturæ vestigiis. Et recte eos fecisse ostendit tertius meus codex, in quo liquidis litteris *hunc precor* exaratum legitur : quod et excerpta Antonii Pereii agnoscunt. Quæ lectio, quanto sit alacrior vulgari, nemo non videt. Etiam pro *illum*, quod parum commode huc quadrat, *utinam* restituendum arbitror, sobria ac pudente imitatione ; sic certe Naso, Trist. lib. III, El. v, vers. 35. « Hunc utinam nitidi solis prænuntius ortum Afferat admisso Lucifer albus equo. » Brouck. — Τὸ *hunc utinam* a Brouckhusio inventum confirmatur in uno libro H. Vossii.... sed Voss. longam nectit fabulam, ut explicet, *hoc precor, hoc* legendum esse ; *hoc* enim, si ei confidas, librariorum inscitia paulatim in *hunc* degeneravit. Schrader conjicit : « Hoc precor, hunc olim nobis Aurora nitentem Luciferum roseis concita portet equis. » Sed hæc conjectura librorum auctoritate caret. Nobis vero placet scriptura recepta : *Hoc precor, hunc illum nobis* ; nam prono-

Luciferum roseis candida portet equis.

mina *hic* et *ille* sæpius juncta conspiciuntur; sic Virgil. Æneid. lib. VII, vers. 255 : « Hunc illum fatis externa ab sede profectum Portendi generum ; » vers. 272 : « hunc illum poscere fata etc. » Ovid. Trist. lib. V, Eleg. III, vers. 1, *Illa dies hæc est;* Lucan. Phars. lib. VII, vers. 254 : « Hæc est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas Promissam memini. »

94. *Luciferum* etc. Lucifer perpetuus Auroræ prænuntius, eodem modo, quo Ἠώς et Aurora, pro ipsa luce dicitur. Hic Aurora curru suo Luciferum portat, apud Statium, Theb. lib. VIII, vers. 49. Idem Vesper dicitur : « sed Vesper opacus Lunares jam ducit equos. » H. Voss. — *Candida Aurora* a puro nitore, ut *Luciferum album* Ovidius inducit, Metam. lib. XV, vs. 189; Trist. lib. V, vers. 57. Potest tamen etsi candida, tamen vehi Aurora roseis equis, quomodo Virgil. Æn. lib. VII, vers. 26, *luteam roseis bigis* vectam exhibuit : uterque enim color ad lucem diei orientis spectat. Heyn. — Aurora ab Homero splendididissimis epithetis exornata est : ῥοδοδάκτυλος inter pulcherrima habetur.

ELEGIA IV.

Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quæ tua formosos cepit sollertia! certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.

Heynius huic Elegiæ verba præfixit : « est ex elegantissimis, ut vehementer dolendum sit tam infami argumento eam contaminari. » De argumento quale fuerit, in vita Tibulli agimus.

1. *Tecta.* Non sacellum hic intelligit, sed arborum umbracula. Sæpe avium contumelias experiebatur Priapus. Poeta vetus in Priap. carm. 84, vs. 11 : « Abegimusque voce sæpe, quum tibi Senexve corvus, impigerve graculus Sacrum feriret ore corneo caput. » Ipse Priapus apud Horatium, Sat. VIII, lib. I, vs. 37 : « Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis Corvorum. » Quæ hic *tecta*, aliis *tegmina* dicuntur : Virg. Eleg. I, Lucret. lib. I, vers. 993. Brouckh.

3. *Sollertia.* Donati Excerpta in Terent. Eunuch. act. III, sc. II, vers. 25 : SOLERS quasi totus ex arte consistens, ut ὅλος ἀρετή; quod latinis verbis, quasi *solus in arte*; sit huic INERS contrarium. Nam solers quasi ὅλος ἀρετή dictus; ὅλον, solum, ut ἕξ sex, et ὗς sus.

4. *Non tibi culta coma est.* H. Voss. τὸ *est* rejicit, a librario quodam ad-

Nudus et hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus et æstivi tempora sicca Canis.
Sic ego : tum Bacchi respondet rustica proles,
Armatus curva sic mihi falce deus :
O! fuge te teneræ puerorum credere turbæ :
Nam causam justi semper amoris habent.
Hic placet, angustis quod equum compescit habenis;

ditum esse declarans; sed codices omnes, uno Lips. excepto, hanc voculam exprimunt. Nititur præcipue Voss. observatione Statii dicentis : « Numero est usus a se non alibi frequentato. Sic enim fere pentametrum facit, prior ut pars, quod ad temporum rationem attinet, posterior esse non possit, nisi posterioris cæsuræ pes sit trisyllabus. Aut igitur pentametri prioris cæsuræ pes posterior est trisyllabus, aut ita quidem se ipse habet, ut transferri invertique propter temporum rationem partes non possint. » Hæc Statii opinio innumeris exemplis confutatur, quorum Huschkhius tria tantum notat, vid. Eleg. VI, vers. 64; lib. II, Eleg. I, vers. 36; lib. IV, Eleg. IV, vers 16.

5. *Producis*. Proprie *producuntur* convivia, lusus, joci, per noctem; hinc et ipsa nox. Simplex *ducere* frequentius est : sed etiam *trahere* dicimus noctem; vid. Æneid. lib. I, vers. 752; item *extrahere*, *extendere*, *educere*; vide Burman. ad Valer. Argon. lib. I, vers. 251 et ad Ovid. Metam. lib. I, vers. 683; confer ad Æn. lib. VIII, vs. 94. H.

6. *Tempora sicca Canis*. Brouckhusius exclamat : odiosa repetitio syllabarum *ca. ca.* Voss. supervenit, et *sæva* textui inserit. De syllabarum geminationibus, quid sentiamus jam ad Elegiæ primæ vs. 5, declaravimus; hic Virgilium habemus, qui se Tibullo vadem offert; nam ille *Dorica castra* scripsit, Æn. II, vers. 27.

7. *Sic ego* etc. De Priapo in excursu ad voluminis calcem fusius agemus, nunc vero nobis H. Voss. iterum abigendus est. Is enim consueto immutandi furore incitatus, verba *sic mihi* expungit, scribitque *Falce minante deus*. Muretus testatur in quibusdam libris legi : *sic ego. sic Bacchi*; pentametrum vero in aliis deesse, et in margine litteras conspici FRAGM. Idem Muretus: « Hoc loco plures versus desiderat, quibus paulo liberius quippiam, et paulo magis ex hujus dei consuetudine dictum esset; » Huschkius, qui tamen aliis in locis textus sese fidum custodem præstat, hic, nescio qua re impulsus, quoque suam immutationem affert, *hæc mihi*, pro *sic mihi*, legi jubens.

9. *O! fuge* etc. Scaliger, qui versus quosdam intercidisse putat, hoc distichon alium in locum transtulit, magno seriei detrimento.

10. *Nam causam justi* etc. Simillimus est Ovidii locus de puellis : « Centum sunt causæ cur ego semper amem. »

11. *Hic placet, angustis quod* etc. Equitandi peritiam uno artis genere exprimit infra, lib. IV, El. I, vers. 92. H.

Hic placidam niveo pectore pellit aquam,
Hic, quia fortis adest audacia, cepit; at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Sed te ne capiant, primo si forte negarit,
Tædia; paulatim sub juga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua;
Annus in apricis maturat collibus uvas;
Annus agit certa lucida signa vice.
Nec jurare time: Veneris perjuria venti
Irrita per terras et freta summa ferunt.

12. *Placidam* delicatioribus H. Vossii auribus fastidio est; verba enim *hic placet* jam in hexametro sunt. « Ut necessario hoc nihil aliud sit, nisi lectionis FACILEM corruptela. » Fluctus *faciles* esse ait Voss., qui facile natantis impulsui cedant; Prop. lib. I, Eleg. II, vers. 12, dixit « Alternæ facilis cedere lympha manu, » cui nos Ovidium opponemus cum Tibullo facientem; scripsit enim, Metam. lib. XIII, vs. 899. « Placidisque natant Nereides undis. »

13. *Hic*. Pauci libri exhibent *huic* quod Heynio placet. Voss. et Bach. id amplexi sunt propter sequens *adest*.

14. *Stat pudor ante genas*. Inest genis: alioqui potest *pudor* scribi qui ante genas stat, tanquam qui tueatur, qui in iis excubet. H.

15. *Negarit* Brouckh. reposuit ex emendatione Heinsii: consentiunt libri fere omnes in *negabit*. Husck. ait: fortasse scribendum *negavit*, sed Heinsii conjecturam libri tres firmant quos citat Voss.

17. *Longa dies homini docuit parere leones*. Torquatus Tassus hunc locum imitatus est, Amint. act. I, scen. 2:

La lunga etate insegna all' uom di porre
Freno ai leoni, ed alle tigre Ircane.

18. *Peredit*. Vide Horat. lib. III, Od. IV, vers. 75. « Nec peredit Impositum celer ignis Ætnam. » Lucretius ait: « Mare quæ impendent vesco sale saxa peresa. » Poeta vetus apud Ciceronem, lib. III, Tuscul. Quæst. « Lacrimæ peredere humore exsangueis genas. BROUCKH.

20. *Annus agit*. Movet: sive oriuntur et occidunt sidera non nisi intra tempus suum certum ac definitum.

22. *Summa*. Brouckh. in codice perantiquo, cui nunc etiam Vossii duo accedunt, *longa* invenit, idque immensa eruditionis mole tuetur; nempe loca citando, quibus pariter mare *longum* vocetur; Vossius, qui idem esse asserit hoc loco *longa*, ac si poeta *procul* dixisset, vulgatam lectionem deridet, ut languidam et ineptam. Wunderlich. et Bach. ejusdem sunt opinionis. Quin adeo nugatur Brouckh. lepide: « Epitheton *summa* quid ad rem faciat, non video, nisi si timuit ne perjuria ista Veneris forte permadescerent. »

Gratia magna Jovi! vetuit pater ipse valere,
  Jurasset cupide quidqnid ineptus amor;
Perque suas impune sinet Dictynna sagittas
  Affirmes, crines perqne Minerva suos.
At si tardus eris, errabis : transiet ætas

Heyn. et Husckhius, quibus accedimus, vulgatam prætulerunt. Prior rem ad ventum refert, « quatenus summum mare, hoc est, superficiem, verrere ac crispare solet. » Alter, *summa* eodem sensu accipi vult, quo *extrema*, a nobis remotissima. Vulpius, qua sententia sum, solus est, qui veram interpretationem invenit : ait enim levitatem illorum perjuriorum ita bene exprimi : quæ enim levia sunt, non deprimuntur, sed in superficie feruntur, « et dorsum maris radunt, summisque fluctibus tonsis emicant. »

23. *Vetuit pater ipse valere.* Heins. et Brouckhus., nulla codicum auctoritate freti, *illa* scribunt, ubi nunc *ipse* est. Multumque sudat Brouckh. quo demonstret poetarum plures similem in modum locutos esse. Sed, concedo, omnes ita locuti sint. Num idcirco Tibullo minus licuit, aliud quodcunque placuerit usurpare? H. Voss. asserit : « Ipse nullum præbet sensum idoneum, » quamobrem Huschkio merito pœnas dat. Is enim illi Apollodori locum, lib. II, ob oculos ponit, Hesiodi præterea, Horatii et Virgilii alia, quibus rem dilucidat, ut nihil dubii supersit.

24. *Ineptus.* Heynius ait : « Nolim indulgere conjecturæ, fuisse olim *inultus*, quia ista perjuria non vindicantur : quamquam duo ista permutantur, vide Eleg. VI, vers. 48, *inulta et inepta.* » Heynium conjecturæ suæ, quamquam Santenius eam probaverit, pœnituit : *ineptus* hoc loco recte dicitur, quia promittit quæ servare neque velit, neque possit.

25. *Perque suas* etc. Notissimus est jurandi mos, quo non ipsos deos, sed res quas sibi proprias ac carissimas habent, obtestari solent, inde Dianæ sagittæ, Minervæ crines, flavo colore laudatissimi, memorantur. Fabula de Medusa, quæ Minervæ capillis crines suos prætulerat, etiam puerorum ore circumfertur. Brouckh. lapidem memorat, secundum quem puellare capillitium in tutela Palladis erat, vid. Thes. Grut. MLXVI.

27. *Transiet.* Librorum quatuor *transiit* exhibent, quod jam Brouchk. Heinsium secutus scripserat; ille contra Achillis, Scaligeri et Isaac. Vossii sententiam, vulgatam *transiet* damnat, ut ignotam terminationem; et addit : « Non potuit vitæ mortalis rapidissima fugacitas, certius atque evidentius exprimi, quam per præteritum... » Sed codices fere omnes *transiet* habent. Heynius, licet eam formam, ut invenustam, et Tibulliana ætate indignam vituperet, non infitiari poterit Horatium, lib. IV, Od. IV, vs. 65, dixisse : « Merses profundo, pulchrior *exiet;* » ubi Burm. languidum *evenit* effutiit contra librorum fidem. Cæterum sic interpungendum censeo... *transiet ætas.* — *Quam cito non segnis stat*, etc., ita ut hic versus æque ac sequentes, solus per se

Quam cito! non segnis stat, remeatve dies.
Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus alta comas!
Quam jacet, infirmæ venere ubi fata senectæ,
Qui prior Eleo est carcere missus equus!

sensum efficiat integrum. Burmannus conjectat *transilit*.

28. *Stat*, etc. Colotino codici inest *it*, quod amplecterer, si poetæ nostri sensus esset, diem ire redireque; sed aliud significare voluit: nempe diem non segnem esse, non stare, neque, quum semel abierit, remeare posse. — *Ve* secundum Heinsium et Brouckhusium reposuimus pro *que*, assentientibus etiam Heynio et Vossio, qui auctoritate unius codicis lectionem firmant.

29. *Deperdit*. H. Voss. loco Lucretii et codice uno fretus, *disperdit* corrigere ausus est. Sed illum si tantum Lucretii citandi desiderium tenuit, cur non libro III, vers. 526, hæc deprompsit; « membratim vitalem deperdere sensum? » cur non Plinium respexit dicentem, XVI, 34: « Cæteræ omnes extra prædictas folia deperdunt? » et lib. XXXVII, cap. 8: « Quæ sunt earum pulchriores oleo, unguento et mero colorem deperdunt. »

30. *Alta*. Scaliger et Passeratius *ante comas* tuentur, atque interpretantur τὰς πρὶν κόμας; sed, ut bene notat Heynius, hæc ex obscura scriptura profecta videntur. In libris quibusdam legitur *alta*. Heynius, H. Voss. cum Brouckhusio prætulere *alba*; peculiare enim esse epitheton, propriumque populo cujus tria genera a Plinio notentur. Iidem fabulam referunt de Hercule, qui, ut notat Servius, ad Æn. lib. VIII, vers. 276: « Ad inferos descendens, dicitur de hac arbore corona facta, caput velasse: unde foliorum pars temporibus cohærens et capiti, albuit sudore; pars vero exterior propter inferorum colorem, nigra permansit. » Hæc albæ populo quidem conveniunt, sed nihil hac lectione contortius mihi visum est. Poeta hoc loco non instar physici, rerum genera notat, sed præcipuas commemorat, atque inter alias maxime insignes et eminentes: ita terram quamvis pulcherrimam, ornatum deperdere ait, tum ad populum æque foliis denudatam transit, licet ea sit *alta*, *superba*, *procera*; denique equum inducit qui, Eleo carcere missus, quod equorum maximum decus, nihilominus nunc fata senectæ subit. Non erat igitur, cur interpretes Tibullum in describendis generibus morarentur, sensumque effutirent prorsus inelegantem et languidum. — Integrum hunc locum credideris fere esse Theocriti, Idyl. XXIII, vs. 28.

32. *Qui prior* etc. Heinsius emendabat *Victor et Eleo*; Brouckh. qui eum refellit, dedit *prius*, quod in duobus codicibus legitur; Heynius *prior* servat, eodemque sensu intelligit, quo *prius*. Et occurrunt sane exempla ubi permutantur *prior* et *prius*. Sed Heynium postea sententiæ suæ pœnituit; ita ut Heinsianæ scripturæ principatum concesserit. Huschkius quoque *prior* pro *prius* adverbii loco positum esse, declarat. Ego cum H. Vossio τὸ *prior* sensu

Vidi ego jam, juvenem, premeret quum serior ætas,
  Mœrentem, stultos præteriisse dies.
Crudeles divi! serpens novus exuit annos;
  Formæ non ullam fata dedere moram.
Solis æterna est Phœbo Bacchoque juventas:
  Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
Tu, puero quodcumque tuo tentare licebit,

absoluto positum defendere ausim: nam licet Brouckh. dixerit: « Quomodo hic *prior* qui cum aliis aliquot centenis curreret, quum *prior* nisi de duobus dici queat? » nihilominus constat idem esse *prior* nonnunquam quod *præstantior*, *superior*. — Sic Horat. Carm. Secul. vers. 51, ait: « Bellante prior, jacentem lenis in hostem; » Ovid. Heroid. XVIII, vers. 69: « A Veneris facie non est prior ulla. » Livius, XXVII: « Ut nemo tota juventute haberetur prior. » Phæd. lib. I, fab. XIII, vers. 8: « Si vocem haberes, nulla prior ales foret, etc. »

33. *Vidi ego jam.* Editiones veteres multique codices, ut Paris. habent *vidi jam*, omisso pronomine, quod Brouckhusius e quibusdam aliis inseruit, exemplorum auctoritate fultus. In uno libro legitur *segnior ætas*, cujus falsæ lectionis contagio minorem quoque versum læsit, ubi edit. Venet. et Rom. mutarunt *stultos dies* in *tardos*; Excerpta Pocchi, in *celeres*; Passeratius, in *tacitos*. *Stulti dies* sunt quos languidos sine amore vixeris.

35. *Exuit.* Brouckhus. e duobus libris reposuit *exuat*, et exclamat; « Hæc est ipsissima Albii manus! » Heynius et Vossius hanc lectionem quoque elegantiorem esse existimant; indignantis enim esse hæc verba: « Quum serpentis nihil intersit, niteat nec ne; hominis vel plurimum. » Sed dolentis est oratio, qui nihil nisi comparationem instituit: sic Ovid. Metam. IX, vs. 266; Art. Am. lib. III, vers. 77: « Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas. »

36. *Ullam.* Heynius *illam* revocavit; sed *ullam* sensui accommodatius: nam ad formæ fugacitatem declarandam plus facit.

37. *Juventas.* Servius ad Æneid. lib. I, vers. 594, ait: « Juventus est multitudo juvenum: *Juventas* dea ipsa, sicut Libertas: juventa vero ætas; » sed hæc a poetis plerumque confunduntur. De Bacchi et Phœbi æterna pueritia vide Ovid. Met. lib. III, vers. 420; Am. lib. I, El. XIV, vers. 31; Valer. Flac. lib. III, vers. 538, etc.

38. *Nam.* Brouckh. absque ulla librorum auctoritate, *tam* textui inserit pro *nam*. Inter alia hæc edicit: « Huic loco corrumpendo fuit littera initialis: cujus litteræ spatium scribæ librarii vacuum solebant relinquere, quo mox ornatius, vivido aliquo colore variegarent; atque hæc fuit multorum mendorum origo in libris poetarum. » — Voss. *quam decet* Tibullo obtrudit, quia Plautus dixit *cæsaries quam decet*. Libri omnes, uno excepto, *nam* exhibent.

39. *Tu*, etc. Hoc distichon Scaliger versui nono subjecit, nulla sen-

Cedas : obsequio plurima vincit amor.
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur
Et Canis arenti torreat arva siti ;
Quamvis prætexens picea ferrugine cælum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel, si cæruleas puppi volet ire per undas,
Ipse levem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duros subiisse labores,
Aut opere insuetas atteruisse manus ;

sus ratione habita, qui illo adempto valde turbatur : τὸ *neu* enim, quod insequitur, manifesto orationem continuat.

42. *Torreat.* Erat in Scaligeri libro, itemque in Wittiano secundo *torqueat*, male. Virgilius, Georg. lib. IV, vs. 425 : « Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat; » Propert. lib. II, El. XXVIII, vers. 3 : « Venit enim tempus, quo torridus æstuat aer. »

43. *Picea ferrugine.* Heinsius in quatuor libris *picea ferrugine* invenit ; vulgata lectio est *picta*, quam sequitur Brouckh. his verbis : « Picta ferrugo eleganter exprimit colores illos, in arcu cælesti confusos, qui quum e rubro et nigro plurimum trahant, eum faciunt colorem quem cæruleum vocamus. » Heynius, H. Voss. Huschkius et Bach. sententiam omnino diversam inierunt, et *picea* amplexi sunt, ut nobis videtur, merito : non enim epitheton illud ad ipsum arcum refertur. — *Prætexens* idem est fere quod *obducens*, *cooperiens* ut necessario ad integrum, quod obducitur cælum, pertineat *picea ;* nubes enim sunt, quæ hoc loco ferruginem pariunt.

44. *Admittat* est *incitet*, *impellat*, ut *admittere equum*, quia Iride conspecta, largi imbres non longo post intervallo cadere solent. Ita malim cum Scaligero interpretari, quam cum aliis ita accipere, ut *portendere* sit. Longe enim alia ratio est, quando aves *admittere* seu *addicere* dicuntur, quam si Iris. Tamen hinc varians lectio profecta est, alterius glossema, *annuntiet*. H. — Heins. in duobus libris *nubifer* invenit ; unde faciebat *nimbifer*, probantibus Heynio, H. Voss. Wunderlich. et Bach. testatur quoque Voss. inesse codici uni, hæc subjiciens : « Syllaba enim in fine prioris partis pentametri anceps esse nequit, nisi forte ubi sensus terminetur. »

45. *Volet.* Edidit Calpurnius in Vicent. *velit* pro *volet ;* sed hanc lectionem, vers. 49, arripuisse videtur.

48. *Opere.* Multis codicibus inest *opera*. Editiones veteres habent *operi*. Brouckh. ait : In nullo libro legitur *operi ;* est, opinor, a Scaligero cum voce *insuetas* copulante. Plures codices reperti sunt *opere* exhibentes, quæ est procul dubio genuina lectio. Heynius *operi* servat, ita ut *operi* pro vetere ablativo habendum sit. — Pro *atteruisse* edit. Ven. cum aliis *attenuasse ;* sed ab ineptis magistris

Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
 Dum placeas, humeri retia ferre negent.
Si volet arma, levi tentabis ludere dextra;
 Sæpe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit; rapias tunc cara licebit
 Oscula; pugnabit, sed tamen apta dabit;
Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti,

profectum est. Valer. Max. lib. IV, 5, ait: *rustico opere attritæ manus*; Theocr. Idyl. XV, vers. 32: *ὥσπερ τὶς μακίλα τετυλωμένος ἔνδοθι χεῖρας.* Lucret. lib V, vers. 1359: « Atque opere in duro durarent membra manusque. »

49. *Valles*. Heynius desiderabat *saltus* vel *montes*, in quibus fere retia tendi solent; enimvero altæ valles nihil aliud nisi colles sunt, vel etiam *cavæ montium convalles*, Virg. Georg. lib. II, vers. 186...... Sed optimus verborum suorum interpres est ipse Tibullus, infra, l. IV, Carm. III, vers. 7; ubi venatorem inducit *densos indagine colles claudentem*; cave enim credas interpolatori *saltus* substituenti *collibus*...

50. *Humeri* etc. Alii libri, pauci numero, *humeris retia ferre neges*; quod auctori suo relinquendum. Utriusque locutionis exempla apud Achillem invenies.

51. *Si volet arma*. De exercitatione in armis sermo est; Horat. Art. Poet. vs. 379: « Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis. » Ovid. Trist. lib. IV, 1, 72: « Nec nisi lusura movimus arma manu. »

52. *Nudum latus*. Quod ictui patet: dicitur per oppositionem *tectum latus*. Latus dare, eodem fere sensu usurpatur quo apud nos *prêter le flanc*. Virgil. Æn. lib. I, vers. 104: « Prora avertit et undis Dat latus. » Seneca, Hippol. vs. 1073: « Ratem retentat ne det obliquum latus. » Florus, Bell. Mithrid. lib. III, cap. 5: « Nudumque imperii latus ostendebant procul Marius, Sylla, Sertorius. »

53. *Rapias* etc. Græce *ἁρπάζειν φιλήματα*. Meleager, Epist. XIV, vers. 8: *καί τι φίλημ' ἁρπάσαι ἀκροθιγές*. Heinsius ad marginem editionis Douzæ emendavit *rara*, quod et Huschkio placet, dummodo adscribas *capias*; nempe poetam progressione usum esse: « puer apta dabit oscula, rara vero, quia adhuc pugnabit. Sed quamquam primo rapta dabit, mox tamen offeret ipse roganti vel volenti, atque adeo, *collo se implicuisse volet*: » quæ mihi videtur elegans gradatio.....

54. *Oscula*. Confer Horat. lib. II, Od. XII, vers. 25; Ovid. Ep. XV, vs. 131: « Oscula cognosco, quæ tu committere linguæ, Aptaque consueras accipere, apta dare. »

55. *Offeret*. Statius, in omnibus libris *adferat* pro *offeret* legerat; in iis credo qui minori etiam versu *velit* pro *volet* habebant. Præstat utroque loco futurum tempus. Cod. Paris. *post afferet*; ed. an. 1472: « Rapta dabit primo, post afferet ipsa volenti. » Ed. Vicent. *mox adferet*. Hoc adeo probabat Santen. Bibl. crit. P. III, pag. 73; ut *offeret* pro errore typographi haberet.

Post etiam collo se implicuisse volet.
Heu male nunc artes miseras hæc sæcula tractant!
Jam tener assuevit munera velle puer.
At tibi, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
Aurea nec superent munera Pieridas:
Carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

Equidem etsi omnes libri scripti *adferat* vel *afferet* exhibere dicuntur, præter Commel. qui *offert* habet, tamen *offeret*, quod extat in Venet. 1491, 93, retinendum censeo. Dicunt Latini *ferre oscula alicui*; qui *adferre* dixerit neminem novi. Nam qui alicui fert oscula ultro, hoc enim est *ipse*, is haud dubie offert, non affert oscula tanquam in patina.

56. *Volet.* Statius hic *velit* pro *volet* reposuit. H. Voss. et Bach. eamdem scripturam secuti sunt, tanquam exquisitius positam; præstat tamen futurum tempus, agitur enim de eventuris.

57. *Heu male* etc. Heynius facete ait: « Etiam hic transitus ad aliam sententiam paulo abruptior est, ut mirer Scaligerum non et hic transpositionem pro ponte injecisse.... » Heynius et Voss. ceperunt quasi *artes musicæ* intelligerentur, easque male haberi et contemni ab istis hominibus Priapus quereretur, et propterea *miseras* appellaret, id est miseratione dignas: verum *male tractare artes musicas* nihil aliud est quam quod Græci dicunt μουσικὴν κακῶς ἐργάζεσθαι. Non actionem *malæ tractationis* amatoribus istis hoc loco pro Musis intendit Priapus; sed queritur eos tractare artes a musicis artibus quas, vers. 61, commemorat, longe diversas, largitionem scilicet et corruptionem, quas *miseras* artes vocat contemtim, sicut alii *malas*..... Igitur recte Cyllenius *tractant* pro *exercent* sumit. H.

59. *At tibi.* Achilles Statius et Nic. Heinsius in Vaticanis *at tibi* invenerunt: et habent Excerpta Pocchi et Perreji. Antea legebatur *jam tua*; *at tibi* solemnis est formula in exsecratione. Confer Ovid. Am. lib. I, Eleg. x, et Stratonis Epigr. xv. Torquatus Tassus hunc locum imitatus est Amint. Act. II, Scen. 1:

O chiunque tu fosti, che insegnasti
Primo a vender l'amor, sia maledetto
Il tuo cener sepolto, e l'ossa fredde, ec.

60. *Urgeat ossa lapis.* Contra precabantur: *sit tibi terra levis.* — *Infelix* simpliciter notionem abominandi habet; propter hoc ipsum, quod molliter ossa cubare vetat; ut, arbor infelix. HEYN.

63. *Nisi coma.* Notum huic Megarensium regi, unum fuisse crinem purpureum, quo servabat regni sui fatum: hunc crinem Scylla eripuit, Minoi favens, quo urbem expugnare posset; de Pelopis humero eburneo res notissima, vel ex prima Pindari Olymp. v. 41; et ex Met. Ovid. lib. VI, vers. 403.

Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus,
  Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas;
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
  Idææ currus ille sequatur Opis;
Et ter centenas erroribus expleat urbes,
  Et secet ad Phrygios vilia membra modos.

65. *Referent.* Magna lis, Heynio præeunte, inter Vossium et Huschk. orta est; quum hic vulgatam *referent* tueatur, ille contra *retulerunt* inserere velit, quasi vulgata temporis seriem turbaret; sed libri omnes omnium consentiunt in *referent.*

66. *Vehet.* Unice ultimo versus membro accommodatum; ad duo priora *tellus robora*, et *cælum stellas*, cognatum aliquod verbum, ut *habebit*, *feret*, subintelligas. Ea constructionis forma *Zeugma* vocatur; exempla dederunt Wittemb. in Biblioth. crit. vol. III, p. 110 et 111; *Dorville*, ad Char. p. 395; Burm. ad Lot. p. 9. Bach.

67. *At qui non audit* etc. Qui non movetur carmine, spernit versus amatorios, et præfert aurum quod alii forte offerunt. Heyn.

68. *Opis.* Ops est eadem quæ Cybele, sive Idæa mater, vel Rhea uxor Saturni. Festus videndus in *opima spolia* et in *Opis.* Et Macrobius, Saturn. lib. I, c. 10. et c. 21; ac Servius ad Æn. lib. X. Currum ejus leones bini trahunt; Virg. Æn. III, vers. 113. Hujus currus figura est apud Boissardum, Antiq. T. III, p. 47; alteraque ibidem, T. V, pag. 33; adi pariter Catullum carm. LXIII, 76. Broukh.

69. *Ter centenas urbes.* De Gallis meminit poeta, ut existimat Brouck. Hi enim oppidatim vagabantur, stipem emendicantes, quales fere Cingari, nisi quod Idæam matrem circumgestarent, et furerent imperio, tibicinis Phrygii sono concitati. Gallorum flagitia in deæ Syriæ ministris pinxit Apuleius, lib. VIII, et Lucianus in Asino. Broukh. — Heyn. putat τὸ *expleat* ad numerum referri, quasi dixisset poeta; urbes adeat usque ad trecentas. Unus Heinsii liber habet *explicet;* hinc Mitscherlichius emendat *implicet.* Statius corrigebat male, *ter centenos erroribus expleat orbes.* Pessime omnium Burmannus corrigit *erronibus.* Duobus Guelferbytanis inest *impleat*..... sed nullo indiget correctore hic versus.

70. *Et secet* etc. Hæc de laceratione corporum, quæ flagellis fiebat, intelligenda. *Secare* de verberibus sæpe dictum, ut infra El. IX, vers. 22: « et intorto verbere terga seca. » Horat. Epod. IV, vers. 11: « Sectus flagellis hic triumviralibus præconis ad fastidium... » Verumtamen proprium in hoc Gallorum more virilia auferendi est *secare*; Ovid. Fast. lib. IV, vers. 221: « Unde venit, dixi, sua membra secandi Impetus. » Atqui de Atty mox agitur evirato, et in Ibide, vs. 275: « Sic aliquis tua membra secet, Saturnus, ut illas Exsecuit partes, etc.; » et quam proxime ad hunc locum, vs. 455: « Attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater Incitat, ad Phrygios vilia membra modos: Deque viro fias nec femina, nec vir, ut Attys. » Heyn.

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa favet.
Hæc mihi, quæ canerem Titio, Deus edidit ore;
Sed Titium conjux hæc meminisse vetat.
Pareat ille suæ: vos me celebrate magistrum
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est: me qui spernentur amantes
Consultent; cunctis janua nostra patet.
Tempus erit, quum me, Veneris præcepta ferentem
Deducat juvenum sedula turba senem.

71. ***Blanditiis*** etc. Scaliger hunc locum sic turbavit: ***Blanditis vult esse locum Venus ipsa querelis. Supplicibus miseris flentibus ipsa favet.*** H. Voss. eum non minus deformavit: ***Blanditiis vult ipsa locum Venus; illa querelis Supplicibus, miseris fletibus illa favet.*** Non operæ pretium est nugas omnes referre quibus illustris ille vir deceptus, a vulgata lectione recesserit. Heynius conjectat: « Blanditiis vult esse locum Venus: illa querelis Supplicibus; miseris fletibus illa favet. » Sed hi omnes non senserunt quanta vis pronomini *ipsa* insit, præsertim quum nomen conjunctum sit, adscriptumque ut supra ad vers. 23, *pater ipse*.

73. ***Canerem.*** Libris in omnibus legitur ***canerem***: nec est cur, cum Scaligero ***caverem*** legentes, sententiam ad jurisconsultum quemdam nomine Titium referamus, ut ad personam ὑποθετικήν; quid enim Priapo cum jureconsultis? quid oraculo cum responsis prudentum? Brouckhus. multis exemplis ostendit verbum ***edere*** Deorum esse fatidicorum; verbum vero ***canere*** sacerdotis oraculum pronuntiantis, vel cujuscunque aliquid salubriter monentis... Fuit tunc temporis Romæ insignis poeta Titius ille, quem elegantissime memorat, Horat. lib. I, Ep. III, vers. 9.

75. ***Pareat*** etc. Nemo sane est qui non sentiat sententiam sic bene continuari. ***Pareat ille suæ***, puellæ scilicet, quæ Titium nunc a Priapi præceptis detinet et impedimento est, quo minus puerorum amore rapiatur. Scaliger et Brouckhusius sex versus intercalare ausi sunt, quos initio hujus Elegiæ ademerant, ita ut bis sensum turbarent.

80. ***Deducat.*** Heynius ait, forte refingendum esse, ***Tempus erit quum me deducet***; quod poetæ amant. Huschkius conjecturam probat, his fere verbis: « Aut enim ita scribunt Latini, ***Tempus erit quum deducet***; aut ita: ***Tempus erit quo deducat***, quamquam etiam ***deducet***. Hæc sæpenumero a librariis et criticis confusa, et ubi per metrum fieri potuit altera forma, alteri substituta est... sed quum duo libri scripti Vindob. et Voss. hoc loco habeant ***quo***, tres alii ***quom***, omnes ***deducat***, suspicor Tibullum scripsisse: ***Tempus erit, quo me... deducat.*** Porro pro ***ferentem***, in uno Statii alteroque Heinsii est ***canentem***. Heynius malit *se-*

Heu, heu! quam lento Marathus me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiuntque doli.
Parce, puer, quæso, ne turpis fabula fiam,
Quum mea ridebunt vana magisteria.

rentem; in quod incidit etiam Wakefieldius Silv. Crit. P. V, p. 108. Pro *senem*. Scaliger reposuit *domum*, quod probat Walkenarius ad Callimachi Fragm. p. 204, tribuens emendationem Santenio.

81. *Heu, heu!* Hic loci habet quemdam leporem particulæ geminatio lugubris: præsertim sequente tardigrado spondæo. Sed H. Voss. et Bach. e quibusdam libris reposuere *quam Marathus lento*, ut opinor, perperam; Voss. ait notionem primariam, hoc modo, potiori in loco collocari; tum etiam separatione vocum *quam — lento*, amorem reddi vere lentiorem: idem exemplum citat Terentii Heaut. V, Sc. VII, vs. 20: « Eheu! quam ego nunc totus displiceo mihi! » Ubi τὸ *quam* manifesto non ad adjectivum, sed ad verbum spectat. Nos vero doctissimo illi viro facile demonstrare possumus, τὸ *quam*, quo propius adjectivo sit, eo majorem vim ei afferre: sic apud Horat. lib. I, Od. XIII, vers. 8: « Quam lentis penitus macerer ignibus. » Virg. Eclog. III, vers. 100; « Heu! heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo! » Hic potior sententia est sine dubio *macer taurus*, nec tamen macer præponitur *pingui*; prætulit Virgilius particulæ querulæ geminationem lugubrem, ut Tibullus tardigradum spondæum. — Brouckh. docet, fuisse Marathum puerum Asiaticum, cui verum nomen erat Cyro, et hoc Horatii quibusdam versiculis fretus demonstrare conatur; tu te ad Tibulli vitam refer. Superest ut Heynium refellamus dicentem: « Forte rectius legeretur *torret*, quod melius convenit lento amori. » Voss. illi opponit exempla τοῦ *torquere*; Horat. lib. I, Ep. II, vs. 37: *Amore vigil torquebere*; Ovid. Art. Am. lib. II, vers. 124: *torsit amore Deas*; Propert. lib. III, Eleg. VI, vers. 39: « Me quoque consimili impositum torquerier igni »

83. *Turpis*. Legebatur ante Brouckh. *turbis*... etsi Statius jam e libris monuerat esse scribendum *turpis*.

ELEGIA V.

Asper eram, et bene discidium me ferre loquebar;
At mihi nunc longe gloria fortis abest.

1. *Discidium*. Ante Brouckhusium *dissidium* legebatur, solemni errore. *Ferre* pro *laturum* esse, vel *ferre posse*, dixit. Pro *abest* edit.

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo,
  Quem celer assueta versat ab arte puer.
Ure ferum et torque : libeat ne dicere quidquam
  Magnificum post hac, horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtivi fœdera lecti
  Per Venerem quæso, compositumque caput.
Ille ego, quum tristi morbo defessa jaceres,

Rom. *habet*, quod in binis Brouckh. erat : nimis argute. Heyn. Non tam dissidebant animis ac voluntate, quam erant diremti coacta quadam segregatione. Discidium græce χωρισμός. — *Gloria fortis abest*. Excidit animo. Dictum ut apud Ovid. Met. lib. IV, 648 : « Vade procul, ne longe gloria rerum, Quas mentiris, ait, longe tibi Jupiter absit. » Heyn.

3. *Agor*. H. Voss. uni confisus codici, *vagor* in textum inseruit, audaciorem hoc modo fieri locutionem asserens. Verum turbo non vagatur, sed agitur; οὐ πλάζεται, Homer. lib. XX, vs. 91 : ἀλλα στρέφεται. (Callim. Ep. I, vs. 9.) Ergo etiam homo turbini comparatus non vagatur, sed quod Tibullus, sine controversia, scripsit, agitur, στρέφεται, δινεῖται, ut apud Theoc. Id. II, vs. 30. Huschk. Est turbo genus instrumenti lusorii, nempe lignum forma metæ inversæ, ima sui parte in acutum desinens, in summo latius, quod a pueris scutica circumagitur; græce vocatur στρομβος, στρόβιλος, βεμβιξ... Statius, Scaliger, H. Voss. Huschk. et Bach. secuti auctoritatem quorundam apud Charisium, scripsere *turben*, invitis omnibus libris. Sed ipse Charisius in eadem pagina scripserat : « Turbo, turbonis si proprium sit hominis nomen : turbinis si procellam voluerimus exprimere. » Virgil. dixit, Æn. lib. VII, vs. 378 : « Torto volitans sub verbere turbo. » Ubi Servius quoque *turbo* agnoscit, non *turben*.

4. *Ab arte*. Sic apud Plautum Truc. Act. IV, Sc. III, vers. 59 : *Ab ingenio*. H. Voss.

5. *Ure ferum* etc. Achilli Statio hi duo versus suspecti erant, et propter ἀνακόλουθον et propter ipsum genus dicendi. Sed deceptus ille fuit prava veterum editionum interpunctione, quam postea correxit Pulmannus ad finem edit. Plantin. 1569. Huschk. — H. Voss. post *torque* signum exclamationis ponit, et verba *libeat ne dicere* etc., dependere a *doma* opinatur. Bach. e posteriore pentametri parte sensum absolutum effinxit. Qua opinione sum, utrum eligas parum refert, dummodo poetam carminibus suis frui patiaris.

7. *Per te* etc. Hanc constructionem in obtestatione solemnem, qua pronomen inter præpositionem et casum præpositionis interponitur, in deliciis habet Tibullus : vide infra IV, v, 7. Immo hæc elegantia e Græcia in Latium migravit, monente contra Brouckhusium Valkenario ad Eurip. Phœn. vs. 1659 : Ναὶ πρός σε τῆσδε μητρὸς Ἰοκάστης, Κρέον. Huschk.

8. *Compositumque caput*. Componere caput, idem est quod caput jungere, caput limare. Est omnino *com-*

Te dicor votis eripuisse meis;
Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
Carmine quum magico præcinuisset anus.
Ipse procuravi ne possent sæva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola.
Ipse ego, velatus filo, tunicisque solutis

ponere verbum amoris. Lucil. lib. VIII, num. 6: « Tum compone latus lateri et cum pectore pectus. » Ovid. Ep. Herus, XIX, 137: « Has certe pluresque canunt, Neptune, poetæ Molle latus lateri composuisse tuo. » Propert. lib. II, Eleg. II, vers. 9: « Mercurio et sanctis fertur Bœbeidos undis Virgineum Brimo composuisse latus. » Qui et *ponere* simpliciter dixit, ejusdem libri El. IV, vers. 22. Brouckh.

10. *Te dicor votis* etc. De votis pro carorum salute susceptis adi Ovid. Art. Am. lib. II, vers. 327: Juvenal. Sat. XII, vers. 98; Terent. Hecyr. Act. III, Sc. III, vs. 2; Prop. lib. II, El. IX, vers. 25, et Eleg. XXVIII, vers. 43, etc.

11. *Puro*. Non est cur Brouckhusii emendationem recipiamus desiderantis *vino* pro *puro*; ille licet poetarum congerat loca innumera, non impediet tamen quominus Tibullus scribere potuerit *puro*, præsertim quum de purificatione quadam sermo sit. Etymologicon Magnum scribit: Θεῖον, τὸ επιθυμιώμενον εἰς κάθαρσιν καὶ ἀβλαβὲς; Theocrit. XXIV, vs. 94: Καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ Πρᾶτον· ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται) θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

12. *Præcinuisset*. Scaliger contendebat veterem scripturam esse *procubuisset*, quasi anus procumberet carmen immurmurans. Legitur etiam in uno codice *pertimuisset*, in alio *prætimuisset*. Sed est haud dubie *præcinuisset* genuina lectio, præsertim si Macrobii locum, lib. II, in Somn. Scipionis, cap. 3, respicias: « Ita denique omnis habitus animæ cantibus gubernatur, ut et ad bellum progressui, et item receptui canatur, cantu et excitante et rursus sedante virtutem: dat somnos adimitque; nec non curas et immittit et retrahit: iram suggerit, clementiam suadet, corporum quoque morbis medetur. Nam hinc est, quod ægris remedia præstantes *præcinere* dicuntur. »

13. *Ipse procuravi*. In codice Florentino adest *Ipse ego curavi*; sed est *procurare*, sacris proprium ac peculiare verbum, vid. Cicer. *de Harusp. responsis* de Divinat. cap. 3.

14. *Deveneranda*. Guyet. pessimam immutationem profert, quum *devenerata* legi jubeat; quasi *deveneranda* non sumi possit generaliter, *quæ deveneranda sunt* ὡς νενόμισται, vel specialiter *quæ deveneranda erant*; ut in Eleg. IX, vers. 2: « Fœdera per divos clam violanda. » H. Voss. Guyeti interpolationem amplexus est, quæ quidem forma passiva Tibulli ævo vix convenit.

15. *Ipse ego velatus filo*. Recte revocavit hanc lectionem Vulpius. *Filum* est vitta, infula. Livius, lib. I, cap. 32: « Capite velato filo (lanæ velamen est.) » Festus: « flamen dialis dictus, quod filo assidue veletur; indeque appellatur *flamen*, quasi *fi-*

Vota novem Triviæ nocte silente dedi.
Omnia persolvi : fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses
Fingebam demens, sed renuente Deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
Area dum messes sole calente teret,
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas,
Pressaque veloci candida musta pede.

lamen.» Brouckh. conjectarat *lino*, conjecturamque textui intulerat, sed hæc non nisi in Guelferb. 2, occurrit pro var. lect.

16. *Triviæ*. Recte *Triviæ* reposuit Scaliger, et sic libri meliores. Sunt tamen qui nec *Triviæ* nec *Veneri* habeant; sed *circum*, quod non intelligo. *Trivia* autem, sive *Diana* multis de causis in morbo invocabatur: nullius enim sideris efficaciam præsentius sentiunt corpora adfecta. Hinc vota *Dianæ* et lunæ pro salute, in antiquis lapidibus apud Gruter. l. XXXIX, cap. 3; XL, 8, 12, 13; XLI, 8; XLII, 1, 2. Huc adde quod amantes Dianam solemniter precarentur, tanquam peculiare sibi numen. Sic Phædræ nutrix, apud tragicum Hippolytum, vers. 406. Vide etiam ad Theocrit. Idyllium II, quod Pharmaceutria inscribitur. BROUCKH.

17. *Persolvi*. Ovid. Heroid. Ep. VI, vs. 75: «Vota ego persolvam? votis Medea fruatur?» Ovid. Am. lib. I, El. IX, vs. 25: «Sæpe maritorum somnis utuntur amantes.» Hunc versum satis accurate reddidit MOLLEVAUT :

Et mon rival jouit du fruit de mes prières.

19. *At*. H. Voss. pro certo affirmat neque antecedentibus, neque insequenti particulæ *sed* convenire τὸ *at*, idque manifesto locum exclamationis *ah* obtinere; percussi enim animi esse *ah*. Vossium vero optime Huschkius refellit; huic semper exemplorum inexhaustus fons præsto est. Propert. II, El. VI, seu VII, 5: «At magnus Cæsar, sed magnus Cæsar in armis.» Santenius ad Prop. 917, *et* pro *sed* Tibullo restitui velit.

22. *Area*. Virg. Georg. lib. I, vs. 192 : «Nequicquam pingues palea teret area culmos.» Vide Horat. l. I, Satyr. 1; Mart. IX, 92; Senec. Thyest. vers. 357. Erat area locus in ipso agro editior, in quo frumentum statim in agro congestum terebatur, non, ut nunc, in horreis; vide Geopon. lib. II, 261..... «Trituræ tempus in augusto erat: messis vero fiebat in Italia, mense Julio et Augusto.... In Lusitania etiamnum manipulos in agro relinquunt, et quando commodum tempus incidit, terunt: vix ante Octobrem in horrea devehunt.»

23. *Lintribus*. Lintres sunt alvei quibus uvæ portabantur in vindemia; Serv. ad Georg. I, 262. Iidem *naviæ* vocabantur. Festus : « Navia ex uno ligno exsculpto, ut navis; quo utuntur alveo in vindemia.»

24. *Candida*. Quidam legunt *pin-*

Consuescet numerare pecus; consuescet amantis
 Garrulus in dominæ ludere verna sinu.
Illa deo sciet agricolæ pro vitibus uvam,
 Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ;
 Et juvet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messala meus; cui dulcia poma
 Delia selectis detrahet arboribus.

guia, quod El. I, vers. 10, occurrit. Brouckh. opinatur boni esse patrisfamiliæ, si omnis generis musta habeat. Is, consueto more, poetarum multa coacervat loca, quibus demonstret musta plerumque *pinguia* dici, qua in re nos habet consentientes. Num idcirco Tibullus ab aliis epithetis arcendus? Ecce Heynius supervenit qui poetæ nostro nobilioribus interdicit vinis, et *candida* intelligit, perinde ac si dixisset *viliora*, *minoris pretii*.

25. *Consuescet* etc. Adeo rei rusticæ adsuefaciet animum, ut puerulum ex verna natum gremio insidentem teneat, ejusque ex garrulitate voluptatem capiat. Inversa tantum est oratio. Proprie ipsa consuescet ludere cum verna; nunc autem verna consuescet ludere in dominæ sinu... Dicacitas illa vernarum etiam vernilitas dicta. HEYN.

27. *Deo*. Dacerius Silvanum intelligit, Brouckh. Bacchum; Vulpius autem deos agriculturæ præsides: nil refert: malo tamen ex solemni religione Priapum, nam in ejus lusibus, carm. 85: « Mihi corolla picta vere ponitur; Mihi rubens arista sole fervido; Mihi virente dulcis uva pampino; Mihi glauca duro cocta oliva frigore. » Adde carm. 84. et 86, ex quo eodem, vs. 15 et 16 et aliis locis constat, Priapo hircum vel porcellum, aut aliam victimam fuisse mactatam; vide ad eum loc. quæ notavit Burmannus Secundus. Custodia vero non hortorum solum Priapo, sed et agri, et vineæ et villæ committebatur, vid. carm. 30, 86, 87. HEYN.

28. *Dapem*. Pompeius Festus ait: « Daps apud antiquos dicebatur res divina, quæ fiebat aut hiberna semente, aut verna. » — Quidam libri ferunt *Pro segete et spicas*: sed iis debetur, qui nesciebant, ultimam vocalem brevem, quando sequatur vox incipiens ab *sc*, *sp*, *sq*, aliisque consonantibus duplicibus produci. E multis afferam Virg. Æneid. IV, vs. 146: *Cretesque Dryopesque*. Huic autem regulæ non omnes poetas se adstrinxisse, dicunt Burmann. ad Propert. lib. III, Eleg. XI, vs. 46: Heyn. in var. ad Æn. lib. XI, vs. 309; Bentl. ad Horat. lib. III, Od. XIX, pag. 137. BACH.

29. *Illa* etc. Hunc locum ob oculos habuit Martialis, quum diceret, XIV, 193: « Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum, In tota juvit quem nihil esse domo. » Quo disticho perlecto, Brouckhusius opinatur illum errore memoriæ ad Nemesin transtulisse, quæ Deliæ propria essent.

32. *Detrahet*. H. Voss. *detrahat*, quod in nonnullis legitur, amplexus

Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.
Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusque Notusque
Jactat odoratos vota per Armenios.
Sæpe ego tentavi curas depellere vino:

est, propter sequentia *curet*, *gerat*; sed hæc lectio minime probanda est, nisi forte *veniat* legere velis cum codice uno; temporum enim æqualitas servanda.

33. *Hunc sedula curet.* Brouckh. ait, adfuisse in libris Angeli Colotii et Fulvii Ursini lectionem *huic sedula curet*; et confestim exempla adducit, ubi verbum *curandi* tertio cum casu usurpatur. Plaut. Rud. Act. I, Sc. II, vs. 58; Truc. Act. I, Sc. II, vs. 35; L. Accius in Antigona, etc. etc. Idem Brouckh. addit: tamen si quis pertendat *curare* cum dativo habere significationem τοῦ ἐπισκοπεῖν, cum illo non magnopere pugnabo. Maneat sane vetus scriptura, ut τὸ *curet* sit verbum mensæ atque convivii; vid. Terent. Adelph. Act. IV, Sc. IX, vs. 1; Lucret. lib. II, vers. 31; Virgil. Georg. lib. I, vers. 301; Horat. lib. I, Ep. IV, 15... Nihilominus Brouckhusius ab Heynio stribliginis damnatur. At H. Voss. nos edocet, *venerata*, pro *venerans* sumendum esse. Burmannus junior, probante Santenio, *ferat* pro *gerat* legi vult. Sed Heynius integrum distichon Tibullo, ut spurium, abjudicat: nitorem enim omnino abesse, quem tamen ipse detraxit, quippe qui interpunctionem fœdum in modum turbaverit; quinadeo lectionem omnino falsam *nunc* protulerit, ut versum resarciret, quum nihil minus emendatione indigeat quam hic versus; sententiæ enim suspensio quæ medio quarto pede fit, hiatum ipsa prohibet quominus distichon deformet, ut apud Virgilium, Georg. III, vers. 155: « Arcebis gravido pecori, armentaque pasces, » et Æneid. lib. I, vers. 16: « Posthabita coluisse Samo; hic illius arma. »

35. *Eurusque.* Ita libri scripti pene omnes. Editiones veteres habent *Caurusque*: quod H. Voss. revocavit. Nullo modo enim res urbanas ab Euro in Armenios vehi posse. Sed Tibullus poeta, non mathematicus erat; usus est verbis quæ in consuetudinem proverbii venerant, vid. Hom. Il. XVI, vs. 765, Εὖρός τε Νότος τε, Virg. Æn. lib. I, vers. 85: « Una Eurusque Notusque ruunt. » — Odoratos appellat Armenios propter frutices qui apud eos nascuntur, imprimis amomum, Plin. XII, cap. 28.

37. *Sæpe ego* etc. Elegiam hic Scaliger orditur sextam, adtextis ad hujus finem versibus secundæ 79—100. Heynius suos asteriscos præfixit scribens: Vellem utique carminis superioris venustatem non esse contaminatam fœda lacinia. Ipse Huschkius, qua opinione est, Tibullum culpat, quasi subito ad vitæ dissolutioris adumbrationem transierit..... Horat. lib. I, Od. VII, vers. 31, *vino pellite curas.* Bertin eadem fere cecinit:

J'ai souvent essayé de noyer dans le vin
Ma peine et mes tristes alarmes.
O Bacchus! ton nectar divin
S'aigrissait sur mon cœur, et se tournait en larmes.

At dolor in lacrimas verterat omne merum.
Sæpe aliam tenui; sed jam, quum gaudia adirem,
Admonuit dominæ deseruitque Venus.
Tunc me devotum descendens femina dixit,
Et pudet, et narrat scire nefanda mea.
Non facit hoc verbis; facie tenerisque lacertis

39. *Tenui*. In amplexibus habui; notum dici de re venerea, vide inf. lib. II, Eleg. VI, vers. 52; uti mox *gaudia*. HEYN. — BERTIN sic gallice vertit :

Dans mes bras amoureux
J'ai tenu quelquefois une autre enchanteresse ;
Mais tout d'un coup, au fort de mon ivresse,
Quand je touchais au moment d'être heureux,
Le souvenir de ma maîtresse
Venait saisir mon cœur et glacer ma tendresse,
Et je sentais expirer tous mes feux.

40. *Admonuit* proprie ac signanter positum est. Sic enim dicitur, quidquid cum aliquo aculeo in memoriam nobis redit..... Pauci libri *destituitque*, quod Voss. ποιητικώτερον esse declarat; Ovidius, Am. lib. III, El. VII, vers. 3 : « Hanc tamen in nullos tenui male languidus usus. »

41. *Devotum*. Devotus est, veneficio contactus, cui alieno scelere vis mascula deperiit : descendit femina stomachi atque indignationis plena, tanquamque sperneretur. Ovid. in eadem re, Am. lib. III, El. VII, vers. 75 : « Sed postquam nullas consurgere posse per artes, Immemoremque sui procubuisse videt; Quid me ludis? ait : Quis te, male sane, jubebat Invitum nostro ponere membra toro? Aut te trajectis Ææa venefica lanis Devovet; aut alio lassus amore venis! Nec mora : desiluit tunica velata recincta, Et decuit nudos proripuisse pedes. Neve suæ possent intactam scire ministræ, Dedecus hoc sumta dissimulavit aqua. » De hujusmodi rebus fusius apud Brouckhus. agitur, qui inter alia hæc ait : *devovere* est frigore ferire eam partem, qua viri sunt, ut quantumvis cupiant, tamen minime possint. Gallis est *nouer l'aiguillette*. VOLTAIRE hac locutione usus est, *Pucelle*, chant XIII :

Ami lecteur, vous avez quelquefois
Oui conter qu'on nouait l'aiguillette :
C'est une étrange et terrible recette.

42. *Et pudet, et narrat* libris scriptis inest omnibus. Scaliger inde formaverat *pudet heu, narrat*. Heyn. e Tollianis Excerptis conjecturam affert : « Et dominæ narrat scire nefanda meæ. » Auratus refinxerat : « Et dominæ narrat sacra nefanda meæ. » Denique Heynius ipse suam emendationem ex ingenio exponit : « Et pudet heu! dominam scire nefanda meam. » Sed vulgata lectione nihil melius procedit. Ovid. multis in locis iisdem verbis usus est, vid. Met. XIV, vers. 279; ex Pont. lib. IV, Ep. XV, vers. 29; Trist. lib. I, Eleg. II, vers. 95. Martialis idem eloquendi genus usurpavit, lib. VI, Ep. LIX, vers. 1 : « Et dolet, et queritur sibi non contingere frigus. »

43. *Teneris*. Loco *teneris* Voss. et Bach. *niveis*, e libris quibusdam legi jubent; pro *verbis* pauci libri habent *herbis*. Eædem voces confunduntur apud Ovidium, Met. lib. VII, vers. 203; et apud Propertium, lib. III, El. VI, vers. 25. Infra, lib. I, Eleg. VIII, vers. 17; *herbis* op-

Devovet et flavis nostra puella comis;
Talis ad Hæmonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato cærula pisce Thetis.
Hæc nocuere mihi: quod adest huic dives amator,
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento

ponuntur *carmina*. Brouckhus. hic multa de magicis artibus loquitur, et de egregia puellarum forma; quæ tu omnia, si vacas, legere poteris.

44. *Flavis*. Hic loquax ille Brouckhus. celeberrimas quascunque puellas crinibus prehendit, easque solemni pompa coram lectore ordinibus productis incedere jubet, ut demonstret flavos crines olim ut etiamnum omnibus placuisse. Sane hoc loco Brouckhusius non valde istius eruditi dissimilem se præstitit, cujus meminit Lesage in libro gallice dicto *Gil-Blas*. Ibi enim memoratur quidam doctor, qui maximo nisu crebrisque lucubrationibus operose ac fuse demonstraverat, Athenis olim, perinde ac apud nos, pueros, si fustigarentur, cum ejulatu lacrymasse.

46. *Pisce*. Gronovius malebat *priste*. Pristis, navigii genus ad formam pristium marinarum, quæ longi corporis sunt, sed angusti: sed illum refellit Brouckh. Varie a Græcis fabula tractata est, ut ex Romanis poetis, quorum alius alium secutus est, intelligitur. Apud Pindarum et alios, in his apud Ovid. Met. XI, 235, opprimitur illa inopinato a Peleo in specu Æmoniæ seu Thessalici litoris. At apud Valer. Flaccum, lib. I, vs. 30: Ubi Thetidos nuptiæ in Argo pictæ sunt, lubens illa ad Peleum deducitur Delphino insidens; nec de vi facta quidquam apud Catullum. Sponte illam ad Peleum accedere etiam hoc loco intelligendum est. Quod pulcherrima dea cærula appellatur, ex more dearum marinarum, hoc loco non ad corporis colorem retrahendum est; alias admodum absurdum esset. Heyn.

47. *Hæc nocuere mihi*. De junctura multum hoc loco disputant docti, quum quidam post voculam *mihi* interpungant, alii contra verba *hæc nocuere mihi* ad sequentia trahant; sensum egregie explanavit Brouckhus. qui post *mihi* punctum ponit. Fieri enim nequit, ut verba *hæc nocuere* ad sententiam singularem referantur; pendent manifesto a superioribus, quibus se devoveri dixit. « Sed quod super hæc mala (pergit secum conqueri), accessit etiam amator dives et largus; hanc mihi pestem nocentis lenæ calliditas machinata est. » Heynius adfirmat hoc modo, durissimam verborum juncturam fore. Ciceronis, opinor, consuetudinem loquendi, oblitus erat doctus ille vir. « Quod scire vis, qua quisquis in te fide sit, etc., » τὸ *quod* idem est ac *quod attinet ad id*. De hoc loquendi modo vide Heinsium ad Ovid. Heroid. XVII, vers. 51.

48. *Venit* etc. Ayrmannus emendavit. « Venit et exitium callida lena meum. » H. Voss. *vertit* pro *venit*, ex ingenio. *Hæc* sunt *quæ nocuere* Tibullo: depravationes enim sunt, non emendationes.

49. *Sanguineas* etc. De his imprecationibus quibus lenam Deliæ cor-

Tristia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animæ circum, sua fata querentes;
Semper, et e tectis strix violenta canat.
Ipsa fame stimulante furens, herbasque sepulcris
Quærat, et a sævis ossa relicta lupis.
Currat et inguinibus nudis, ululetque per urbes,
Post agat e triviis aspera turba canum.
Evenient; dat signa Deus: sunt numina amanti,
Sævit et injusta lege relicta Venus.
At tu quamprimum sagæ præcepta rapacis
Desere: nam donis vincitur omnis amor.

ruptricem insectatur, vide Propert. lib. IV, Eleg. v; Ovid. Am. lib. III, Eleg. VIII.

51. *Animæ*. Brouckhus. multa de hoc loco disserit; quæ, si lubet, legas. Nos simpliciter existimamus hic agi de lemuribus mortuorum amantium, quos infesta illa lena puellas corrumpendo læserat. — Strix violenta, quæ funesta et tristia ominatur, ut, vers. 13, *somnia sæva*. Sic Seneca, Thyest. vs. 691: « Ipse funesta prece Letale carmen ore violento canit. » Cyllenius ab eo violentam dictam putabat, quod pueris nocet. Diserte de ea, Ovid. Fast. lib. VI, vers. 131. De strige ex historia naturali ad hunc locum disputare velle ineptum esset. Fabulosam autem esse, jam Plinius censuit, lib. XI, cap. 95. HEYN.

53. *Herbas*. Muretus invexit *escas*, ut de silicernio intelligeretur; sed hoc dabatur ad rogum non ad sepulcrum. Itaque miserrimæ inopiæ fuit, herbas quærere ex sepulcris enascentes; quas herbas carpsisse nec pecori impune fuit. Hinc pastor ille veniam culpæ precatur apud Nasonem, Fast. lib. IV, vers. 749: « Sive sacro pavi, sedive sub arbore sacra Pabulave in bustis inscia carpsit ovis. » BROUCK. — Docte de hoc loco disputantem, vide Doëring. ad Cat. pag. 173.... Similes famis cruciatus descripsit Lucanus lib. VI, vs. 107.....

55. *Ululet*. Vulpius de eo furoris genere intelligit, quum se lupos esse arbitrantur, ideoque ululantes discurrunt.

57. *Evenient*. Ita Brouckh. ex antiquis edit. et libris quibusdam: uti jam Heinsius conjecerat, quem vide ad Met. lib. III, vers. 524; Balbus carm. 4: « Eveniet; dat signa deus: sunt omina vati; » et Tibulli quidam codices quoque *eveniet* habent: utrumque defendi potest.

60. *Nam*. Variant hoc loco libri, quum alii *non* legi jubeant, alii contra *nam*. Brouckh. et Heynius hoc amplexi sunt, H. Voss. illud, quod mihi contra sensum facere videtur. In quibusdam libris invenitur: *nam donis vincitur ipsa Venus*, in aliis; *nam donis vincitur omnis amans*. Huschkius conjecturam proponit: *num donis vincitur omnis amans*. Sed hæc non opus sunt; vulgata servanda est.

Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit
Primus, et in tenero fixus erit latere.
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ,
Subjicietque manus, efficietque viam.
Pauper ad occultos furtim deducit amicos,
Vinclaque de niveo detrahit ipse pede.
Heu! canimus frustra, nec verbis victa fatiscit

61. *Præsto... adibit.* Heynius ait : *Præsto adire* qua ratione dicatur, nemo docet, nec simile exemplum memini. Muretus, nullo libro scripto adjutus, correxerat : « Pauper erit præsto semper tibi. » In Excerptis Scalig. autem legitur : « Pauper erit præsto semper, te pauper adibit Primus. » Huschkius denique ait *præsto esse* et *præstolari* eadem fere esse, et de servis præcipue usurpari. Itaque veram scripturam sic resarcire conatur : « Pauper erit præsto, præstolans pauper adibit Primus. » Codices et editiones veteres in vulgata consentiunt, nec video cur doctissimi viri eam corruptelæ damnaverint.

62. *Et in tenero* etc. Ovid. Amor. lib. III, El. XI, 17 : « Quando ego non fixus lateri spatiantis adhæsi? » Papinius, Stat. Achill. lib. I, 570 : « Nunc nimius lateri non evitantis adhæret. »

64. *Subjicietque manus.* Heynius ait : Accommodatius forte, *objiciet*, ut Horatius : *extrahe turba oppositis humeris. Subjicere* nobis servandum videtur; Horatius de eodem officii genere scripsit. lib. I, Ep. VI, vs. 51.

65. *Pauper ad occultos* etc. Heyn. exclamat : « Videtur pauperi lenonis partes dare, quas quis, nisi forte in aula potentum versetur, sustineat? Ferrem, si esset ad occultas amicas. » Pace tanti viri, Tibullus ad amicos se Deliam ducturum pollicetur, ut clam mutuis amoris præliis indulgere possint; quamobrem illos *occultos* vocat, scilicet omnibus ignotos. Conjecit Heynius primum : « Pauper et excultos furtim deducet amictus. » Deinde fatetur se prorsus excutiisse, novamque conjecturam affert : « Pauper et excussos furtim deducit amictus : » et inest sane *amictus* quibusdam libris. H. Voss. *cultos* fuisse *amicos* declarat, ad quorum convivia Tibullus Deliam deducebat, et legit *ad cultos...* Bachio denique Heynii conjectura propter pentametrum valde arridet, sed caret librorum auctoritate.

67. *Fatiscit.* Hoc Brouckhusius e libris post Gebhardum reposuit; vulgo *patescit.* — Servius *fatiscere* dictum putat quasi *fatim hiscere*, ad Æn. lib. I, vers. 123 : « *Fatiscunt* (inquit), abundanter aperiuntur; fatim enim abundanter dicimus : unde et adfatim. Hiscere autem, aperire, verbum frequentativum ab hiare. » Plautus, Pseudol. Act. IV, scen. I, vers. 42, *Ædes hiscunt*... Virgil. Æneid. lib. VI, vers. 52 : « Neque enim ante dehiscent Attonitæ magna ora domus. » A verbo *hisco* antiquiores illi habebant *hietare* et *hiatare.* Diomedes in lib. I, cap. de iterativa verborum forma, pag. 336 : *Laberius etiam, in Tauro, passivo modo enuntiavit hie-*

Janua, sed plena est percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto:
Versatur celeri Fors levis orbe rotæ.
Non frustra quidam jam nunc in limine perstat
Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit;

tantur fores, pro eo sane quod est hietant, id est, *patent*. Brouckh.

68. Infra Eleg. ix, vers. 52: *Et pretium plena grande referre manu.* Cyllenius eodem sensu hunc locum interpretatus est; quocirca a Brouckhusio simplicitatis et fere stultitiæ damnatur: non enim ad munera pertinere poetæ verba, sed ad oppugnationem nocturnam, qua fores talium puellarum frequenter vexabantur. Nobis autem Cyllenii sententia potior visa est.

69. *At tu* etc. Hic in textum fere sævit cultro doctissimus Heynius, quippe qui versus hujus elegiæ ad finem usque pro spuriis habeat, eosque laciniam esse superioribus adtextam declaret. Ipse Scaliger, Tibulliani textus maximus vastator, duobus tamen versibus 69 et 70, pepercerat; sequentes vero sex in elegiam proximam relegarat. Heynius autem nihil intentatum reliquit, quo illos poetæ abjudicaret; quin et Nasonis locum dilacerare ausus est, Trist. lib. II, vers 459: denique asteriscos suos interposuit. Cohærent omnia, nostra sententia, neque intelligere possum, quid Heynium impulerit, vel Scaligerum, ut venustissimam hanc elegiam deformarent, sive delendo, sive transponendo ultimos illos versus. Vers. 17 dixerat poeta: *fruitur nunc alter amore*; eumdem, vs. 47, *divitem amatorem* vocat. Nunc vero exclamat: *At tu, qui potior nunc es*; perinde uti in Eleg. ii, vers. 87, jam legimus: *At tu qui lætus rides mala nostra, caveto.* Vide quoque Eleg. vi, vs. 15; lib. II, El. iii, vers. 35 et 63; lib. II, Eleg. iv, vs. 39; Horat. Epod. xv, vers. 17. — Cod. Paris. et edit. anni 1472: *mea furta timeto*; edit. Venetæ, 1491: *mea furta caveto.* Brouckhusius e libris suis revocavit *timeto*. Libri quidam *potior vinces*; sed hoc e corrupto *potior nunc es* profectum videtur.

70. *Fors*. Statius in plerisque libris *sors* invenerat; id est, inquit, Fortuna. Fallitur vir bonus. *Fors* est fortuna: *sors* vero, id quod unicuique mortalium vel a fortuna offertur, vel a ratione et consilio datur. Hæc Brouckhusii verba sunt, Horatii auctoritate confirmata; qui quidem scripsit, Sat. I, 1, vs. 1: «Qui fit, Mecænas, ut nemo, quam sibi sortem, Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa Contentus vivat?» — Brouckhusius noster confestim immensa exemplorum mole demonstrat, fuisse olim rotam fortunæ, ut nullo modo emendatio Scaligeri opus sit. Is enim *cito* legi jubebat, quo rem ad Fortunam *ἑστηκυῖαν ἐπὶ λίθου τινὸς στρογγύλου* referret, secundum Cebetis tabulam. Dea apud Boissardum, T. III Antiq. p. 48, conspicitur in monumento Q. Cæcilii Ferocis, ubi sinistro pede rotæ nititur.

71. *Non frustra*. Guelf. primus habet *nam frustra*; fortasse non male: sed vulgata mihi magis arridet.

72. *Ac refugit*. Libri veteres, mo-

Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus, et ante ipsas exscreat usque fores.
Nescio quid furtivus amor parat. Utere, quæso,
Dum licet; in liquida nat tibi linter aqua.

nente Statio: *et crebro prospicit atque fugit*; ed. Venetæ: *ac crebro prospicit atque fugit*; cod. Paris. et edit. anni 1472: *ac crebro prospicit ac refugit*. HUSCHK.

73. *Et simulat*. Codex Gothanus, *Si simulat*.

74. *Solus* etc. Eugraphius ad Terent. Heautontim. Act. II, sc. II, vers. 132, scripsit: « Hæc omnia adolescentuli faciunt, quotiescumque videre aut videri volunt ab his quas desiderant; ita sub quodam metu, ut quasi dum aliud necessitate conficiunt, sic impleant voluntatem. » — Unus *ille*; multi, in quibus etiam cod. Paris. *ipse*; Guelf. IV, *atque*.

75. *Utere, quæso*. Substitui τῷ *quæso*, quod per se friget, possunt multa: *utere vento*, seu *velis*, seu *remis*. Hæc ex ipsa re petita essent. HEYN. — Sibi habeat eruditus vir ventos et remos et vela, et Terent. adeat, qui τὸ *utere* absolute usurpavit, Phorm. Act. III, sc. V, vers. 42: « Sic sum, si placeo, utere. » Vide etiam Tibullum, lib. I, Eleg. VIII, vs. 47: « At tu, dum primi floret tibi temporis ætas, Utere; non tardo labitur ille pede; » et Propert. lib. IV, Eleg. V, vs. 57: « Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus, Utere, ne quid cras libet ab ore dies. » — In Colot. *nescis*.

76. *Nat*. Pro *nat* alii *jam*, vel ut Regius et Guelf. III, *nam*. Tum scribendum foret: *it liquida nam tibi linter aqua*. Pro *linter* glossam exhibet edit. Rom. *navis*. HEYN.

ELEGIA VI.

SEMPER, ut inducar, blandos offers mihi vultus;

1. *Semper ut inducar blandos offers mihi vultus*. *Inducere* est fallaciis quibusdam pellicere ut decipias; ductum a feris quæ in casses pertrahuntur. Scaliger et Brouckh. e paucis MSS *inducas* intulerant. HEYN. Hoc et eodem sensu Horatius verbum *inducere* usurpavit, lib. I, Sat. II, vers. 88: « Ne, si facies, ut sæpe decora, Molli fulta pede est, emptorem *inducat* hiantem. » De voce *blandos* multum disserit Brouckhusius, secundum quem non nisi de re fallaci usurpatur. Nos vero opinamur, et in bonam et in malam partem æque sumi, prout casus expostulat. Cicero, de Amicitia, cap. 25: « Secerni autem blandus amicus a vero, et internosci tam potest, adhibita diligentia, quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. » Contra Ovidius, Art. Am. III, vs.

Post tamen es misero tristis et asper, Amor.
Quid tibi, sæve puer, mecum est? an gloria magna,
Insidias homini composuisse Deum?
Jam mihi tenduntur casses : jam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fovet.
Illa quidem tam multa negat; sed credere durum est :
Sic etiam de me pernegat usque viro.
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto

315 : « Res est blanda canor : discant cantare puellæ ; » et noster : « Blandaque cum multa tura dedisse prece. »

2. *Tristis et asper. Tristis* pro *durus*, *crudelis*. Sic Cicero, *tristia judicia*.

3. *Quid tibi, sæve puer, mecum est?* Vulgo legitur *sævitiæ* ; codex Paris. *Quid tibi sævitiæ est mecum*. Muretus vero adfirmat in aliis libris scriptum fuisse : *sæve puer*, quam scripturam Brouckh. in textum recepit, aliique fere omnes. Nec tamen satis perspectum habeo, cur a fide codicum recedamus, præsertim quum exemplis et græcis et latinis defendi possit. Homerus, Il. XXI, vs. 360 : *Τί μοι ἔριδος καὶ ἀρωγῆς*; in fine versus multi addunt *est*, quod vero rejiciendum censeo.

4. *Insidias homini composuisse Deum*. Vide in Brunckii Anthologia, tom. I, pag. 486 : *Τί πλέον εἰ θεὸς ἄνδρα καταφλέγει ἢ τί τὸ σεμνὸν δηώσας ἀπ' ἐμᾶς ἆθλον ἔχει κεφαλῆς*. Hi versus Alcæi Messenii sunt.

5. *Jam*. Codices nonnulli *nam* loco τοῦ *jam* offerunt, inter quos et Parisiensis est.

6. *Callida*. Vossii tertius *calida* exhibet, quod omnino falsum ; in Vossii quinto invenitur *mente* pro *nocte*. Ita ut tamen τὸ *nocte* in margine superadditum sit. Mirabeau, qui Tibulli carmina pedestri sermone vertit, τὸ *nescio quem ... fovet* optime, et simili eloquendi genere expressit, *réchauffe en secret je ne sais quel rival*.

7. *Illa quidem* etc. Hoc distichon est de quo Ovidius, Trist. II, 447, meminit : « Credere juranti durum putat esse Tibullus, Sic etiam de se quod neget illa viro. » — *Tam multa*. Quibusdam impeditus videtur hic locus, ita ut eum corruptelæ incusent. Scaliger loco τοῦ *tam* jubet legi *jam*. Heynius putat sic corrigendum : *Illa quidem jurata negat* ; Burmannus *insimulata* reponi vult ; denique Santenius procedit, lectionem *delicta negat* adferens. Vulpius nihil immutat, sed absurda utitur interpretatione, quum asserit Deliam graviora negasse, scilicet concubitum ; leviora vero non inficias ivisse. Quod ad me attinet, non intelligo cur tantum sudent eruditi. Potest locus facillime defendi exemplo e Catulli Carm. VIII, 6, sumpto : *Ibi illa multa tam jocosa fiebant*. Alii quidem *tum* legunt ; cur non idem apud Tibullum faciunt ?

8. *Usque*. Unus Gebhardi *ipsa* ; unus Brouckh. *quod neget illa* ; in Colot. *Nam sic et de me pernegat* ; Vossii tertius pro *usque* habet *illa*.

9. *Ludere*. Guelf. 2, *ladere*. J. H. Voss. similitudine inductus, seriem

Custodes. Heu! heu! nunc premor arte mea.
Fingere tunc didicit causas, cur sola cubaret;
Cardine tunc tacito vertere posse fores:
Tum succos herbasque dedi, queis livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu, fallacis conjux incaute puellæ,
Me quoque servato, peccet ut illa nihil.

verborum turbat, scribens *posset quo*, ut in lib. I, Eleg. VII, vs. 3, *posset qui fundere gentes*. Immutatores nobis abigendi sunt a textu, perinde ac latrones a domo; nam omnia permiscent, ut faciunt ii qui *pictis foliis et regibus* ludunt.

10. *Nunc premor* etc. Ovid. hunc versum fere ad verbum sumpsit, loco supra citato: « Seque sua miserum nunc ait arte premi. » *Premi* idem quod torqueri, urgeri significat; vide Am. II, XVIII, 20; XIX, 34.

11. *Fingere tunc.* Heynius, et qui eum secuti sunt, in utroque hujus distichi versu, *tunc* pro *nunc* reposuere auctoritate codicum Guelf. 1 et 4; quasi id sensus exigeret, totiusque loci ratio: sed nihil refert utrum legamus *tunc* an *nunc; didicit* enim præterito tempore scriptum, ita ut sensus sit: « Nunc fingere potest, quia olim a me fingere didicit. » — Quidam codices loco τοῦ *cur* exhibent *ut*.

12. *Cardine* etc. Apud Plautum in Curculione, Act. I, III, 1, legimus: « Placide egredere, et sonitumprohibe forium, et crepitum cardinum; Ne quod hic agimus herus percipiat fieri, mea Planesium, Mane, suffundam aquulam. »

13. *Tum succos herbasque dedi.* Tum enim, quum a meipso fingere didicit: sic nihil impedit quominus superioribus versibus servetur τὸ *nunc*. Plinius a Brouckhusio citatur, quo lectori omnes herbas enumeret, quarum succo livori mederi oporteat. Nos ista præcepta missa faciamus; non enim juvat puellam mordere. BERTIN ait:

Nulle amante bientôt ne sut mieux effacer
Le bleuâtre sillon que, sous un cou d'albâtre,
Imprime de ses dents un amant idolâtre.

14. *Quem facit impresso* etc. Catullus de columbis ait LXVII, 127: « Oscula mordenti semper decerpere rostro. » Possis apud Brouckhus. innumera exempla legere, inter quæ unum eligimus. Cicero in Verrem ait, Act. V, 13: « Ne denudetur a pectore, ne cicatrices populus romanus adspiciat, ex mulierum morsu vestigia libidinis atque nequitiæ. »

15. *At tu* etc. Ovidius, Am. lib. II, Eleg. XIX, vs. 37, dixit: « At tu, formosæ nimium secure puellæ. »

16. *Peccet ut illa nihil.* Duo italici codices exhibent, *peccet ut illa minus;* quod præeunte Brouckhusio amplexus est Heyn. At τὸ *nihil* longe plurimis codicibus inest, quibus accedunt Anglici et Beroll. editionesque omnes ante Brouckhusium, qui, auctoritate Ovidii fretus, *minus* scripsit; ait enim Ovidius, de hoc ipso loco agens: « Denique ab incauto nimium petit ille marito, Se quoque uti servet; peccet ut illa minus. » Dijudicent, vel saltem eligant periti.

Neu juvenes celebret multo sermone, caveto;
Neve cubet laxo pectus aperta sinu:
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat, et mensæ ducat in orbe notas.
Exibit quam sæpe, time; seu visere dicet
Sacra Bonæ, maribus non adeunda, Deæ.
At mihi si credas, illam sequar unus ad aras,

17. *Neu... celebret multo sermone.* Codex Hamb. habet, *multo celebret sermone;* pauci habent *ne* pro *neu*. Vulpius hunc locum interpretatur: « Ne nimia sit in laudanda juvenum forma. » Quocirca ab Heynio reprehenditur. Sed, ut opinor, Vulpii sensus optimus est, licet omnes alium elegerint. Heyn. ipse fatetur exemplorum nubem a Brouckh. adductam nihil ad rem facere. Quid enim interest dixerit Cicero: « Similis et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit? » Ep. Att. I. Num inde sequitur *juvenes celebrare* idem esse quod cum juvenibus sermones serere? MOLLEVAUT vertit:

Orains de la voir flatter la jeunesse folâtre.

Bene quidem, sed meliùs, dummodo *vanter*, vel *louer*, loco τοῦ *flatter*, scripsisset.

18. *Neve cubet laxo* etc. Quidam *lasso* pro *laxo*; sed, ut bene Heynius notat, hoc a diversa Italorum scriptura procedit. Ovid. Fast. lib. I, vers. 408, *Altera dissuto pectus aperta sinu.*

19. *Neu te decipiat nutu.* Græce μή σε λάθῃ ἂν διανεύουσα.

20. *Ne trahat, et mensæ ducat in orbe notas.* J. H. Voss. textu quidem abstinuit; sed non potuit, quin particulas loco moveret, et τὸ *ut* (quod in codice quodam Scaligeri loco τοῦ *in* legitur) ubi nunc *et* scriptum est, transferret. Cæterum de amantium inventis apud Ovidium multa enarrantur; Ep. XVII, 75-92; Art. Am. I, 569, 579; idemque dixit: « Et tacitam mensæ duxit in orbe notam. »

21. *Seu visere.* Vulpius orationem altero membro defectam esse censet; sed falso: nam reponitur *seu* pro *vel si*, et hoc modo ad antecedentia referri debet, atque sic intelligi ut supplendum sit: « Seu quacumque alia de causa prodire se dicet. » Rem adhuc explanat sequens Lucilii locus: « Aut quum iter est aliquo, et causam commentaque vidi; Aut apud aurificem, ad matrem, cognatam ad amicam; Aut operatum aliquo in celebri cum æqualibu' fano. »

22. *Sacra Bonæ Deæ.* Ad hujus Deæ sacra non nisi feminæ accedebant, et quicumque vir imprudens adspiceret, omnium opinione cæcitate puniebatur. Nec tamen hæc Clodium deterruere, quo minus inter Bonæ Deæ sacra Cæsaris Pompeiam stupraret; quo circa a Cicerone adpellatur *Bonæ Deæ sacerdos.* Fecerit ibi stuprorum initium, nec ne, non liquet; sed notissimum omnibus interfuisse his solemnitatibus viros, qui nullo oculorum damno, ad ipsam aram cum puellis suis concubitus celebrabant: unde fortasse apud nos vulgari sermonis usu dicitur *en prendre jusque sur l'autel.*

23. *Ad aras.* Scaliger reposuerat

Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Sæpe, velut gemmas ejus signumve probarem,
Per causam memini, me tetigisse manum:
Sæpe mero somnum peperi tibi; at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.
Non ego te læsi prudens: ignosce fatenti.
Jussit Amor: contra quis ferat arma Deos?
Ille ego sum, nec me jam dicere vera pudebit,
Instabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi conjuge opus? tua si bona nescis

ad aram; Brouckh. *aras* revocavit. Mea opinione nihil interest utrum illud eligas, an hoc. Nos, plurimorum codicum consensu freti, veterem lectionem servavimus; nec opus sunt, quæ fuse disseruit Brouckh. de quibus excursum nostrum vide. Hic sat erit indicare Brouckh. observationem; ait enim: « Imo sæpe ut virorum oculos evitarent (puellæ male crinitæ), ac sine arbitris comerentur, templa Bonæ Deæ adibant. » Naso, Art. Amat. lib. III, vers. 243: « Quæ male crinita est, custodem in limine ponat, Orneturve Bonæ semper in æde Deæ. » Miror Brouckhusium non intellexisse Ovidium hæc per irrisum ac jocum præcepisse.

24. *Tunc mihi... sit.* Græce ἐστί μοι. Pindarus, Pyth. I, 56, ἔστω Ζεῦ τὶν ἀνδάνειν, quod ad oculos attinet; hæc ad versum 22 pertinent.

25. *Signumve.* Brouckh. ex uno, *signumve* scripsit, quum antea *signumque* legeretur; habuitque auxilio Ovidium qui in Trist. II, 451, hunc locum respiciens dixit: «Sæpe, velut gemmam dominæ signumve probaret, Per causam meminit se tetigisse manum. » J. H. Vossius *signum* pro annulo signatorio accipi vult; Heynius *Hendiadyn* statuit, et explicat *signum in gemma annulari;* sed obstat particula *ve*, quæ non nisi disjungendo inservit.

26. *Per causam.* Idem quod apud nos, *sous prétexte.* Brouckh. consueto more exempla cumulat, quo rem luce clariorem illustret.

27. *Mero.* Codex unus *vino* pro *mero* præbet; sed hoc glossema est.

28. *Sobria... pocula.* Sic lib. II, El. I, vs. 46, *Sobria lympha.* Plato aquam τὸν θεὸν νήφοντα vocat.

30. *Jussit Amor.* Confer Euripidis versum 1396, in Iphigen. Aulid.; Callimachi Hymnum in Apollinem, Epigr. XLIV, vs. 25; denique Meleagri, tom. I, Epigr. C, pag. 28 editionis Brunckianæ.

31. *Nec me jam* etc. Unus codex Vossii *nec me nunc* exhibet, quod in Bernensi quoque invenitur.

32. *Instabat* etc. Canibus semper amatores arcendi fuere. Brouckhus. plura loca congerit, quo rem demonstret; nos autem, unum tantum addimus exemplum. Molière, in comœdia nuncupata *les Femmes savantes*, ait:

Et, pour n'avoir personne à sa flamme contraire,
Jusqu'au chien du logis il s'efforce de plaire.

33. *Quid* etc. Scaliger, quem se-

Servare, ah! frustra clavis inest foribus!
Te tenet, absentes alios suspirat amores,
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi servandam credas, non sæva recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.
Tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos,

quitur Brouckhus. hoc loco superioris elegiæ sex novissimos versus invexit. Vide quod ibi de hac transpositione diximus. Heyn. merito observat, vix alium tam parum commodum locum illis reperiri potuisse. *Quid tenera tibi conjuge opus?* In Vossii cod. 5, *Quid opus est tenera tibi conjuge? si bona nescis;* quod certo a scripturæ confusione procedit.

34. *Ah! frustra.* Scaliger e textu vocem *ah* ejecerat, qua sublata versus non numerosus est: in quibusdam codicibus deerat quidem, sed perpauci sunt ii, quum contra antiquissimus et optimus quisque hanc interjectionem servet. *Clavis* est vectis, vel pessulus.

35. *Absentes.* Brouckhusius hoc loco secundum casum desiderat, scripsitque *absentis;* verum hac immutatione et sensus et versus duri fiunt: præterea nulla codicis auctoritate gaudet. Ex omnibus fere poetis similes locutiones convocat Brouckhusius, ut hanc luce clariorem farragine exemplorum illustret. — Vulgari modo loquendi *suspirare* dicimur *aliqua re*, vel *propter aliquam rem;* adeoque recte Lucretius, IV, 1189: « Nec mulier semper ficto suspirat amore. » Ut vero tot alia similia in actionem deflexa sunt a poetis, v. g. *sonare cantus*, *olere myrrham;* sic dici cœpit, *suspirare amorem.* Heyn.

36. *Et simulat* etc. Heynius exclamat: en Gallorum nostrorum *vapeurs!* sed hæ jamdudum obsoletæ sunt. In cod. Hamburg. legitur *et subito fingit.*

37. *At mihi* etc. Brouckhusius et Heynius aliique particulam *si* subintelligendam declarant, ut sensus continuetur usque ad finem versus secundi. J. H. Voss. et Bach. in quorum sententiam eo, id supervacaneum esse affirmant, phrasinque post *credas* claudunt. C. Guelf. 2, *Hanc mihi*, pro *At mihi.*

38. *Detrecto.* Brouckhus. *detracto* reposuit. Tibullus, lib. II, El. III, vers. 82: « Non ego me vinclis verberibusque nego. » Sensus hic causæ declarandæ adpositus est; non enim servorum asperrima mala recuso.

39. *Tunc.* J. H. Vossius et Bach. *tum* legi volunt: causam ad versum 21 Elegiæ I videre poteris; Guyet. Heynius et Vulpius *colis* in textum invexere, quasi latino sermoni repugnaret *colit*, quod tamen omnibus MSS inest, uno excepto, qui est Vossii quartus. Ecce subito J. H. Voss. cultro supervenit, eoque stricto minitatur verbo *absitis* sævam obtruncationem, ut nihil ejus supersit quam *absit;* sibili criminis enim incusatum est: sed vulneri ab H. Vossio illato medetur doctissimus Huschkius. Is merito declarat τὸ *colit* post *absitis* nullo modo rationi linguæ latinæ repugnare; quin et apud Græcos similes locutiones frequenter usurpari. Homerus, Il.

Effluit effuso cui toga laxa sinu.
Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul, aut alia stet procul ante via.
Sic fieri jubet ipse Deus : sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.
Hæc ubi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.

XXIII, vers. 285: Ἄλλοι δὲ στέλλεσθε κατὰ στρατὸν, ὅστις Ἀχαιῶν ἵπποισίν τε πέποιθε καὶ ἅρμασι κολλητοῖσιν. Cui exemplo quid similius esse potest quam versus Tibulli? ad hoc genus accedunt quoque comicorum latinorum formulæ : *Heus! foras exite huc aliquis;* Plaut. Epid. III, III, 17: *Aperite aliquis actutum ostium;* Terent. Adelph. IV, V, 24. Similiter Virg. Æn. IV, 625: « Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor. »

40. *Laxa*. Aldini cod. habent *lapsa;* alii libri, quorum est Paris. *lassa:* sed *laxa* genuina certe lectio est. J. H. Voss. quærit, qui tandem fieri potuerit, ut admitteretur ab aliis editoribus scriptura *effluit*, quum obtulerint iis libri quidam lectionem multo scilicet meliorem, *Et fluit.* Hanc e suis quinque numero habere, eamque etiam præferre Burmannum sec. Nos, quamvis sciamus Heynium, Bauerum, Wunderlichium Bachiumque ejusdem esse opinionis, cum Huschkio facimus, dicente : equidem, si centum codices, centumque Burmanni in lectione *et fluit* consentirent, tamen retinendam esse censerem alteram, *Effluit*.

41. *Ne possit* etc. Alio ordine edit. pr. min. *crimen possit;* edit. Venet. 1475, et Reg. Lep. *ne crimen posset.*

42. *Stet procul* etc. De hoc loco inter doctos magna contentio. Achilles Statius vulgatam corruptelæ arguit, conjecitque *stet procul ante :* in quod etiam Heynius incidit, sed textu abstinuit. Contra J. H. Voss. et Bach. scripturam mutavere : quin et audacissimam conjecturam Bach. absque ulla auctoritate profert dicens : in mentem mihi venit, *Stet procul ante, alias aut petat inde vias.* Brouckhusius quoque olim suam salis micam admoverat, scribens : *Stet procul atque.* Nunc Mitscherlichius locum a misello versificatore profectum edicit. O utinam Tibullus ad unum diem tantum e mortuorum cœtu revivisceret, ut istos fuste abigeret!

43. *Ipse Deus*. Crediderim hic de Amore agi, nec cum Heynio sentio, qui numen divinum in genere intelligit. Amor est, qui imperat, Bellonæ sacerdos, quæ vaticinatur, Dea magna monente. Eodem sensu vertit MIRABEAU. MOLLEVAUT difficultatem elusit : *Tel est l'ordre du ciel*, quibus verbis effingat quisque Amorem vel Bellonam, prout placet. Fuit autem Bellonæ sacrum inter superstitiones peregrinas, quæ Romam inter bella civilia invaserant. Vide ad calcem voluminis Excursum nostrum.

45. *Bellonæ motu*. Κάτοχος ἐκ τῆς θεοῦ· ἔνθεος. Cod. Paris. *mota.*

46. *Non amens*. Ita jam emendatum in Ald. sec. et hinc vulgata lectio facta, quam firmavit Brouckh.

Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
  Sanguineque effuso spargit inulta Deam.
Statque latus præfixa veru; stat saucia pectus,
  Et canit eventus, quos Dea magna monet:
Parcite, quam custodit Amor, violare puellam,
  Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigeris; labentur opes, ut vulnere nostro
  Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.
Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, pœnas:
  Si tamen admittas, sit, precor, illa levis!

e melioribus libris. In aliis fere *non et amans*, vel *non et amens*, vel quoque *nec et amens*; cod. Ursin. *nec demens*. — *Verbera torta* sunt Bellonæ flagella. Vid. Georg. lib. III, vers. 106; Æn. lib. VIII, vers. 703. Solemne autem hoc fanaticis illis, ut se ipsos flagris cæderent, urerent, laniarent; more qui primum ad placandos deos in magnis calamitatibus, aut in magno reatu inter criminum pœnitentes ortus erat, tum demum verso in ludibrium et præstigias. Heyn.

47. *Violenta*. Editiones veteres cum principe, ut libri quidam scripti cum cod. Paris. *violata*. Eædem voces confunduntur lib. IV, 1, 76. Huschk.

48. *Sanguineque effuso*. Cod. Paris. *Sanguine et effuso*. J. H. Voss. *inulta* eodem sensu interpretatur quam *innoxia*, argumentoque utitur ex lib. II, Eleg. v, vs. 63. Sed non video quid inter hæc loca similitudinis sit. Vulpius explicat *inulta*, quod nemo ea vulnera ulciscebatur : sed hoc modo friget sensus. De *inepta*, quæ lectio editioni Romanæ, codicique Commelini inest, ne mentio quidem facienda. Optimi interpretum sic vertere, ut significet sacerdotem absque ullo dolore sese vulnerasse.

49. *Præfixa*. Corvin. *perfixa*. Idem in Excerptis e codic. Falcoburg. — Tenui lanceola cutem a sagina diductam trajicit, ita ut præ latere ea transversa stet.

50. *Monet*. Quidam codices *movet* habent, sed perperam : est enim *monet* vaticiniorum et oraculorum peculiare verbum, ut multis exemplis docet Brouckhus. quibus non egemus.

51. *Parcite* etc. Hæc sunt quæ vaticinatur sacerdos. — *Violare puellam*. Fidem puellæ sollicitare, et ab amante suo abducere.

52. *Didicisse*. Editio prim. mag. *decidisse*.

53. *Attigeris*. Codex Paris. et ed. ann. 1472 *attigerit* exhibent. Douza primus *attigeris* edidit, quod confirmant Monac. Bern. et H. Vossii quinque. Idem divinarant Auratus et Fruterius. Sensus est : Si puellam stuprare ausus fueris, opes, quascunque et quantascunque habueris, evanescent, nec tibi supererit quo sustentari possis.

54. *Ut hic*. Edit. pr. maj. anno 1472, *ut hinc*.

56. *Si tamen admittas*. De Cyl-

Non ego te propter parco tibi : sed tua mater
Me movet, atque iras aurea vincit anus.
Hæc mihi te adducit tenebris, multoque timore
Conjungit nostras clam taciturna manus;
Hæc foribusque manet noctu me affixa, proculque
Cognoscit strepitus, me veniente, pedum.
Vive diu mihi, dulcis anus : proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.
Te semper, natamque tuam, te propter, amabo:

lenii interpretatione ne mentionem quidem faciendam censeo, jubentis sic intelligi hunc locum : *Si in pristinam amicitiam recipias.* Omnibus notum est *admittere* et *peccare* idem esse.—*Sit, precor, illa levis.* Cyllen. Deam ipsam intelligit. Brouckhusius sacerdotem dicens : optat ut potius antistita sit mendax, quam ut domina pro suo sibi merito puniatur; hæc enim vis est voculæ *levis*, quam male exponunt, quasi eadem sit quæ *mitis*. H. Voss. consueto more textum resarcire conatur, ita ut superet sententia eorum qui singularem casum hic loco pluralis sumunt, remque omnem ad pœnas referunt. Scripsit igitur *ulla* loco *illa*; sed intelligat qui intelligere potest. Idem in notis corrigit *sit precor ulta levi.* Utra immutationum pejor sit non liquet.

58. *Me movet.* Quidam *monet* præbent, sed, ut videtur, male. — *Aurea... anus.* Optima et carissima. Horat. I, Od. v, vs. 9 : « Qui nunc te fruitur credulus aurea. » Propert. IV, v, 21 ; El. vii, 85. Ita Græci vocem χρυσοῦς usurpant. Heyn.

59. *Hæc mihi* etc. Vulgatam servavi cum Heynio et Huschkio, *Hæc mihi te adducit tenebris;* anus enim ad fores eum præstolatur, et ubi venit, puellam e cubiculo furtim ad eum adducit. Quidam codices habent *Hæc mihi te adjungit;* alii, inter quos Guelf. 1, 4, *Hæc me deducit*, quod Brouckhus. recepit, Bachiusque. Codex unus *abducat*, vel *abdicat* præbet. Conjecturas H. Vossii et Pricæi, *Hæc tibi me adducit*, et *Hæc mihi te sociat*, vel *placat*, ut inutiles rejiciamus.

61. *Manet noctu* etc. Junge : *manet me, affixa foribus.*

62. *Cognoscit strepitus, me veniente, pedum.* Cod. Hamburg. *Agnoscit;* Dresd. *strepitum.* Vid. infra El. viii, vs. 65 : « Dum mihi venturam fingo, quodcunque movetur, Illius credo tunc sonuisse pedem. »

63. *Vive diu mihi* etc. Scaliger edidit : *Vive diu, mi dulcis anus,* ἀρχαϊκῶς. Non ille meminerat scribere Latinos : *Vive mihi*, ut *vale mihi*, ἀρχαϊκῶς.

64. *Contribuisse.* Brouckh. admisit Heinsii emendationem, vel potius depravationem *contaruisse*. Votum Tibulli satis perspicuum e verbis *Sit modo fas*, quæ non ad communem vitæ consuetudinem pertinent, sed manifesto ad anus vitam, de vita Tibulli auctam, in plures annos. Hoc modo non opus est lectione *si*, pro *sit.*

Quidquid agat, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.
Et mihi sint duræ leges, laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos appetat illa meos:
Et, si quid peccasse puter, ducarque capillis
Immerito, pronas proripiarque vias.

66. *Quidquid agat.* Edit. Roman. et Lips. codices, Guelf. 1, 2, 3, et alii habent *agit;* sed Statius ex libro Cardinalis Sforziæ reposuit *agat.* Sic etiam habent Thuaneus et Colbertinus. — Brouckh. exempla profert multa, quibus demonstrat syllabam posteriorem in voce *sanguis* a pluribus poetis productam fuisse, idemque notat ibi de verbis *pulvis, ignis, cinis.* Cave objicias hoc cæsura effectum esse; hæc non nisi sensu finito syllabam producit. Præterea Brouckh. alia exempla citat, ubi productiones non in cæsuram incidunt.

67. *Quamvis non vitta* etc. Hoc loco quasi argumento nituntur interpretes, quo ex Tibulli Delia libertinam efficiant, quæ ne vittam quidem, neque stolam habuerit. Matronarum fuisse vittas et stolas satis constat, neque puellis concessas nisi ingenuis; sed non inde sequitur ingenuas quocunque tempore et necessario stola indutas processisse. Ayrmann. maximo nisu Deliam in genuinum statum revocat. Versus Ovidii, quos citat Brouckhus. Art. Amat. I, vs. 31: « Este procul, vittæ tenues, insigne pudoris: Quæque tegis medios, instita longa, pedes; » de nuptis mulieribus bene intelliguntur: poeta enim declarat sese matrimoniis nullum damnum allaturum.

69. *Et mihi sint duræ leges.* J. H. Voss. adfirmat pluribus cod. inesse *sunt*, et in sequenti versu, *Possum;* eique videtur sic sensus melius procedere: queri enim Tibullum propter Deliæ nimiam zelotypiam. Sed nobis videtur sententia semper suo loco stetisse, neque H. Vossio medico indiguisse: ait enim Tibullus sese durissimis legibus lubenter subjecturum, dummodo Delia casta sit; pergitque declarando: *si quid peccasse puter, ducarque capillis.*

70. *Quin oculos appetat illa meos.* Propert. lib. IV, Eleg. VIII, vs. 65: « Imponitque notam collo, morsuque cruentat, Præcipueque oculos, qui meruere, ferit. »

71. *Puter.* Brouckh. e libris scriptis edidit, *ducter;* sed e Scaligeri conjectura in plerisque libris, teste Statio, legitur *puter, ducar, proripiar.* H. Vossius merito declarat verbo *duci* inesse notionem violentiæ. Juvenal. Sat. V, 125: « Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus. » Heynius, quamvis *ducter* receperit, *ducar* probat. Wund. ejusdem opinionis est.

72. *Immerito, pronas proripiarque vias.* Hic versus varium in modum corruptus est, ut nemo jam sciat quid legendum, quid rejiciendum sit. Conjecturas in tanta codicum confusione prorsus amoveo, ne locum omnino perturbem. Evanescat igitur illa Heinsii emendatio, quæ apud Brouckh. prævaluit, *pro-*

Non ego te pulsare velim; sed, venerit iste
  Si furor, optarim non habuisse manus.
Nec sævo sis casta metu; sed mente fideli
  Mutuus absenti te mihi servet amor.
At, quæ fida fuit nulli, post, victa senecta,
  Ducit inops tremula stamina torta manu,
Firmaque conductis adnectit licia telis,
  Tractaque de niveo vellere ducta, putat.

nas per rapiarque vias; evanescat etiam quod Scaliger confinxit, *properas.* In libris nonnullis invenimus *pronas;* et hoc optimo cuique editori placuit : trahitur enim per vias descendentes a collibus in planitiem, ut in urbe Roma viæ fere erant declives. H. Voss. lectionem e conjectura scripsit, *pronus proripiarque viæ*, sane non contemnendam, neque exemplis carentem.

73. *Non ego* etc. Aberat hoc distichon a duobus codicibus archiepiscopi Eboracensis, flagitio librariorum. Brouckh.—Vossii plerique codices *venerit ipse* exhibent. Tibullus nunc ad amicam conversa oratione loquitur.

75. *Nec sævo sis casta metu, sed...* Voss. pro *sed*, *sic* legi vult, codice quodam Anglico fultus, cui inest *si;* ait enim jam superiori in hexametro adesse *sed*. Mirum sane argumentum! Scaliger ediderat *ne*, repugnante contextus serie; Douza emendaverat *servo metu*, ingeniosa quidem immutatio, sed immutatio.

77. *At quæ fida fuit nulli.* Nonnulli codices exhibent *Nam quæ fida fuit nulli*, quod Brouckhusio juncturæ causa magis placet. Muretus arbitratus est deesse aliquot versus, quibus castarum mulierum præmia exposita erant. Neque tamen aliquid excidit, judicibus Scaligero, Heynio, Huschkio, etc. Bertin hæc ita expressit :

Songes-y bien ; la coupable beauté
Que nul amant n'a pu trouver constante,
Dans son automne expiant sa fierté,
Seule en un coin, plaintive et gémissante,
A la lueur d'une lampe mourante,
Conduit l'aiguille, qu, d'une main tremblante,
Tourne un fuseau de ses pleurs humecté.
En la voyant, la maligne jeunesse
  Triomphe, et rit de sa douleur.
  L'Amour, armé de fouets vengeurs,
De désirs impuissans tourmente sa vieillesse.
Elle implore Vénus ; mais la fière déesse
Détourne ses regards, et lui répond sans cesse
  Qu'elle a mérité son malheur.

78. *Ducit inops* etc. Poeta pulchre hic per partes eundo, operam vetulæ textoriam ob oculos ponit. In codic. Hamb. *stamina longa* legitur.

79. *Firmaque... licia.* Brouckh. merito ab Heynio inconstantiæ in interpretatione hujus versus reprehenditur. Nam qui Scaligerum confutarat dicentem : « *Telæ*, numero plurali, sunt instrumenta textoria; » addideratque « *telæ* sunt ipsum jugum super quo stamen extenditur; » mox hujus explicationis immemor, ait : « Sunt igitur *conductæ telæ* opera aniculæ diurna, exiguo nummulo conducta. » Sententiarum earum ultimam amplector; nec enim jugo adnectuntur licia.

80. *Ducta putat.* Pro *ducta*, qui-

Hanc animo gaudente vident, juvenumque catervæ
  Commemorant, merito tot mala ferre senem.
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
  Spectat, et, infidis quam sit acerba, monet.
Hæc aliis maledicta cadant : nos, Delia, amoris
  Exemplum cana stemus uterque coma.

dam libri exhibent *dente. fila. texta;* et, pro *putat*, *parat*, *dente parat*, *dente putat*, *fila parat*. Mirabeau vertit, *de sa lèvre desséchée*. Alii omnes locum sic intellexere, ut non de dente aniculæ, sed de ferreo quodam sermo sit, cujus ope lanæ manipuli a sordibus purgantur et carminantur, κείρονται. Voss. tribus argumentis usus est, quibus *dente* pro *ducta* inveheret, quorum duo ne relatu quidem digna sunt, tertium negat *putare*, simpliciter positum, idem esse quod *carminare*. Sed Scaliger Vossium nobis confutabit, quippe qui dixerit : *putare* est prisca lingua *purgare*, ut nemini paulo humaniori ignotum est *putare lanam* ; Græci dicunt κροκοδύζειν. Credo Huschkium solum hunc versum bene interpunxisse : « Tractaque de niveo vellere ducta, putat. » Sic apud Græcos : ἐρίου σπάσμα καὶ μήρυμα.

82. *Tot mala ferre senem.* Loco *Tot mala*, cod. Hamb. exhibet *Talia*. Quum quidam negarent, posse vocem *senex* de feminis *usurpari*, Brouckh. demonstrationem perfecit, qua luce clarius absolvit, hanc vocem pro adjectivo sumi. Inter immensam molem locorum ab illo laudatorum, duo tantum eligemus. Cicero, Orat. pro P. Sextio, c. 91, ait : « Valet apud nos clarorum hominum, et senex de republica meritorum memoria, etiam mortuorum. » Auctor Ciris ait, vers. 40 : « Æternum sophiæ conjunctum carmine nomen, Nostra tuum senibus loqueretur pagina sæclis. »

83. *Hanc Venus* etc. Similiter Virgilius, Georg. lib. I, vs. 95 : « Neque illum Flava Ceres alto nequidquam spectat Olympo. » Hinc forte Ovid. Art. Am. lib. III, vers. 451 : « Has Venus e templis multo radiantibus auro Lenta vides lites. »

84. *Infidis quam* etc. Pro *infidis*, nonnulli libri habent *infelix quod sit*; edit. Basil. 1569, in margine, habet *infelix cur sit*. Invenitur nonnunquam *canit*, loco *monet*. Muretus est, qui ita correxit, ut τὸ *quam*, loco τοῦ *quod*, in textum reciperetur. Deinde quum in Scaligerano iterum mutatum esset in *quod*, Brouckhusius e veteribus melioribusque τὸ *quam* revocavit.

85. *Cadant.* Verbum *cadere* habet notionem eventus, et quidem in utramque partem. Brouckh. hanc significationem exemplis illustrat.

86. *Stemus.* Codex Paris. ed. 1472, librique multi exhibent *simus* ; sed Brouckh. e bonis aliquot libris edidit *stemus*. Proponitur nempe aliis exemplum, seu monumentum, quod visitari possit. Similiter Propertius, lib. III, Eleg. VIII, vs. 18 : « Inque meum semper stent tua regna caput. » Inest quoque verbo *standi* diuturnitatis sensus.

ELEGIA VII.

HUNC cecinere diem Parcæ fatalia nentes
  Stamina, non ulli dissoluenda Deo:
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
  Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere; novos pubes Romana triumphos
  Vidit, et evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
  Portabat niveis currus eburnus equis.

1. *Hunc cecinere diem*.. Ovidius iisdem fere verbis utitur Trist. lib. V, El. III, vs. 25, ubi Bacchum adloquitur: « Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcæ Stamina bis genito, bis cecinere tibi; » Met. lib. VIII, vs. 453: « Staminaque impresso fatalia pollice nentes. » Natalem enim canunt Parcæ, ut apud Catullum in Epithalamio Thetidis de Achille nascituro. H. Voss. reposuit *Hac die*, ne tertio versu de Messalæ natali iterum sermo redintegraretur; alias enim diem, non Messalam, Aquitanas gentes *fundere*; nullo modo enim fieri posse ut Natalis pro ipso homine nato dicatur; neque Messalam, tum quum nasceretur, hostes profligasse, sed quum jam adultus fuisset.... Acuta sane annotatio!

3. *Hunc fore*. Heynium hic locus offendit. Ille ait: « probabile fit, *hoc fore* scriptum fuisse. » Qua in conjectura eamdem quam H. Vossius profitetur insulsitatem. Librarii quidam glossemati glossema addidere, nunc *spargere*, nunc *frangere* scribentes.

4. *Atax*. Scaliger emendavit *Atur*. et sic reposuerunt Heyn. et Brouck.; sed in libris omnibus adest *Atax*. Nobilitavit hunc fluvium P. Terentius Varro Atacinus.

5. *Evenere*. Scilicet quæ Parcæ cecinerant Messalæ natali. *Pubes* multis in locis pro *exercitu* dicitur.

6. *Evinctos*. Hic aberrationes librariorum crebræ sunt, ut *evictos*. *invictos*, *cunctos*, *invinctos*.

7. *Lauros*. Emendatum *laurus* in Guelf. 2, quod frequentant alii poetæ. Sed *lauros* præfert R. Stephan. tanquam multo sonantius.

8. *Portabat niveis*. Scaliger malebat *Portabit*; nondum enim triumphasse Messalam, sed Parcas nentes fata triumphum ejus vitæ intexuisse. Sane verborum *Evenere* et *Vidit* immemor erat Scaliger. In cod. Paris. legitur *nitidis* pro *niveis* quod Brouckh. e libris revocavit. Triumphantium equos albos fuisse constat. Epitheton contra *nitidi* nihil pertinet ad colorem pili; solum ad corporis cultum, et hic procul dubio de colore agitur, non de cultu.

Non sine me est tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi cærula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis?
Quantus et, aerio contingens vertice nubes,

9. *Non sine me.* Hoc bello Aquitanico militaribus donis ornatum fuisse nostrum poetam, mox in ejus Vita docebimus.—*Tarbella Pyrene*, cod. Paris. habet, *honor, tua bella Pyrene*; ed. ann. 1472, *honos, tua bella Pyrene. Tarbella*, egregia est Scaligeri emendatio, quæ firmatur nunc libris scriptis Monac. et Vossii lib. 1, 3. *Tarbella*, seu *Tarbellica*, ab Aquitaniæ populo.

10. *Oceani litora Santonici.* Santones, gens Aquitanica, inter Ligerim et Garumnam. Etiamnum pristini nominis aliquid retinet *Saintonge*.

11. *Testis Arar.* Quidam libri *Atax*, qui vel nunc ferri poterat.

12. *Carnuti et flavi.* In omnibus libris *flavi* est, etiam in Scaligeranis: nihilominus Scaliger immutare conatur. *Carnuti et fluvii*; sed *flavi* multis in locis dicuntur Galli, a colore capillorum.

13. *An te, Cydne, canam* etc. Ita Brouckh. ex uno Colot. et Excerp. Pocchi, uti Nic. Heinsius quoque emendaverat. Vulgo *At*.

14. *Cæruleus placidis.* Editiones veteres, et libri fere omnes habent *Cæruleus placidis*, et Brouckh. exclamat: « Quem enim non offendant *tacitæ* Cydni *undæ*, et *placidæ aquæ*? non potuit ita scribere poeta, ut facillimæ, ita candidissimæ elocutionis. Deinde cæruleum esse Cydnum nemo veterum prodidit: quinimo ab albo aquarum colore nomen duxisse tradiderunt. » Hæc præfatus, Brouckhusius Statii emendationem *Cæruleis placidus* amplectitur, et *cæruleas aquas* sinum esse maris Issici declarat. Quin confirmari videtur hæc emendatio tribus Vossianis libris. Sed H. Voss. assentiente fere Huschkio, corrigit *placidæ per vada serpis aquæ*, idque ex ingenio: nam designari hic lacum, ait, de quo Strabo lib. XIV egit. Huschk. denique ipse suam ingenii impensam huic versui obtrusit: « Cæruleæ placidus per vada serpis aquæ. » Et in posterum fortasse alius aliam lectionem excogitabit, pariterque supervacaneam. Nos autem restituendam censuimus veterem scripturam, quæ nulla emendatione indiget.

15. *Aerio... vertice.* Brouckh. legit *æthereo*; Heynius *ætherio*. Vossius quoque ait, hoc turrium et arborum esse nubes contingere; montibus vero non laudi esse, nisi æthera et fere sidera cacumine superent. At, per Deum precor, nobis minus eveniat, ut cum H. Vossio tales conscendamus montes. Idem, quia suo voluit epitheto *ætherio* nubes superare, *conscendens* scripsit, loco τοῦ *contingens*. Nos e quibusdam codicibus *aerio* revocavimus, quod montium apud poetas proprium epitheton est, et æque lectioni *contingens* conve-

Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus æquor
Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis, et, arentes quum findit Sirius agros,
Fertilis æstiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possum te dicere causa,

nit, quæ omnibus inest, excepto Palatino, ubi *consurgens* legitur.

16. *Taurus alat Cilicas.* Cyllenius et Scaliger legunt *Taurus arat Cilicas*, et aiunt hypallagen esse, pro eo quod sit, Cilices arant Taurum. Statius vero intelligit rugas frigore Cilicibus illatas. Brouckh. sumit pro *secat, dividit, dirimit.* Turnebus legebat, *alat*, quod etiam in libris invenit Muretus, et est certo hæc genuina lectio; quamvis Heynius eam ipso Tauro frigidiorem esse dicat, et Huschkius asserat Tibullum scripsisse: « Quantus et aerio contingat vertice nubes Frigidus intonsos Taurus alens Cilicas. » Licet Huschkius multum sudet, ut nobis hoc persuasum faciat, et Batavôs fere eruditos, Brouckhusiosque omnes citando superet; nihilominus ab ipsis locis, quibus confisus est, refellitur. Non operæ pretium est omnia referre; et doctissimus quisque, quum de lana caprina disputat, derelinquendus est.

18. *Palæstino... Syro.* Optimi libri habent *Syro*. Scaliger e mendoso quodam legebat *suo*, quod Syrum Palæstinum non dici putabat. Sed Syria etiam Palæstinam amplectebatur. Syros a vescendis columbis abstinuisse, apud Lucianum de Dea Syria videre poteris.

19. *Prospectet turribus æquor.* Commentatores semper aliquid habent, in quo a communi verborum sensu recedant. Achilles Statius hic capit turres pro navium propugnaculis; Brouck. domos esse vult, e quarum tectis eminerent turres, ut jucundus esset prospectus in subjectum pelagus.

20. *Prima... docta Tyros.* Tyriis tribuit, quod omnino de Phœnicibus prædicari solet. Post Bochartum videndi imprimis MIGNOT, *Mémoires de l'Ac. des Inscr.* t. 34; et BRYANT, *Analysis of ancient Mythology.*

21. *Quum findit.* Ed. anni 1472 *confindit Sirius*: in duobus Statianis *scindit.* Virgil. Georg. lib. II, vers. 353: « Hoc, ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva. » Nili auctus fit inde ab Aprili: in locis tamen Ægypti circa Memphin, non nisi inde a Junio sub observationem hominum venit, usque ad Septembrem exeuntem; adeoque Caniculæ ortus in illud tempus incidit, Sole in Leonem transeunte. HEYN.

23. *Nile pater.* Est quidem *patris* nomen fluviis omnibus commune; sed Nilo præter omnes datur honore quodam peculiari, ob singularem aquarum ejus beneficentiam. Papin. Theb. IV, 708: « Et patris undosi sonitus exspectat hiulca Ægyptos. » BROUCKH.—H. Voss. et Bach. *possim* e quibusdam in textum invexerunt.

Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter, nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,

24. *Quibus in terris occuluisse caput.* Notum est Nili fontes olim ignoratos fuisse. Nilus olim ab Ægyptiis, ut fluviorum fluvius, perinde ac doctissimus Achelous a Græcis colebatur. Clar. Freder. Creutzer, cui hanc observationem acceptam refero, Ægyptiacos memorat quosdam nummos, in quibus Nilus sub figura Cornu copiæ pueros quosdam effundit, et juxta illos Sphinx conspicitur. Alexandri Severi sunt nummi.

25. *Nullos tellus tua postulat imbres.* Pausanias refert olim Athenis signum fuisse Telluris Jovi Pluvio supplicantis : Ἔστι δὲ καὶ Γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὗσαι οἱ τὸν Δία· εἴτε αὐτοῖς ὄμβρου δεῆσαν Ἀθηναίοις, εἴτε καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι συμβὰς αὐχμός. Græci præterea Pluvium Jovem Ὑέτιον vocabant, et agnoscitur nunc ejus signum in Columna Antoniana; quod quidem non aliter intelliges, quam si te ad Illustrissimi viri *Symbolicam* referas : ibi enim legere poteris, Jovem Pluvium, qui nives aqua resolveret, anni et veris simul initium fecisse, quo tempore pariter exercitus educebant veteres. Eidem Pluvio Jovi conveniunt epitheta καταιβάτης et ὕετιος : hoc præcipue apud Cretes consecutus est. Natus erat, ut perhibent, in monte Tmolo. Ipsum sacrificium Aquælicium dicebatur, de quo adi Festum.

27. *Atque suum pubes miratur Osirim. Osirin* primus induxisse videtur Muretus; edit. veteres *Osirim* exhibent. Virgilius *Irim* dixit, et *Parim*, et *Tigrim*; Juvenalis *Alcestim*. — Manifesto hic de Osiri, ut Nili numine sermo est. Ei enim bis in annum moriendum erat, et Isidi pariter bis lugendum, ob defunctum maritum. Excursum nostrum ad calcem voluminis vide : ibi de Osiride fusius agimus, observationibus doctorum usi, qui expeditionem Gallicam secuti, Ægyptum maxime illustraverunt.

28. *Memphiten plangere docta bovem. Apim* intelligit. Hic, vulgari opinione, e vacca solis radio fœcundata natus, nigro colore insignis esse debebat. Quærebatur cum luctu et planctu : sed, simul ac inventus erat, solemni pompa eum in ædificium versus Orientem apertum deducebant. Tunc quatuor post mensibus Heliopolim ire pergebat, ubi quadraginta dies in sacerdotum templo alebatur. Denique, his omnibus peractis, colebatur thure et sacrificiis in urbe Memphi. Apis, quum vita defungeretur, luctu Ægyptum integram consternabat, donec novus inveniretur Apis : sacerdotes vero mortuum clam in Serapidos templo sepeliebant. Apis nihil aliud erat nisi imago Osiridis, quem ut Nilum, ut Solem, ut fertilitatis principium in memoriam reducebat.

29. *Primus aratra*, etc. Memorabilis locus de Osiride, quem cum Baccho confusum esse a Græcis, jam inde ab Herodoto satis constat....

Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem;
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus:
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolæ magno confecta labore

Quum Tibulli amica sacris Isiacis initiata esset, suspicari licet in ipsis initiis Isiacis, cujusmodi ea Romæ erant, hoc idem traditum fuisse. Heyn. Mira sane conjectura!

30. *Sollicitavit humum.* Paullus ex Festo: *sollicitare est solo citare*, id est, *ex suo loco movere*. Vulpius existimabat *teneram* dici terram, propter *recentem orbem*, qui nondum aratus esset. Burmannus *teneram* rejicit, ait enim tertio abhinc versu iterum recurrere. Idem conjectat *solidam*, vel *sterilem*, qui utinam ipse sterilis fuisset emendationum vel potius depravationum suarum!

32. *Non notis ... ab arboribus...* Insitionem crediderim hoc loco significari.

33. *Teneram... vitem.* Voss. *tenuem* legendum esse putat, ut apud Ovid. de Art. Am. *tenues cytisi*, et Met. X, vs. 97, *tenues myricæ*.

34. *Dura ...falce. Dura* dicitur *falx* propter ferri rigorem; Heynius *cultrum hortensem* intelligit. H. Voss. *duram* interpretatur, quasi *severam* scripsisset poeta, vel *dura imperia exercentem*. Satis ridicule!

35. *Jucundos primum... sapores.* Regius codex *sopores*. Bern. *jucundum primum saporem.*

36. *Incultis... pedibus.* Cyllenius explicat *stercore et pædore oblitis*. Heynius exclamat: *nimis inculte!*.. *incultis* idem est quod *squalidis* a musti aspersione, ut lib. II. El. v, vers. 85; *Oblitus et musto feriet pede rusticus uvam*. Propert. lib. III, El. xvii, 18; *Et nova pressantes inquinet uva pedes*. Ovid. Met. lib. ii, vers. 29; *Autumnus, calcatis uvis sordidus*. H. Voss. interpretationes omnes ut stultissimas rejicit, aitque *incultos pedes* esse rudes, indoctos; quippe qui tunc primum et nunquam ante uvas pressissent.

37. *Voces inflectere cantu.* Proprie loquitur; flectitur enim vox in cantu, quum alios edit sonos, et sensim mutat, atque aliter modulatur. Hoc in tibicinio *animam vertere* vocavit Plautus: « Perii! animam nequeo vertere, nimis nihili tibicen siem. » Brouckh.

38. *Ad certos... modos. Modi* hic sunt fistulæ, vel tibiæ modulationes variæ, ad quas flectuntur saltantium artus: vide Brouckhusium.

39. *Bacchus.* Nolim putare Bacchum nunc Osiridis personæ substitui, moxque iterum ad Osiridem redire: sed Bacchus nunc est vinum. Heyn.

Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus, Osiri;
Sed chorus, et cantus, et levis aptus amor;
Sed varii flores, et frons redimita corymbis;
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes;
Et Tyriæ vestes, et dulcis tibia cantu,

40. *Tristitiæ*... Statius ait fuisse in vetusto libro *lætitia*, quod multis fraudi fuit, magna conspiratione *lætitiæ* refingentibus: sed est hic genitivus Græco more positus. Cicero pariter dixit *legum solvere;* Horatius *operum solvi:* lib. III, Od. 17; « cras genium mero Curabis, et porco bimestri Cum famulis operum solutis. » Livius, lib. XXI, cap. 62; « Levarunt animum religionis. » Huschkius ait : « omnis difficultas latet in verbo *dedit*, quod duplici sensu sumi potest, vel activo, vel passivo. Si activo sensu sumpseris, *agricolæ* erit casus tertius: *Bacchus agricolæ concessit ut*, etc. Si passivo sensu ceperis verbum *dedit*, *agricolæ* erit casus secundus: *Bacchus effecit* ut pectora *agricolæ ...tristitia dissolverentur. Tristitia* constringit; quapropter dicitur aliquis ab ea *liberari* cœptus, *tristitia dissolvi.* »

41. *Bacchus.* Nolim cum Heynio intelligere *vinum* sub appellatione Bacchi, vid. vs. 39, sed Deum ipsum et vinum simul, quæ significationes sæpenumero permiscentur. — *Mortalibus affert.* Cod. Paris. *offert.*

42. *Dura compede pulsa.* Brouckh. legi vult *dura cuspide inulta;* lectionem vero nostram, quæ fuerat plerarumque editionum ante illum, bene reduxit Vulpius. Fatendum tamen libris fere omnibus inesse *cuspide*, quod videtur ex compendiosa scriptura ortum esse (cuzpide). Brouckhusius, quum in tribus suis *multa* legisset, *inulta* finxit; sed *pulsa* pluribus inest. *Compede* in codice Askeu. et Monac. adest. Columel. lib. I, VIII, 16, dixit *mancipia vincta compedibus*. Salmasius docuit *cuspum* vel *cuspitem* lignum esse, annuli instar, quo pedes servorum vel damnatorum vinciebantur.

43. *Non tibi sunt tristes curæ.* Hic, mea opinione, poeta postquam Bacchum laudavit, Osirim de integro alloquitur, aitque eum pariter ac Bacchum *tristes curas et luctus* arcere. Brouckh. ex uno Sfortii Codice *vultus* elegit, simulque omnes scriptores convocat, ut loca afferant in quibus voce *vultus* usi sunt. At ille, dum exercitum scriptorum lustrat, nos ad cætera progrediamur.

44. *Sed chorus* etc. Corvinus habet *torus est aptus*, quod alias, *te decet*, tibi convenit. HEYN.

46. *Fusa sed ad teneros* etc. Fusa suaviter, ut eodem modo *fluere* ad talos vestis dicitur. Virgil. *talos vestis defluxit ad imos*. Luteus flavus color erat, festi ornatus et lætitiæ index. vid. Catul. carm. LX : *Niveo gerens luteum pede soccum*. Senec. Œdip. 421, *luteam vestem retinente zona* etc.

47. *Et dulcis tibia cantu.* Frute-

Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, et centum ludis Geniumque choreis
Concelebra, et multo tempora funde mero.
Illius e nitido stillent unguenta capillo,
Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne : tibi dum turis honores,

rius, Douza pater, et Guyetus corrigebant *dulci tibia cantu*, quos secutus est Bach. et pariter Voss. Aiunt enim ; ne vere quidem dicitur *dulcis tibia*, scil. Phrygia, cujus sonum satis asperum et raucum fuisse constat. Non est operæ pretium omnes doctorum nugas confutare.

48. *Et levis... cista*. Brouckh. *brevis* mallet. Sed *levis* cista magis convenit, ut viminea. Virgines eam portabant, et has olim κανηφόρους vocabant. *Conscia* sæpe poetis sunt ea, quæ aliquid in se continent reconditum.

49. *Et centum ludis*. In omnibus fere est *ludos* ; in Guelf. 1. *ludes*. Statius est, qui *ludis* correxit, quod ab aliis editoribus receptum est. Guyet. *et sanctum ludo* conjecit. H. Voss. eum secutus est : ait enim *ludum* singulari numero recte dici, præsertim quum *centum* exaggeratum sensum præbeat. Ratiocinetur ad calculos, si lubet, ludos, quos natali Messalæ celebrari sinet. Heynius proponit : *Huc ades, et Genium ludo, Geniumque choreis*. Melior sane conjectura, sed conjectura tamen. Huschk. ait, librarios duarum vocum simillimarum *centumque Geniumque* sedes permutasse, et opinatur Tibullum scripsisse, *Huc ades, et Genium ludis centumque choreis*. Nos vero Statii conjecturam *ludis* servamus, non ut conjecturam, sed ut quatuor codic. firmatam. *Centum* recte positum est ; nihil enim superlati, nihil inane huic voci inest. Est ea divinarum rerum, imprimis sacrificiorum, peculiaris, ut apud Virg. lib. III, Georg. vers 18 ; apud Catullum LXIII, vs. 389, et apud Pindarum, πάντα θύειν ἑκατόν.

50. *Tempora funde*. Vir doctus putat *tempora* Genii Tibullum respexisse ; sed hoc a communi sensu prorsus alienum : de Osiride enim sermo est, qui vocatur a poeta, ut festo natali intersit. *Funde*, idem quod *perfunde*, sc. venis vino incalescentibus per eas diffuso.

51. *Illius e nitido*. Hic primum, ut opinor, fit transitio ad Genium ope vocis *illius*. Brouckh. amomum hic intelligit, et veterum loca inducit multa. Codicibus quibusdam inest lectio *et*.

52. *Et capite*. Heynius malit *E capite et collo* ; nam pendebant e collo, unde *fusæ per colla coronæ* : parum latina esset locutio : *e capite serta gerere*.

53. *Sic venias*. Hæc ad Genium pertinent, si *veniat* admittas. Crediderim tamen potius poetam, vel Messalam, vel Osirim alloqui. Genium enim non nisi tertia persona nominavit, et duobus tantum versibus. Sed obest τὸ *hodierne*, quod rem ad Genium illius diei præsidem refert. Hæc me impulerunt ut codicum Guelferb. 1 et 4 scripturam perpenderem ; *Sic veniat hodierne tibi : dum* : ita *veniat* orationem de Genio tertia persona con-

Libaque Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quæ facta parentis
Augeat, et circa stet veneranda senem.
Nec taceat monumenta viæ, quem Tuscula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur; hic apta jungitur arte silex.

tinuat; *hodierne* autem Messalam indicat, qui celebrandus hodie, et ad quem pariter pertinent *venias*, et *tibi*. *Dum* novam phrasis partem inchoat, qua se poeta turis honores laturum esse promittit, etc.

54. *Libaque*. De Heinsii emendatione tacendum censéo; nimia enim audacia in textum quasi in hostem sævit. Brouckh. malit *Libaque* quam *Liba et*, in quo rythmus ei duriusculus videtur. Et inest revera libris quibusdam *Libaque*; qua in re illum secutus sum, sed non eadem de causa; verum *Liba et* juncturam efficit minus aptam, præsertim quum pro *dem* restituerim *dum*.

55. *Factà*. Codici Hamburgensi inest *fata*.

56. *Augeat*. Exhibet Monacensis cod. *Lugeat*, omnino falsum.— *Veneranda senem*. Hæc est librorum editionumque lectio, perpaucis exceptis in quibus legitur *venerata*. Adest, non inficior, in quinta Elegia *et tantum venerata virum*; sed inter hunc et illum locum quantum discriminis intersit, facile percipies; illic enim Messala Deliæ venerationi offertur, hic autem de prole sermo est, quæ si veneranda ipsa, illius procul dubio laudes augebit. Douza, Præcid. c. 18, *veneranda* pro *venerans* accipit; quod cave ne facias.

57. *Nec taceat*. Scaliger e suo libro *taceant* intulit; et ita nonnullos habere testis est Statius. Editum fuerat inde ab Aldinis *Non taceam*. Sed *taceat* fere in omnibus legitur; et est sane multo melius; non enim ad *monumenta* referendum.—*Quem* bis a Brouckhusio repositum ex vetustis editionibus priore loco haud dubie recte, nescio an altero, in quo *qua* ferri poterat. — Ubique legitur vulgo *quæ Tuscula tellus Candidaque*; sed error ortus ex compendio litterarum; scriptum enim erat *q̄*. et *q*. Heyn. Quod ad me attinet, opinor legi posse: « Nec taceant monumenta viæ, quæ Tuscula tellus, Candidaque; » sensus enim absolutus est, neque ulla parte deficit. Quin, etiamsi *taceat* singulari numero recipias, tamen *quæ* servari poterit, dummodo *taceat* ad prolem referas. Elige. Suetonius, in Augusti Vita, c. 30: « Quo autem facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit. » Videtur Messala Latinæ viæ partem muniisse.

59. *Hic glarea dura*. Livius, lib. XLI, c. 27: « Censores vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substernendas marginandasque primi omnium locaverunt. »

60. *Sternitur*. Ut notat Vulpius, proprium ac peculiare verbum est. Hinc Lucretius ait *strata viarum*

Te canet agricola, e magna quum venerit urbe
Serus, inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper, candidiorque veni.

Saxea. Hinc etiam recentiorum Italorum lingua via *strada* dicitur, et Germanorum *strate*, *strasse*. J. H. Voss.

61. *Te canet.* Editiones veteres *canit;* sed Brouckhusius revocavit ex Vaticano *canet.* Multo melius: « Hæc » enim scribebantur, viis istis non» dum ad plenum absolutis, et sic » postulat structura verborum *venerit* ac *rettulerit.* » — Præpositio a plerisque libris abest; nec ea tamen commode hoc loco omitti potuit, nec omisit Virgilius, Eclog. VIII, vs. 109: « Parcite, ab urbe venit, jam parcite carmina, Daphnis. » Adde quod lectio ista metrum jugulat. Nunquam nec Tibullus nec Propertius usi sunt licentia, qua vel comici raro utuntur, producendi brevem syllabam vocali terminatam, quamvis in cæsura sit. Non huc pertinet Tibulli locus a Vossio laudatus, l. I, El. X, vs. 13: « Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis; » desinit enim correpta vocalis in consonantem, quæ partem terminat orationis. Nec illud huc pertinet Virg. lib. IX, Æn. vs. 610, *Terga fatigamus hasta*: Nam littera *h* sæpe consonantis vice fungitur. Vide Tibull. II, Eleg. V, 67: « Quidquid Amalthea, quidquid Mermessia dixit; » nam in his Græcorum nominibus solemne est ultimam producere; vid. Propert. lib. II, El. XIV, vs. 5; Ovid. de Art. Am. lib. I, vs. 511. HUSCHK.

64. *Candidior semper.* Codici Monacen. inest *Splendidior.* — Sfort. liber *redi*, quod glossam olet.

ELEGIA VIII.

NON ego celari possim, quid nutus amantis,
Quidve ferant miti lenia verba sono.

1. *Non ego celari possim.* Libri multi *celare possum.* Edit. Aldin. 1515, *Non ego celarim, possit;* sed hæc vero et delicatiori Tibulli sensui repugnant. Passive dicitur *celor.* Cicero, Agraria II, c. 5: « Quum familiariter me in eorum sermonem insinuarem ac darem, celabar, excludebar. » Et pro Cluentio, c. 66: « Non est profecto de illo veneno celata mater. » Terent. Hecyr. Act. IV, sc. IV, vs. 23: « Nosne hoc celatos tam diu. » Voss. cum Mureto et Statio legit *possum;* minus eleganter. ANDRÉ CHÉNIER hoc distichon fere vertit in El. V:

Ah! mon œil est savant, et depuis plus d'un jour;
Et ce n'est pas à moi qu'on peut cacher l'amour.

— *Nutus amantis.* Pauci *amoris* ha-

Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum;
  Præcinit eventus nec mihi cantus avis:
Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
  Perdocuit multis non sine verberibus.
Desine dissimulare; Deus crudelius urit,
  Quos videt invitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos?
  Sæpeque mutatas disposuisse comas?
Quid fuco splendente genas ornasse? quid ungues

bent. Brouckhus. ait: « Quæ amans amanti in aurem dicit. » Inepta est hæc interpretatio. Mitis sonus non idem est, quam submissa vox; sed est sonus amore dulcis.

3. *Nec mihi sunt sortes.* Idem ac si poeta dixisset: Quamvis mihi sortes desint, tamen nutus et lenia verba intelligo, quæ sine sortibus facile deprehenduntur. — Tria ponit divinandi genera: Sortes, sive oracula, Extispicinam, Augurium. Propertius addit et umbrarum evocationem. Brouck.

4. *Præcinit eventus.* Gebhardus ex uno Codice, qui *Promit et eventus* habebat, edidit *Promit et eventus non mihi cantus avis. Præcinere* proprium de hujusmodi rebus est verbum, quod satis illustravit Brouckh.

5. *Magico religatum brachia nodo.* Defixionem hic somniat Salmasius, ac sortilegium, quo quis virile officium facere prohibeatur. Subodoratus est Brouckh. huic loco sublatere poeticam imaginem, et illico Ceston Veneris memorat, ejusque magicam vim, quam exemplorum mole confirmat. Sed illum omnia antiquitatis loca pervagantem nos non sequemur; neque enim Brouckhusius, neque Salmasius impedire poterunt, quo minus statim a primo adspectu sensum intelligamus luce clariorem. Poeta non sortibus utitur, ut nutus amantium, et lenia verba capiat: nam sua ipsius experientia edoctus est; quippe qui ipse amaverit, Veneri deditus. *Magico religatum brachia nodo.* Hoc eloquendi genus mihi idem est, ac si quis Gallice dicat, *pieds et poings liés.*

6. *Non sine verberibus.* Se amoris cruciatus perpessum esse profitetur, quum a Venere edoceretur, *nutus amantis* quid sint.

7. *Desine dissimulare.* Marathum nunc alloquitur, cujus in Pholoen amorem suspicatus erat. — Cod. Corvin. loco *urit* habet *urget.*

9. *Molles... coluisse capillos.* Declarant hæc puerum mollem et delicatum; velut illa ætate, qua luxus Asiatici omnis corruptela in Italiam transierat, multi Romam confluebant. Heyn.

10. *Sæpeque mutatas* Callimachus; Πολλάκι τὰν αὐτὰν δὶς μετίθηκε κόμαν.

11. *Quid fuco splendente?* Scaliger et Brouckh. scribunt, *Quid succo splendente genas onerasse?* Heynius eos secutus interpretatur « est incrustatio faciei σμῆγμα, forte ex madido pane, cujus illitu genis splendorem conciliabant. » Muretus primus

Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra jam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligit arta pedes.
Ipsa placet, quamvis inculto venerit ore,
Nec nitidum tarda comserit arte caput.
Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratæ detinet anguis iter.

nostram lectionem restituit, qua in re multos habet consentientes: sed nulli veterum memoratur medicamen illud, ut ad seriora tempora procul dubio referendum sit. *Succo* perpaucis libris inest, et sibi habeat Scaliger suum *onerasse*, quod vetulæ, non puero convenit.

12. *Subsecuisse*. Pauci *supposuisse*. Ovid. Fast. lib. VI, vs. 230: « Non ungues ferro subsecuisse licet. » Idem, Art. Am. lib. I, vers. 518: « Sit coma, sit docta barba resecta manu. »

13. *Frustra jam vestes*. Vestes sunt indumenta interiora; amictus quidquid vestibus superinjicitur. Brou.

14. *Colligit*. In quibusdam *colligat*. Legitur etiam *alligat*. *Colligere* est contrahere, coercere, in angustum cogere. Senec. Hippolyt. v. 322; « Luteo plantas cohibente socco. » Dresd. *Comprensos... sinus;* sed pueris mollibus laxi effluere solebant sinus.

15. *Ipsa placet*. Pluribus inest Codicibus lectio *Illa placet;* et hæc mihi arridet: non enim huc usque poeta quidpiam dixit, quod non ad Marathum pertineret. Ita subintelligenda erit transitio ad puellam, si lectionem *Ipsa* eligas; sin minus, pertinebit τὸ *Illa* ad eandem de qua initio locutus erat, quum *nutus* et *lenia verba* memoraret poeta.

16. *Nitidum*. Santen. in margine, adscripsit: Nescio an *nimium* præstaret. Mira conjectura!

17. *Pollentibus herbis*. Brouckh. aperte demonstrat, herbas maleficas, perpetuo epitheto *pollentes* vel *potentes* dici. Brouckhusii emendationem Codices quidam firmant. Cod. Paris. habet *pellentibus*.

18. *Devovit* etc. Herbis et carminibus mentem tuam excantavit, et adegit ut amares. Sane in absentes valere has detestabiles amorum illecebras statuebant, Virg. Æneid. lib. IV, vs. 488. Horatius, Epod. v, vers. 73. Juven. Sat. vi, vers. 610. Brouckh.

19. *Fruges traducit*. In nonnullis adest *deducit*, in aliis *segetes* et *messes*. Virg. Ecl. viii, vs. 99: « Atque satas alio vidi traducere messes. » *Traducere* idem quod *excantare*. *pellicere*. Nemesianus, Eclog. iv, vs. 71: « Cantavit, quod luna timet, quo rumpitur anguis, Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos. »

20. *Et iratæ detinet anguis iter*. Lipsius conjiciebat, amplectente Douza: *Cantus et irati detinet amnis iter:* sed non est conjecturæ hic locus; siquidem ipsam Albii manum

Cantus et e curru Lunam deducere tentat;
Et faceret, si non æra repulsa sonent.
Quid queror, heu! misero carmen nocuisse? quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis.
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento;

habemus, teste Sosipatro Charisio, lib. I, inst. Gram. pag. 70: « Anguis quum sit masculini generis, dixerunt tamen et fœminini, ut Tibullus, *iratæ detinet anguis iter;* et Ovidius, *Mediæ Marsis finduntur cantibus angues:* et Varro Atacinus, *Cujus ut adspexit torta caput angue revinctum.* » Brouckh.

21. *Cantus et e curru.* Regius *a curru;* unus Palat. *e cursu;* Romana editio, et quæ hinc fluxere: *e cælo.* Virgil. Ecl. viii, vs. 69: « Carmina vel cælo possunt deducere lunam. »

22. *Et faceret, si non æra repulsa sonent.* Æra pulsabant, quorum tinnitu auxiliari credebant minui ac levari lunæ anxios labores. Satis diu regnavit hæc fatua superstitio: nam et Christianos magno clamore ac vociferatione succurrisse lunæ deficienti, cum indignatione ostendit S. Maximus, Episcopus Taurinensis. Brouckh. Nigritæ, quum Luna deficit, opinantur illam a bellua quadam devorari, canesque omnes simul flagris et fustibus cædunt, ut eorum ululatu ab incœptu deterreatur monstrum. Dresd. *Et faciet.* Heynius rectius putabat, *Et faciat*, ex sermonis ratione, quum sequatur *si sonent.* Huschius ait: Crediderim potius scripsisse Tibullum, *si non æra repulsa forent;* ut infra Eleg. ix, vers. 39: « Quid faceres, nisi et ipse fores in amore puellæ? » Sed supra Eleg. iv, vers. 63, similis fere locutio occurrit: « Carmina ni sint, non nituisset ebur; » ibi enim tempora verborum eadem discrepantia laborant.

26. *Sed femori conseruisse femur.* Omnes omnium libri consentiunt; sed Statius suspicabatur hic latere mendum, et legendum esse *femini conseruisse femur*, auctoritate Charisii; ait enim Charisius: « Hoc femur, hujus femoris; sed frequenter hujus feminis, huic femini dictum est, et pluraliter femina potius quam femora. Ideoque et Tibullus hoc ipsum erudite custodit, quum dicit, implicuitque femur femini. » Brouckusius existimat Charisium memoria lapsum esse, neque hoc hemistichium Tibulli fuisse. Sed hoc non credibile, multoque anteponenda videtur Heynii sententia, secundum quam illud ex deperdita aliqua vel mutila Tibulli Elegia esset. Ovid. Am. I, Eleg. iv, vs. 43: « Nec femori committe femur, nec crure cohære; Nec tenerum duro cum pede junge pedem. » Et lib. III, Eleg. vii, vs. 9: « Osculaque inseruit cupidæ luctantia linguæ, Lascivum femori supposuitque femur. »

27. *Nec tu difficilis.* Sese nunc ad Pholoen convertit. Hanc Heynius, ex protervarum puellarum numero fuisse putat, quas nos *coquettes* ap-

Persequitur pœnis tristia facta Venus.
Munera ne poscas : det munera canus amator,
Ut foveas molli frigida membra sinu.
Carior est auro juvenis, cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnæ despiciantur opes.
At Venus inveniet puero succumbere furtim,
Dum tumet, et teneros conserit usque sinus,

pellamus; juvenem enim pellexisse, et rursus dereliquisse.

28. *Persequitur pœnis.* In multis libris est *Prosequitur:* sed dicimus aliquem *prosequi* amore, benevolentia, laudibus, præmiis; pœnis vero *persequi*, ultum ire, vindicare. — *Tristia facta*, crudelia, superbiam et fastum erga amantem intellige.

29. *Munera ne poscas.* In quibusdam legitur *nec*, in aliis *ne*. Prius, ait Huschkius, Elegiarum scriptori parum convenit, singulis distichis singulas plerumque absolventi sententias. J. H. Voss. autem *nec* anteposuit, ut sensus seriei accommodatior. Non nostrum *tantas componere lites.*

30. *Ut foveas.* Vulgo *foveat;* illud ex uno Codice Archiepiscopi Eboracensis reposuit Brouckh. Accedunt H. Vossii tres et Vindob.

31. *Lævia.* Editio Romana cum aliis habet *mollia*, perinde ac apud Græcos μαλακὸν γένειον, ἁπαλὴ ὑπήνη: et placet Heynio, quia opponitur *aspera barba.* Tamen ipse fatetur convenire vulgatam verbo *fulgent.* Quidam *lenia* substituerunt. Confunduntur interdum *leves* et *lenes genæ.* Vide Quinct. XII, x, 8.

32. *Aspera barba.* Pro *aspera barba* quibusdam inest *hispida*, quod et Muretus suscepit. Horatius quoque, lib. IV, Od. x, vers. 5. *faciem hispidam* opponit colori *puniceæ rosæ.* Voss. qui hanc lectionem secutus est, verbum *amplexus* deformat in *amplexas*, eique activam tribuit significationem, puellas *amplectentes* subintelligens. — Sed nullum in libris depravationis vestigium adest: nempe *amplexus* non modo est ἀσπασμὸς, verum etiam ἄσπασμα, res quam *amplexamur.* De hoc genere dicendi, quo apud Græcos nihil est usitatius, vide Valkenar. ad Euripidis Phœn. vs. 1498.

35. *Inveniet succumbere.* Dictum est, ut apud Græcos, εὗρε τὸ μὴ ἀποθανεῖν, quod Luciani est, in Peregr. Ita Scaliger edidit primus, et hanc scripturam confirmant Vossii tres libri. Cod. Paris. et Ed. anni 1472, habent *invenit concumbere.* Catullus, c. CXI, vs. 3 : « Sed cuivis quamvis potius *succumbere* fas est. » Lucret. lib. IV, vers. 1191. « Et pecudes et equæ maribus subsidere possent. »

36. *Dum tumet.* Scaligero debetur, cujus conjectura languidum *timet* textu ejectum. Nunc Codices Askeu. Vindob. Gothan. et Hamb. *tumet* firmant. Virgilius, Georg. lib. II, vs. 324, *vere tument terræ.* Statius, Theb. lib. II, vs. 204: « Deiphilen,

Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula, et in collo figere dente notas.
Non lapis hanc gemmæque juvant, quæ frigore sola
Dormiat, et nulli sit cupienda viro.

tumida jam virginitate. » Santenius optat *tenet*, eodem sensu quo *amplectitur* : nec male. Cæterum Vossius et Bachius declarant *conserit usque* e *conseruisse* librariorum culpa degenerasse; neque aliud quidpiam esse nisi amantium pectora juncta. Heynius, quod ad sensum attinet, ejusdem omnino est sententiæ; sed textu abstinuit, et illico exempla adduxit, ubi pectora junguntur. Junguntur, non repugno; non inde sequetur *sinus conserere* idem esse. Cavendum ne, dum quid obsceni vitare volumus, in sensum incidamus parum latinum. Præterea duo adsunt vocabula, quæ Heynium, quamvis pudicitate insignem, refellunt: Prius *succumbere*, alterum *anhelanti*; ita enim nihil amatorio negotio deerit. Heynius aures præcludat, oculosque, si lubet, avertat. Alii quidam loco *usque* legi volunt *ipse*; absurdum esset sane, si hæc non *ipse* faceret : servemus igitur *usque*.

37. *Et dare.... anhelanti.* Nicol. Heinsius *uvida oscula* legebat; dicuntur et *uda* et *irrigua*. Unus Heinsii liber *anhelatim*. Brouckh. ait hanc voculam, si legitima esset, latinum sermonem uno adverbio locupletiorem facere. Huschk. Nullus dubitat quin vere sit legitima, additque Wackefildium e Lucretii libris protulisse : « et dare anhelatim pugnantibus humida labris Oscula, et in collo figere dente notas. » Wackefildius magnam hujus generis adverbiorum vim collegit ad lib. I, vs. 45 : *acervatim, adumbratim, articulatim, blanditim, catervatim, contemptim, filatim, generatim, gravatim, insertim, juxtim, membratim, minutatim, mixtim, moderatim, particulatim, propritim, pedetentim, raptim, summatim, tractim, turmatim, viritim*; et quod in Anthol. lat. III, Ep. 199, legitur, *neglectim*. His omnibus perspectis exclamat Huschkius : *potuit igitur etiam Tibullus scribere* ANHELATIM. Mirum argumentum! Apud nos innumera adverbia in cadendo syllabam referunt *ment*; num idcirco nobis facultas conceditur, cujuscunque vocis in eundem sonum deflectendæ? Heynius, qua tetricitate est, ait versus 35 et 38 parum cum argumento et sententia cæterorum cohærere.

39. *Juvant.* In Codicibus fere omnibus legitur *juvant*. Scaliger correxit *juvent* : sed hic etiam *Dormiet* edidit, locum ita construens « Hanc » non juvent gemmæ, et (hæc) sit » nulli cupienda viro, quæ frigore » sola dormiet.» Santenius etiam nugas suas admovet, et alii quidam quos nominare non operæ pretium est. Nobis vulgata lectio potior visa est. Indicandi modo loquitur Tibullus, quia de certa puella sermo est. Declarat poeta lapides et gemmas nullo modo cum juvenis amore conferri posse, et ita accidere ut *lapides et gemmæ* puellam non juvent, quæ nunc senem, eumque divitem amanti juveni prætulerit. Cætera imprecantis esse videntur, in eam scilicet quæ tale delictum admiserit.

40. *Cupienda viro.* In quibusdam Isaaci Vossii legitur *capienda viro*.

Heu! sero revocatur amor, seroque juventas,
Quum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formæ; coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet, viridi cortice tincta nucis.
Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos,
Et faciem demta pelle referre novam.
At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere : non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque : puero quæ gloria victo?
In veteres esto dura, puella, senes.

41. *Heu! sero revocatur amor. Sero fieri* dicuntur, quæ frustra fiunt, amissa temporis occasione ; hæc Brouckhusii verba immensa exemplorum mole fulciuntur, quorum unum tantum referam; Ovid. de Rem. Am. vs. 91 : « Sero medicina paratur, Quum mala per longas convaluere moras. »

42. *Quum vetus infecit* etc. Eundem fere sensum noster poeta, lib. II, El. II, vs. 20, sic expressit : « Dum tarda senectus Inducat rugas, inficiatque comas. » Ovid. Trist. lib. IV, El. VIII, vs. 2 : « Jam mea cycneas imitantur tempora plumas, Inficit et nigras alba senecta comas. » Edit. Romana et Veneta cum quibusdam libris scriptis *curva*; Hamb. *tarda*.

43. *Tum studium formæ*; Cod. Paris. *Tum studium forma est; coma tunc.* Et in aliis quibusdam legitur *Tum studium formæ est*; sed Brouckh. quum in proximo hexametro adsit : *Tollere tunc cura est*, τὸ *est* hic delevit, ut indignum dulcissimo poeta, et inconcinnum.

44. *Dissimulet.* Ed. an. 1472 habet *Dissimilet viridi cortice cincta nucis.* Hoc artificium vertendi comas *fucare* vocabant. Plinius, l. XV, c. 22 : « tinguntur cortice earum lanæ, et rufatur capillus primum prodeuntibus nuculis; id compertum infectis tractatu manibus. »

45. *Tollere tunc cura est albos* etc. Brouckh. hoc ordine, quem elegantiorem putabat, expressit : « Tollere tunc albos cura est a stirpe capillos. » Nil refert; sed vulgatum tuetur Propert. III, El. XXIII, 13 : « Vellere tum cupies albos a stirpe capillos. » Libri pauci habent *tum*. At Huschkius opinatur et apud Propert. et hic *tunc* esse tuendum : temporis enim adverbium esse, *tum* vero ordinis.

46. *Et faciem demta pelle.* Hæc de smegmate intelligenda videntur, quo lævigatur cutis.

47. *At tu.* Pholoen iterum alloquitur.

48. *Non tardo labitur illa pede.* Ovid. lib. III, Art. Am. vs. 65; *cito pede labitur ætas.*

49. *Neu Marathum torque.* Ita jam correxerat Statius; sed in editis primum emendavit Scaliger, cum librorum nonnullorum suffragiis. — Vulgo *Heu* vel *Seu Marathum torques.* Hæc emendatio ex more Tibulli facta. Vid. lib. IV, Eleg. IV, vs. 11, *Neu juvenem torque*; et in hac ipsa Elegia, vs. 29, *Munera ne poscas.*

50. *Veteres ... senes.* Contemptim

Parce, precor, tenero : non illi sontica causa est;
Sed nimius luto corpora tingit amor.
Vel miser absenti mœstas quam sæpe querelas
Conjicit, et lacrymis omnia plena madent.
Quid me spernit? ait : poterat custodia vinci :
Ipse dedit cupidis fallere posse Deus.
Nota Venus furtiva mihi est; ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum.

veteres dicit, quasi victos, et rancidos, et cariosos. Brouckh. Horatius, Epod. viii, vers. 3: « Et rugis vetus Frontem senectus exaret. »

51. *Non illi sontica causa est.* Codex Reg. *rustica.* Causa sontica est morbus sonticus, sive quivis vehementior, imprimis epilepticus. Causa pro morbo ponitur, quod morbo excusari interdum solemus. Heyn.

52. *Sed nimius luto.* Primus Muretus edidit *luto*, quam scripturam confirmant libri quidam : antea legebatur *luteo.* Nemesian. Cyneg. vs. 319, ait; *suavique rubescere luto.* Lutum est color inter flavum et album. Horat. Epod. x, vs. 16, pariter *luteum pallorem* dixit. Quidam *tingit;* alii, quorum est Douza, *tangit* legunt; nos plurium librorum lectionem servavimus.

53. *Vel miser absenti. Vel* a Brouckh. revocatum. Muretus emendaverat *veh*, quod et H. Voss. amplectitur. Quidam librarii substituerunt *ut*, alii *vah.* — Mihi *vel*, quod libri complures, scripti editi ad Muretum usque omnes exhibent, nulla machina convelli posse videtur; vide Terent. Eun. Act. III, sc. i, vs. 7. et *Heaut.* Act. IV, sc. vi, vers. 2.

54. *Conjicit.* Minus bene reponunt *Concinit;* etsi id alicubi reperitur. *Conjicere et jacere querelas* optimi scriptores dixerunt. Cæterum *conicit* hic scribunt veteres libri. Et sic scripsisse Romanos, hoc est, unum I extrivisse, consentiunt magistri tum antiqui, tum recentiores. Brouckh. — Editores multam in hunc locum ingenii impensam fecerunt; per illos enim Maratho non licet, omnia lacrymis suis perfundere : non enim tanta lacrymarum abundantia flere potuisse asserunt. Quamobrem Passeratius correxit *lomina plena*, hoc est *lumina.* Fruterius autem *somnia plena*, vel *omina plena* pro *ora ;* quia Festus omina dici tradat quasi *oremina.* Sed Brouckh. exclamat : Cur in fletu uberrimo ac copiosissimo non poterant *omnia* madere, et vultus, et vestes, et ipse lectus? Hæc præfatus, lacrymas poetarum fere omnes colligit vir doctus, ut demonstret eas tum imbribus, tum rivis ac fluminibus, tum denique *nivibus solutis* comparatas fuisse.

55. *Quid me spernit?* Vulgo legitur *spernis.* Brouckh. e tribus reposuit *spernit*, quod confirmant etiam alii quidam libri.

56. *Ipse dedit cupidis.* — *Cupidi* sunt amantes. Ipse Amor, inquit, docet amatores furta sua occultare.

57. *Ut lenis agatur.* Loco τοῦ *lenis* habent libri quidam *levis.*

58. *Ut nec dent.* Regius Codex *et nec dent.*

Et possim media quamvis obrepere nocte,
  Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem,
  Et fugit ex ipso sæva puella toro?
Vel quum promittit, subito sed perfida fallit,
  Est mihi nox multis evigilanda modis.
Dum mihi venturam fingo, quodcunque movetur,
  Illius credo tunc sonuisse pedem.
Desistas lacrymare, puer: non frangitur illa,

59. *Et possim.... obrepere.* Cod. Paris. cum aliis *Et possum;* sed Brouckhusius e melioribus *possim.* — Legitur etiam *abrepere;* sed male.

61. *Quid prosunt artes?* Quidam libri habent *possunt*, sensui minus aptum.

63. *Subito sed perfida fallit.* Sunt qui aliter interpungant, virgulamque post *subito* ponant, sed perperam. De puellis quæ subito fallunt, vide Terent. Heaut. act. IV, sc. IV, vs. 4, et Propert. lib. II, Eleg. IX, vers. 33.

64. *Multis evigilanda modis.* In libris multis legitur *malis* non *modis;* ita ut significet noctem inter multas ærumnas, dolores, suspiria, curarum æstus, peragendam esse. Brouckh. qui *modis* anteposuit, exempla congessit huc minime pertinentia. Heynius licet *malis* vellet, Brouckhusium in textu secutus est. *Multis modis* agitari dicuntur, qui cum aliqua animi anxietate aliquid expetunt, vel exspectant, ut mater apud Terent. Hecyra, act. II, sc. III, vs. 7: « Nisi pol filium *multimodis* jam exspecto, ut redeat domum. Et de anima ipsa, etiam per somnum non quiescente, Lucretius, lib. III, vs. 115, scribit: « Est aliud tamen in nobis, quod tempore in illo Multimodis agitatur, et omnes accipit in se Lætitiæ motus, et curas cordis inanes. » Probabilior autem recepta lectio etiam propterea est, quod minus bene dixeris *evigilare noctem multis malis.* HUSCHK.

65. *Dum mihi venturam fingo.* Hæc, quamvis venustissima, longe post se reliquit Ariostus, lib. VII, Orlandi Furentis stroph. 24, 25. Apud nos Bertinus feliciter hæc adumbravit, lib. III, Eleg. VII:

J'écoute alors, j'écoute; et si le moindre bruit
  Frappe mon oreille attentive,
  Je crois sous tes pieds délicats
Entendre à mon côté le parquet qui résonne.

66. *Sonuisse pedem.* Scaliger e vetere scriptura recte reposuit *pedem.* Quibusdam inest *pedes;* sed ne de poeta nostro multum meritum esse videretur, statim post hunc versum quem sanaverat, ei quatuor ex lib. II, El. III, vs. 75-78, versus insititios obtrusit, quibus sententiam turbavit, nulla auctoritate fretus, nisi forte immutandi atque omnia permiscendi furore impulsus.

67. *Desistas lacrymare.* Brouckh. quem idcirco Heynius subtilitatis arguit, ait: « non est plane idem *desistere* quam *desinere;* habet enim » quandam mutatæ mentis et con» silii significationem, ut in illo,

Et tua jam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia Divi :
Nec prodest sanctis tura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
Nescius ultorem post caput esse Deum.
Sæpe etiam lacrymas fertur risisse dolentis,
Et cupidum ficta detinuisse mora.
Nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi
Quæcunque apposita est janua dura sera.
At te pœna manet, ni desinis esse superba :

Virg. *Mene incœpto desistere victam?* Cicero, Livius idem dant passim.

68. *Lumina fessa tument.* Male duo Anglicani exhibent *tepent;* sæpe dicuntur *genæ tumidæ*, *oculi tumidi.* Vossii unus *timent;* sed hic timori locus non est.

69. *Oderunt, Pholoe.* Fastidiosam hanc puellam, atque asperam fuisse Horatius ostendit, lib. I, Od. XXXIII, vs. 6. Sic tamen, ut et procax fuerit, sæviente circa jecur Cupidine; ut solet illud genus muliercularum. Quæ hic Marathum fastidit, eadem Notum adpetit, lib. III, Od. 15: « Illam cogit amor Noti Lascivæ similem ludere capreæ. » Brouckh.

70. *Nec prodest* etc. Hoc est, crimen est inexpiabile, cui dii irascuntur, ut nec preces superbæ puellæ admittant. Heyn.

71. *Ludebat amantes.* Unus Schæfferi *amores*, quam lectionem latere sivissem, nisi H. Voss. eam in textum recepisset; ait enim ipsum Tibullum fuisse, quem Marathus olim amore torserat, ut non *amantes* legere possimus. Sed plures certo deluserat Marathus, inter quos et Tibullum, ut non videam cur a vulgata scriptura recedamus.

72. *Ultorem post caput esse deum.* Seneca Her. Fur. vs. 385 : « Sequitur superbos ultor a tergo deus. » Ita Jupiter apud Æschyl. Pers. v. 825. κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν φρονημάτων ἔπεστιν.

73. *Lacrymas fertur risisse.* Editio Romana cum aliis apud Brouckh. et duobus libris, item Guelf. 1, 4. *lacrimis.* Quod possit ferri, sive pro tertio casu accipias, ut Virgil. Æn. lib. V, vers 358; *Risit pater optimus olli*, vel pro sexto habeas ut Horat. lib. II, Sat. III, vs. 72; *malis ridentem alienis.* Heyn.

76. *Apposita est janua* etc. *Apposita* bene e duobus libris emendatum a Brouckh. Vulgo *opposita*, solemni errore, de quo Heinsius ad Ovidium, Am. lib. III, Eleg. XIV, vs. 10. Sed I. H. Voss. recurrit, *opposita* in pristinam sedem reducens, aitque: « Latini dicunt obserare fores, obdere foribus pessulum, etc. » ut nullum supersit dubium quin Tibullus scripserit *opposita.* Præterea H. Voss. *est* e versu ejicit, quod tamen in omnibus libris legitur. Perpauci habent *firma* pro *dura.*

77. *Ni desinis esse superba.* Omnes veteres miro consensu *ni* habent, voce decurtata, pro usitata *nisi.* — *Pœnam* vero *manere* hanc puella-

Quam cupies votis hunc revocare diem!

rum superbiam, quæ animum arguit crudelem, etiam alii poetæ statuerunt. Brouckh.

78. H. Voss. *hanc* pro *hunc* scripsit; non enim de uno certoque die, sed de indefinito temporis spatio hic agi. Et sane Ascon. in Cicer. Verr. dicit: « Dies tempus, feminini. — Dies horarum duodecim masculini generis est, unde hodie. » At Varro apud Charis. notavit neminem auctorum hoc servasse. Vid. Burman. ad Ovid. Trist. lib. IV, Elegia vi, vs. 38: integra igitur vulgata servetur. Bach. — Heynius ad lib. II, El. v, vs. 102, ita scribit *votis velle*; ut supra, *votis cupere*. Sed perperam; conjungenda enim sunt *votis revocare*, ut apud Propertium, lib. I, Elegia x, vs. 3: « O noctem meminisse mihi jucunda voluptas, O quoties votis illa vocanda meis. » Husch. Apud nostrum Bertin hæc ita expressa leguntur;

Que de regrets cuisans, de repentirs amers!
Combien tu pleureras ton orgueil, ta folie!
Que tu voudrais, ô Catilie!
Racheter chèrement cette nuit que tu perds!

ELEGIA IX.

Quid mihi, si fueras teneros læsurus amores,
Fœdera per divos, clam violanda, dabas?
Ah miser! etsi quis primum perjuria celat,
Sera tamen tacitis Pœna venit pedibus.

1. *Teneros læsurus amores*. Cum H. Voss. et Huschkio *teneros* reposui pro *miseros*; inest enim libris scriptis: *miseros* ex superioris Elegiæ versu 71, huc migrasse videtur. Præterea tertio hujus versu occurrit *miser*. Fruterius et Nic. Heinsius malebant *lusurus*, apto quidem sensu, sed nonnihil diverso. *Lædere* proprium esse verbum exemplorum mole demonstrat Brouckh. *Amorem lædere* perhibetur ille qui prior fœderis mutui fidem rupit ac violavit. Ovid. Met. lib. XIV, vs. 380: « Nec Venere externa socialia fœdera lædam. » Et Met. lib. I, vs. 608: « aut ego fallor, Aut ego lædor, ait. »

2. *Clam violanda*. Scaliger ex uno suo scripsit *jam violanda*; sed obstant alii omnes, in quibus *clam violanda*: scilicet quæ clam a te violantur.

3. *Ah miser*. Nonnulli libri *Ha miser*, ad quem locum monet Santenius: « *Ha!* nunquam dolentis est interjectio: *Ah miser!* exclamatio est pathetica: sed ut græca formula ὦ δειλὲ, nunc est miserantis exclamatio, nunc indignantis, vel increpantis; ita etiam *Ah miser!* nam *miser* præsertim in convicio pro scelesto ac perdito dicitur, ut δύστηνος et κακοδαίμων. » Husch.

4. *Sera tamen.... pœna*. *Pœna* H.

Parcite, Cælestes; æquum est impune licere
  Numina formosis lædere vestra semel.
Lucra petens habili tauros adjungit aratro,
  Et durum terræ rusticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
  Ducunt instabiles sidera certa rates.
Muneribus meus est captus puer; at Deus illa
  In cinerem et liquidas munera vertat aquas.
Jam mihi persolvet pœnas, pulvisque decorem
  Detrahet, et ventis horrida facta coma.
Uretur facies, urentur sole capilli;

Vossio sunt Furiæ : nos hic simpliciter *pœnam* eodem sensu quo vindictam, ultionem intelligendam censemus. Sic VOLTAIRE noster :

La peine suit le crime; elle arrive à pas lents.

Horatius e pœna ultricem Deam effinxit : « Raro antecedentem scelestum Deseruit pede Pœna claudo. »

5. *Æquum est.* Similiter Ovid. Am. lib. II, El. XIV, vs. 43 : « Di faciles, peccasse semel concedite tuto. Id satis est; pœnam culpa secunda ferat. »

6. *Lædere.* Etiam hic *ludere* reponunt, sed falsum; nam ipse Tibullus, lib. I, El. III, vs. 79 : *Veneris quæ numina læsit.*

7. *Habili... aratro.* Quod facile haberi, tractari et regi potest, et hinc *habilis*, idoneus, aptus, facilis. Gratius Cyneg. vs. 122 : « Quo circa et jaculis habilem perpendimus usum : Neu leve vulnus eat, neu sit brevis impetus illi. »

8. *Rusticus urget opus. Urgere*, totis viribus in opus faciendum incumbere.—*Opus* vero de agricultura dici notum.

9. *Freta per parentia ventis.* In Florentino apud Statium nonnullisque aliis libris, *parentia per freta ventis.* Sunt etiam qui exhibeant, *per vela patentia ventis.* Muretus ad *petituras* notavit : « Si nihil vitii subest, secundam syllabam produxit præter consuetudinem. » At *petiturus* formatur a *petitum.* Vides quantus vir hæserit in re quantilla. BROUCKH.

10. *Sidera certa.* Ad quorum ductum cursus dirigatur. Hor. II, Od. XVI : « neque certa fulgent Sidera nautis. » — *Instabiles rates* quæ communiori epitheto *vagæ* dicuntur.

12. *In cinerem.* Notus jam versus Homeri, Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

13. *Persolvet.* Quibusdam inest *persolves*, sed ferme omnes exhibent *persolvet.* Scaliger et Voss. prius amplexi sunt; ego cum Huschkio posterius, quod etiam probaverat Brouckh.; est enim mutatio sermoni hominis irati valde conveniens. Validæ significationis est verbum *persolvere*; notat enim ita solvere, ut reliquum maneat nihil.

15. *Urentur sole capilli.* Flavo crine in fuscum mutato. Prop. lib. IV, Eleg. IX, vs. 46 ; *Libyco sole perusta coma.* H. Voss. hic notat crines colorem non mutare ; quod si fieri

Deteret invalidos et via longa pedes.
Admonui quoties! auro ne pollue formam;
Sæpe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus si quis violavit amorem,
Asperaque est illi difficilisque Venus.
Ure meum potius flamma caput, et pete ferro
Corpus, et intorto verbere terga seca;
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti:
Est Deus, occultos qui vetat esse dolos.

posset, opinatur rutilas puellas omnes sese soli torrendas oblaturas esse.

17. *Auro ne pollue formam.* Tanquam rem sacram... Recte hoc dictum, quia quæ formæ gratia est, deperit et imminuitur avaritia. Corvinus cod. habet *fidem*, sed perperam.

19. *Divitiis captus.* Cod. Paris. ut duo Heinsii Angl. apud Brouckhus. *O viciis captus.*

21. *Ure meum* etc. Auctoramenti antiqui verba expressisse poetam, putabat Vulpius ex Lipsii Saturn. lib. II, cap. 5. Qui enim se lanistæ auctorabant, in hæc tria jurabant, uri, vinciri, ferro necari: h. e. libertate deposita, servili sorte uti, mancipii loco haberi (Petron., 117), iisdem pœnis, si peccassent, affici, quibus servi puniebantur, nunquam ingenui.

23. *Nec tibi celandi spes sit.* Libri veteres habent *Nec tibi celanti fas sit.* Scaliger e suis excerptis reposuit: *Nec tibi celandi spes sit.* Quocirca a Gebhardo valde reprehenditur. *Celandi* tamen legitur etiam in Palatinis et *spes* in Isaaci Vossii tribus, et Hamburgensi: itaque defendi potest Scaligeri lectio. Quinadeo sermonis consuetudini consentanea est. Horat. enim I, Ep. XVI, vs. 54: « Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis. » Cicer. Off. lib. III, c. 8: « Atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque removenda est. » Voss. et Bach. lectionem, *Nec tibi...fas sit* anteposuere, ut nobiliorem. Præterea Voss. *celari* loco *celandi* e Monach. tum Guelf. 3, et ex Is. Vossii quarto eligit. Sed ut notat Huschkius, absolute positum potius *falli* significat, quam *fallere alterum.* Neque refert quod asserit H. Voss. nempe aures offendi ejusdem soni repetitione *celandi paranti*: nam et Virgilius, cujus aures certo Vossii auribus anteposuerim, scripsit in Æneid lib. X, vs. 554: « Tum caput orantis nequidquam et multa parantis. » De interpungendi modo quem hic loci Bach. invenit, omnino tacendum, nihil enim contortius esse potest. Ipse judica, lector: « Nec tibi celanti fas sit peccare; paranti Est deus, occultos qui vetat esse dolos. » BERTIN hunc locum imitatus est:

Il est des dieux: si tu trahis ma flamme,
A leurs regards ne crois pas échapper:
Il est des dieux qu'on ne saurait tromper.

24. *Est Deus...qui vetat.* Veteres editores qui interpunctionem adposuerant verbo *peccare*, cetera ita copulare conati sunt: « paranti Sit Deus occultos qui vetat esse dolos, » vel

Ipse Deus tacito permisit lena ministro
  Ederet ut multo libera verba mero.
Ipse Deus somno domitos emittere vocem

etiam *vetet*, ut est in Cod. Askew., Monach. etc. Quod Muretus ita explicat : si clam peccare pares, præsto *sit Deus* ille qui dolos occultos esse non patitur. Sed longe majorem efficaciam illud habet, *Est Deus qui vetat*—(non *vetet*, quod Heynius præferendum censet). « Præstantissimi scriptores, ut innumeris aliis locis, ita quando *sunt qui* (vel *est qui*) præcedit, rei simpliciter ac sine ulla dubitatione enuntiandæ indicativum aptare solent; » ut scribit Heusingerus ad Cic. lib. I, Off. c. 24. E contrario recte *vetet* legebant qui *paranti sit Deus* construebant, assumentes cogitando verbum *celare*, quod per se ferri potest. Ovidius, lib. III, Am. El. XIV, vs. 41 : « Nil equidem inquiram, nec quæ celare parabis Insequar, et falsi criminis instar erit. » HUSCHK.

25. *Lena*. In libris legitur *læva*, in aliis haud paucis *lena*, sed vulgata inde ab Aldinis erat *lene*; quinadeo *sæva* et *sæpe* passim occurrunt, ut jam non habuerint docti quo se verterent. Ita et lectiones et interpretationes innumeræ prolatæ sunt. Scaliger ex ingenio reposuit *vela*, ita interpretatus. « Proverbialiter permittere vela, tradere libidini ac voluntati. » Brouckh. adhuc acutius *tacitum deum ministrum* intelligit vinum, cujus vapore, tanquam velo quodam, acies mentis obnubitur. Vulpius vero, *permittere vela ministro tacito* idem esse dicit ac flagitii conscio, et adjutori qui sobrius os obsignatum habebat, ebrietatis opera *potestatem loquendi facere*; sed hæc omnia non opus sunt, præsertim quum Scaligeri emendatio falsa sit. Santenius *lora*, alius quis *frena*; H. Voss. *læva* e cod. Guelf. intulit, *læva libera verba* sinistra, infausta, temeraria, inconsulta. At Heynius *lena* scripsit, quod Statio et Passeratio placuerat. Et longe absint emendationes omnes quas supra memoravimus: nihil enim facilius procedit, quam sententia. Poeta, puerum initio monet, ne peccet, nam ipsum deum impedimento fore quominus delictum lateat; illum enim deum decrevisse ut lena, præ ebrietate, pueri delicta ennarraret, utinter somnum arcana proferrent quidam, quorum interesset silere. Itaque his duobus distichis, poeta puero jam minatus modos ostendit, quibus utitur Deus ad peccata revelanda; loquiturque generatim. Non erat igitur cur H. Voss. lenam abigeret quasi pueri amores non sciret; non de puero sed de amore in genere egit Tibullus. Rem itaque dilucidaverim hunc in modum : ipse deus permisit ut lena (puellæ peccantis scilicet), multo mero ebria, verba libera, inconsulta ederet, omniaque dominæ arcana revelaret, tacente ministro (amatoris) eamque inebriante; quippe qui vinum assidue infunderet. Queritur tandem cur offensioni fuerit obnoxia hæc tam liquida scriptura. In promptu responsio : τὸ *lena* non loco suo erat positum et hyperbati quodam genere usus est Tibullus. Sic Horat. lib. I, Satyr. I, vs. 88 : « At si cognatos, nullo *natura* labore *Quos tibi dat*, retinere velis, servareque amicos, Infelix operam perdas. »

27. *Somno domitos emittere vocem*.

Jussit, et invitos facta tegenda loqui.
Hæc ego dicebam : nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi jurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem;
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi, si Bacchi cura, Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, sidera cælo
Lucere, et puras fulminis esse vias.
Quin etiam flebas : at ego non fallere doctus
Tergebam humentes credulus usque genas.

Lucretius, lib. IV, vs. 1012 : « Multi de magnis per somnum rebu' loquuntur, Indicioque sui facti persæpe fuere. » Nihil falsi profatur; et sæpe ista accidunt sive ab agitatione animi inquieti et diurnis occupationibus involuti, sive ab efficace vi malæ conscientiæ. Broucкн.

31. *Tunc mihi jurabas*. H. Voss. quia vs. 29, *Hæc ego dicebam* legitur, per oppositionem hic reposuit, *Tu mihi jurabas*, libris quibusdam confisus. Sed *Tunc* retinendum perinde ac El. IV, vs. 7 : « Hæc ego; tum Bacchi respondet rustica proles. » In quibusdam Cod. inest *nullius divitis auri Pondere*. Bertin hunc locum sic expressit,

Alors, alors, tu jurais, ô ma vie !
Que nul amant ne tenterait ta foi ;
Et qu'à moi seul ta jeunesse asservie
Refuserait même le cœur d'un roi.

32. *Non gemmis vendere*. In edit. an. 1472; *non gemmis frangere velle fidem*. Cyllenius in commentario legit *perdere* pro *vendere*, quod habent in contextu Editiones Venet.

33. *Si pretium Campania terra*. Pretium hic est merces stupri; de terræ Campaniæ, deque agri Falerni laudibus multi multa. Eleganter Florus *Liberi*, *Cererisque certamen* vocat. Broucкн. — *Tota* pro *terra* in Perrei excerptis et in Monac.; sed male. *Campania terra* dictum, ut *terra Italia*, *terra Celtiberia*.

35. *Illis eriperes verbis mihi* etc. Tanta erat tibi persuadendi vis, ut me facile docuisses, cælo nulla sidera lucere, neque fulminis puras esse vias, neque omnino fulmina esse. —Vulgo legebatur *cæli :* Brouckhusius *cælo* ex uno Vaticano Statii revocavit.

36. *Et puras fulminis esse vias*. Certe *ire* legitur in Vaticano; *fluminis* in multis, ut in Cod. Paris. Sed confusio orta est e loco simili, lib. I, El. II, vs. 44; *fulminis vias* etiam Seneca dixit Thyeste vs. 360. Præterea si *fluminis* legas, perit τὸ ἀδύνατον, ut merito notat Heynius; « non enim omnia flumina pura, clara et pellucida sunt; sed multa turbida et lutulenta. Brouckh. qui *ire* et *fluminis* amplexus est, operose ostendit, *flumina ire dici ;* non vero id docuit, quomodo *viæ fluminis ire* dicantur. Flumina *eunt vias*, *currunt vias* ut Prop. lib. I, El. II, vs. 12 : *Et sciat indociles currere lympha vias :* sed viæ ipsæ ire non possunt. »

Quid faceres, nisi et ipse fores in amore puellæ?
Sit, precor, exemplo sit levis illa tuo!
O quoties, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli!
Sæpe insperanti venit tibi munere nostro,
Et latuit clausas post adoperta fores.
Tum miser interii, stulte confisus amari:
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.

39. *Quid faceres!* Scaliger ex suo probabat *Quid facerem*, uti et alii ap. Brouckh. Cod. Bern. *faciam*, Vindob. *Quid dicam*. Heynius ita interpretatur: Quid faceres si puellam non amares, *illoque adeo a Nemesi metu vacares?* Terentius, Phorm. Act. II, Sc. II, vs. 30: « Quid faceres, si aliquid gravius tibi nunc faciendum foret. » H. Vossius, *Quid facerem* amplexus est, et explicat: « quantopere ulciscerer te, nisi ipse amares puellam. »

40. *Sit, precor... sit.* In quibusdam libris *Sed ... sit*, vel *Sit ... sed*. Cod. Paris. *Sic levis illa tuo.*

41. *O quoties, verbis.* Achilles Statius legendum putabat *vobis*, non *verbis*; quocirca a Brouckh. castigatur. Mihi tamen arridet illud; sed quum librorum auctoritate careat, vulgatam servavi.

43. *Sæpe insperanti.* Interpretes quidam opinantur, puellam per ædes progressam ad fores processisse; unde amatorem in cubiculum perduceret: sed omnia hanc interpretationem refellunt: puella enim est, quæ ad amatoris domum venit; quod si ipse ad puellæ fores accederet, donec vocaretur, cui bono foret verbum *insperanti*.

44. *Et latuit.* Puella in amatoris conclavi latet, et quidem post *clausas fores*, ita ut ei domum revertenti inopinato adstet, eumque lætitia impleat. Heynius exclamat: « Quomodo, si venit ad juvenem, post fores latere potuit, quæ ejus ædes ingrediebatur, quum forium valvas intro vertisse sciamus, adeoque qui post fores latere voluit, intra ædes esse debuit. Viri docti non viderunt, de tali deductione puellæ in aliam domum non esse cogitandum: de puellæ domo intelligenda hæc sunt. » Mirum sane argumentum! quod si sequaris oportet credas Romanorum ædibus nullas adfuisse fores, nisi in ipsa via, quum tamen et intus perinde ac apud nos domus dividerentur.

45. *Tum miser. Tam*, si H. Voss. confidas, otiosum est, et *tam* vera lectio ei videtur, sed textu tamen abstinuit. Sed *Tam* vitiosum, ut notat Huschk. Quis unquam scripsit *perii tam miser, tam misera perii?* Tum, ait Tibullus, interitum mihi ipse paravi, quum juranti tibi vs. 31, fidem tribuebam, tum perii, quum tibi, ad puellam properanti, vs. 42: « Ipse comes multa lumina nocte tuli. » Tum profecto stultus fui et vecors, qui confiderem me a te amari.

46. *Nam.* H. Voss. hanc voculam non ferendam esse declarat, eique solemni immutatione substituit, *Ah:* verbum *esse* etiam in *isse* transformat. Sed H. Voss. Huschkio meri-

Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam :
  At me nunc nostri, Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
  Torreat, et liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est,
  Et pretium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
  Rideat assiduis uxor inulta dolis;
Et, quum furtivo juvenem lassaverit usu,
  Tecum interposita languida veste cubet.

tus pœnas solvit, qui aperte demonstrat illi nullum Tibulli locum opponi posse, ubi *τὸ nam* pentametrum inchoat, quin illico immutando aliud quidpiam effutiat, ut etiam hoc loco fecit. Unum tamen bonum exemplum est, quod editoris illius sollertiam effugit, ut ait Huschk.; lib. IV, El. v, 17, legitur : « Optat idem juvenis quod nos, sed tectius optat : Nam pudet hæc illum dicere verba palam. » — Perpauci libri *Non* habent quod edidit post Scalig. Brouckhusius, adposito ad finem versus interrogationis signo. *Cautus ad laqueos* ut *cautus ad fraudes* apud Claudianum XXI, 291. Heynius ita accepit, ut cum indignatione dictum sit pro *scilicet*, *nempe*, *enimvero*.

47. *Attonita mente;* percussa, contacta forma pueri, ut alii poetæ divino numine acti et percussi canunt.

48. *At me nunc*. Cod. Paris. et Ed. an. 1472. *Et* Muret. *ut me*, quod H. Voss. suscepit.

49. *Carmina flamma*. Flammis, aut aquis deleri, fatum erat carminum infeliciter natorum; certe votum hominum politiorum. Argutiam hinc quæsivit Martialis, lib. V, Epigr. 53: « Colchida quid scribis? quid scribis, amice, Thyesten? Quid tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache? Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis Deucalion, vel, si non placet hic, Phaeton. » BROUCKH.

51. *Tu procul hinc absis*. Scaliger, sequente Brouckh. ex eclogariis suis receperat : *Sit procul a nobis*.—Editiones quædam ante Statium *cura est*. Heynius totum distichon assutum existimat ex margine. H. Voss. invertit *formam cui*. Ita quisque fere his versibus scelestas manus injecit. Ordine tamen sensus procedit, neque quid eum impediat videre possum.

53. *At te*. Majores in corruptorem pœnas statuit, quam in puerum quem superiore disticho simpliciter exsulare vult.

54. *Uxor inulta*. Impune rideat, sive ludat : doli sunt furta. HEYN.

55. *Furtivo...lassaverit usu*. Ovid. Am. lib. III, El. XI, vs. 13 : « Vidi quum foribus lassus prodiret amator Invalidum referens emeritumque latus. » Priap. carm. 47 : « Illius uxor aut amica, rivalem Lasciviendo languidum, precor, reddat. »

56. *Tecum interposita languida veste cubet*. Lucianus, Dial. Meretr. XI, Καὶ τέλος διετείχιζες τὸ μεταξὺ ἡμῶν τῷ ἱματίῳ, δεδιὼς μὴ ψαύσαιμί σου.

Semper sint externa tuo vestigia lecto,
  Et pateat cupidis semper aperta domus.
Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
  Pocula, vel plures emeruisse viros.
Illam sæpe ferunt convivia ducere Baccho,
  Dum rota Luciferi provocet orta diem.
Illa nulla queat melius consumere noctem,
  Aut operum varias disposuisse vices.

57. *Externa tuo vestigia lecto.* Apud Livium Lucretia maritum sic adloquitur: *Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo.* Vir doctus *hesterna* malebat pro *externa*, absque librorum auctoritate. Sunt qui legant, *sint externa tuo semper* etc.; sed ordinem verborum, quem secuti sumus, reduxit Muretus e Brouckh. libris.

58. *Cupidis.* Est in voce *cupidus* significatio quædam peculiaris ad rem amorum, ut fuse demonstrat Brouckh.

59. *Nec.* Gothanus et Hamb. falsum *et* exhibent pro *nec*, quod sensui multo accommodatius. *Sororem* vero seu impudicæ uxoris, seu mariti intelligere licet. Hoc forte melius. Est enim usitata illa conviciandi acerbitas propinquorum flagitia et turpitudinem iis, quos odimus, exprobrare. HEYN.

60. *Vel plures emeruisse viros.* Statius ac Gebhardus emendabant ex suis libris; *quam plures emeruisse viros*, hoc sensu, bibacissimæ sorori imprecor pares poculi ac concubitus vices... Certe τὸ *quam*, quocumque modo verses, a versiculis sequentibus alienum est. BROUCKH. Hæc ille præfatus ex uno Scaligeri *nec* eligit. Aldinæ *vel*, ut est in quibusdam libris; et est *vel* poetarum consuetudini aptius, qui altero membro *vel* pro *nec* plerumque usurpant. *Plures emeruisse viros*, confecisse, enervasse, peregisse: ambo phrasis membra ad sororem spectant.

61. *Illam.* Intellige sororem, sicut etiam vs. 63, 64, et opponitur vs. 65, uxor, quæ a sorore eadem flagitia didicit. — *Convivia ducere Baccho*, producere in multam noctem Ed. Lips. ac Vicent. Cum plurimis apud Brouckh. *ferant*, nempe quia sequitur *queat* etiam in optandi modo positum. HEYN.

62. *Rota... Luciferi.* Dousa discum vel orbem intelligit, probantibus Vulpio et Brouckhusio. Heynius Lucifero currum dono dedit, ex analogia Solis, Lunæ et Auroræ. H. Voss. circuitum ipsum quem Lucifer permeat, esse vult; sed vix dubium videri potest, quin hoc loco intelligenda sit *solis rota*, quod jam Heynius in observationibus subodoratus est.

63. *Illa nulla queat.* Edit. Romana cum ceteris editis ante Scaligerum: *Illa queat nullam*; vitiose.

64. *Aut operum.* Pariter Naso, de puellis maturioribus, lib. II, Art. Am. vs. 675: « Adde, quod est illis operum prudentia major; Solus et artifices qui facit, usus adest. » Tralatio est ab re castrensi, ubi opera varie disponuntur; sed tralatio libera et detriti pudoris. BROUCKH. In Aldinis legitur *Atque*; sed Brouckh.

At tua perdidicit; nec tu, stultissime, sentis,
  Quum tibi non solita corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te disponere crines?
  Aut tenues denso pectere dente comas?
Ista hæc persuadet facies, auroque lacertos
  Vinciat, et Tyrio prodeat apta sinu.
Non tibi, sed juveni cuidam vult bella videri:
  Devoveat pro quo remque domumque tuam.

Aut merito revocavit, ut aptius et convenientius.

65. *At tua.* Heynius ait: « Ferrem si *Et, Hæc* alicubi legeretur: etiam tua conjux hæc didicit.»—*At* transitum ad aliam personam bene facit.

66. *Non solita... ab arte.* Quam scilicet inter concubitus cum aliis viris perdidicit; tum enim, quum operum varias vices disponeret a sorore edocta.

67. *Tune putas.* Ed. Rom. cum aliis Guelf. 2. *putes.* Brouckh. et Heynius malint *componere;* jam enim tertio abhinc versu legitur *disposuisse.* Sed Codici Paris. inest memorabilis lectio *corpus.* Huschk. ait: «Fortasse vera; similiter Græci dicunt, *πλέκτειν σῶμα.* Attamen *corpus* superiore versu movetur, ut nunc aliud quidpiam *disponi* vel *componi* videatur.»

68. *Denso... dente.* Nempe pectinis. Brouckh. ex uno Florentino recepit *Et* pro *Aut.*

69. *Ista hæc persuadet facies.* Opinatur H. Voss. *Ista hæc* dici pro isthæc. Heynius existimat cum Vulpio hæc dicta esse per ironiam, « scilicet isthæc facies viri (quam turpissimam fuisse necesse est) movebit ipsam ut se ornet: nempe supplendum *ut vinciat* etc. At duriorem juncturam effecit Brouckh. nova distinctione: *Ista hæc persuadet facies?—sinu?* Ut sit: *ista facies persuadet hæc?* Nempe τὰ *disponere* et *pectere.* Ita saltem lenius esset, si scripseris: *aurone lacertos vinciat!* Scilicet talis mariti gratia?» Hæc quidem Heynius; ego autem Paris. Codicis scripturam *Istam* anteposuerim. Nec Huschkii emendatione opus est; is enim optat *Isti hæc persuadet facies* ut etc.

70. *Tyrio prodeat apta sinu.* In tunica ostrina *apta* collecto pectore et vincto, ut Terentius loquitur. Est ab antiquo verbo *Apere,* quod significabat vinculo comprehendere. Vide Pompeium Festum in voce *Apex;* Servium ad lib. X, Æn. vers. 270; Nonium in voce *Aptam.* Prodire autem est verbum pompæ muliebris. Catullus. carm. LXI, vers. 96, *Prodeas, nova nupta.* Horatius, lib. II, Od. VIII, vs. 7: *Juvenumque prodis Publica cura* etc. BROUCKH.

72. *Devoveat pro quo remque domumque tuam.* Ut bene notat Heynius, *devovere* cum Gallorum *sacrifier* convenit. Lipsius emendabat *teque domumque,* quod Brouckh. placet propter Propertii similem locum, lib. II, El. VII, vs. 37: « Ergo tam multos nimium temerarius annos, Improba, qui tulerim teque tuamque domum.» Sed hac immutatione non opus est, et Plautus in Epid. Act. II, Sc. II, vs. 36: « Ubi fidem-

Nec facit hoc vitio, sed corpora fœda podagra,
Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer; hunc ego credam
Cum trucibus Venerem jungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus?
Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna superba tuo;
At tua tum me pœna juvet, Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos:

que, remque, seque, teque properat perdere.» Vulgatam quoque tuetur Ovidius, Heroid. XVII, vs. 159: resque domusque, Et tibi sit curæ Troicus hospes, ait.»

73. *Nec facit hoc vitio. Vitio* fieri dicuntur, quæ prave fiunt, quod etiam ad auspicia et ad religiones extenditur. Ovidius, Metam. lib. V, vers. 195: «Increpat hos, vitioque animi, non crinibus, inquit, Gorgoneis, torpetis, Eryx.» BROUCKH. Poeta declarat puellam non protervitate animi in juvenis desiderium incidisse, sed quia maritum habeat vultu fœdo ac senectute confectum.

75. *Huic tamen accubuit.* Huic tam deformi seni. Isaaci Vossii cod. unus habet, *occubuit*. Cod. Paris. *Hunc tamen*.

77. *Aliis tu vendere.* Hoc et sequenti versu, pro *aliis* Dousa malebat *alii*; non male: nam de uno mentio facta, et ita expresum est in Edit. Græviana et in Basil. HEYN. —*Aliis* tamen mihi anteponendum videtur; omnibus enim quibuscunque puer vendere rem paratus est. Cod. Hamb. habet *delicias blanditias meas*, id est mihi debitas, ut infra *oscula mea*. Cod. Paris. Douzæ, conjecturam firmat.

79. *Tunc flebis.* Reg. et Ed. Rom. *Tum*, et Lips. *Tu*.

80. *Et geret in gremio.* Libri fere habent *in regno*; ac deinde partim *bella*, partim *regna*. Forte *in regno sceptra*. Sed non libet hic morari. Tamen *regna superba* quin rectum sit ambigere vix licet; vid. Nostr. infra, lib. IV, carm. V, vers. 2: «Te nascente, novum Parcæ cecinere puellis Servitium, et dederunt regna superba tibi.» BROUCKHUS. — Pro *geret* in duobus est *reget*.

81. *At tua tum.* Cod. Paris. et Ed. anni 1472, *At tua dum*; Corvin. *dum —juvat.— Venerique merenti.* Dictum ex formula.

82. *Fixa notet... palma.* Brouckh. nescio quo impetu animi incitatus, Tibullum conviciis petit, eumque nequitiæ fama delectari ait, qui talia scribere velit. Ceterum ait ille; «de parma vel clypeolo hic agi, in quo signarentur versiculi sequentes.» Miro consensu libri omnes *palma* scribunt, non *parma*. Propert. lib. II, El. XIX, vs. 44: «Et vetus in templo bellica palma vacat.» Lib. IV, El. X, vs. 21: «Picta nec inducto fulgebat palma pyropo.» Tum post paulo, vers. 40, «Belgica cui vasti palma relata ducis.» Scaliger *lamna*

HANC TIBI FALLACI RESOLUTUS AMORE TIBULLUS
DEDICAT; ET GRATA SIS, DEA, MENTE, ROGAT.

emendat. In uno Brouckh. interpolatum *picta tabella.*

83. *Hanc tibi fallaci* etc. Hanc allegoriam poeta petiit a ritu, quo e naufragio servati, tabulam templo Dei servatoris affigerent; Horatius, lib. I, Od. v, vs. 13: « me tabula sacer Votiva paries indicat uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris Deo. »

ELEGIA X.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata:
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.

Hæc Elegia scripta videtur ante eam, quæ nunc est ordine tertia; tunc videlicet, quum in cohortem Messalæ adlegeretur, invitus, ut adparet, et Deliæ suæ amore inretitus. Pocchus ad libri sui oram scripserat: « Hoc est principium secundi libri in codicibus vetustioribus, et est de amoribus Nemesis; » et ex libris suis Perreius: « Principium secundi libri de amoribus Nemesis. » Et ego tales nullos oculis usurpavi: nec vidi alium qui moneret. BROUCKH.

1. *Quis fuit horrendos primus.* Brouckhusius hoc loco Plinii locum de ære transcripsit, deque ejus usu; omnesque nominat, quicunque artem inventis suis maturaverint; sed hæc nullo modo huc pertinent. Poeta incertum aliquem increpat, quicunque fuerit, *primus qui protulit enses.* Jurgia sibi habeat ille, qui non, ope historiæ, investigandus est; accurata enim designatio omnem loci jucunditatem adimit. Heinsius conjecerat *protudit*, sed est *proferendi* verbum proprium ad novitatis designationem, ut exemplis fuse ostendit Brouckhusius. Ceterum hunc locum imitatus est Janus secundus: « Ah! pereat duros primum qui protulit enses! Ille fuit ferro durior ipse suo. »

2. *Quam ferus et vere ferreus.* Cicero ad Q. fratrem de filio suo ait: « Quem ego ferus ac ferreus e complexu dimisi meo; » simile quid apud Horatium de primo navigatore invenies: « Illi robur et æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelago ratem Primus etc. »

3. *Tunc.* Codex Paris. et edit. anni 1472, *Tum.*

4. *Brevior diræ mortis* etc. Jam Eleg. III, vs. 50, legimus: « Nunc mare, nunc leti mille repente viæ; » est *leti via* frequens apud veteres locutio, ut Brouckh. mole exemplo-

At nihil ille miser meruit : nos ad mala nostra
Vertimus in sævas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri; nec bella fuerunt,
Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat : somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.

rum demonstrat; *via mortis* pro *via ad mortem*. Voss. huic versui extremitates curtavit contra librorum fidem, qui omnes æque *τὸ est præbent*.

5. *At nihil ille*. Excerpta Pocchiana, et alter Wiltianus habent *an ille*, quod manifesto corruptum est. Scaliger in suis excerptis *Forsan et ille nihil* reperisse memorat, quæ mera est interpolatio. Codices optimi vero, et Editiones sine exceptione *At* exhibent. H. Voss. ex Hamb. *Ah* effinxit; legitur enim ibi *Ha*, vitiose.

7. *Divitis hoc vitium est auri*. Confer quæ Lucretius, lib. V, vs. 1243, et Horat. lib. I, Satyr. III, vs. 99, cecinerunt.

8. *Faginus adstabat*. Libri quidam *Fagineus stabat*. Horum poculorum non est infrequens mentio apud veteres. Virg. Ecl. III, vs. 37; Ovid. lib. VIII, Met. vers. 669; Seneca, Herc. vers. 652. Mensæ quoque tenuiorum ex fago erant; Martial lib. II, Epigr. 43.

9. *Non arces, non vallus*. Statius et Guyet. malebant, *Non acies, non vallus*, propter similem locum *Non acies, non ira fuit*, mirum sane argumentum! sed in vulgata scriptura omnes omnium libri, conspirant. Mitscherlichius in Tentam. Crit. conjecit : « Non *aries*, non vallus erat, somnumque petebat Securus *saturas* dux gregis inter oves, » et addit : « commemorantur duo diversa genera oppugnandi, alterum (*aries*), alterum munitionis (*vallus*). » Idem nititur Senecæ loco Hippol. vs. 531 : « Non vasto aggere Crebraque turre cinxerant urbes latus; Non arma sæva miles aptabat manu; Nec torta clausas fregerat saxo gravi Balista portas; » sed non est cur vulgatam mutemus, interpretumque somniis indulgeamus.

10. *Securus varias dux gregis*. *Saturas* loco *varias* etiam Heinsius ante Mitscherlichium reposuit; sic enim priscæ ætatis ubertatem melius in memoriam reduci. *Varias* omnes libri et editi et scripti habent; nihilominus interpretes in mira varietate versati sunt : Heinsius, quid voluerit, jam diximus; Francius postea *vacuas* proposuit; Brouckhus. *niveas*, qui tamen *saturas* amplexus, copiose demonstrat esse *saturas* verbum frequens in re pastoria. Heynius ait de Brouckh. loquens, « cur non conjecit : *Securus tutas dux gregis inter oves*; hoc esset consentaneum carminis indoli et poetico mori : esset quoque probabilis ratio, quomodo excidere potuisset vox, dum pro ea *securus securas* scriberetur et ex his ductibus *varias* eliceretur. » At nos *varias* servavimus : Vulpius et Cyllenius existimant hoc epitheto poetam albas, nigras maculosasque designasse; sed hoc Heynium offendit, quasi parum latine dictum; *variæ oves*, eidemsi confidas, erunt *versicolores* vitio quodam lanæ, ut ipse fatetur, « nec mirum, addit ille, si deterius genus

Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audîssem corde micante tubam!
Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.

ovium Tibullo, qui jam deteriora vina, *musta candida*, Eleg. V, pressserit.» Heyn. versum adhuc alia parte sollicitat, qui ducem gregis arietem vel hircum esse velit, non pastorem; unde novum argumentum contra *varias* sumit. Olim juvenili impetu conjecerat fuisse veram scripturam: « Securas aries dux gregis inter oves; » quum enim semel scriptum esset *arias*, facile inde fieri potuit *varias*, et tum, ne bina ejusdem vocabuli essent epitheta, scribi *securus*, nempe inter ætatis aureæ munera, et hoc erat, quod armenta sine metu a feris, libera vagabantur.» Heynius ipse in posterum sententiam mutavit, declarans medelæ rationem fluctuare et esse incertam; sed medela non indiget, qua sententia sum; nihil enim est, quod non statim et primo adspectu intelligas.

11. *Vulgi nec tristia nossem Arma.* Heinsius emendavit. *Tunc mihi vita foret dulcis, nec tristia nossem Arma.* Quod Brouckh. amplexus exclamat: « Hæc sunt prodigiose corrupta! vulgus nec dabat arma, nec habebat in armamentariis: publicis adservabantur. Nihil melius, nihil verius conjectura Heinsii.» Ego contra lubenter addiderim *nihil stultius!* nam quæcunque emendatio hic supervacanea est: *vulgi arma* sunt quæ non sapientibus conveniunt; *vulgus* hic eodem fere sensu usurpat Tibullus, quo Horatius *Odi profanum vulgus*. Ita non amico opus erit, quem Heynius Tibullo condonat, ut vocandi casu *Vulgi!* exclamare possit. *Tunc mihi vita foret! Vulgi; nec tristia nossem*. Huschkius denique supervenit et ait, mihi Tibullus scripsisse videtur: « Tunc mihi vita foret, vel ubi nec tristia nossem Arma, nec audissem corde micante tubam.» Qua conjectura nihil contortius esse potest.

12. *Corde micante.* Male libri quidam *corde tremente*, quæ fuit glossa τοῦ *micante* Ovid. Art. Am. lib. III, vs. 721: « Vidit ut oppressam, vestigia corporis, herbam, Pulsantur trepidi corde micante sinus.» Epist. Penelop. vs. 45: « Usque metu micuere sinus.» Epist. Ænon. vs. 37: « Attoniti micuere sinus; » lib. III Fast. vs. 331, de Numa Jovem eliciente: *Corda micant regis*; et lib. VI Fast. vs. 338, de Priapo, Vestæ insidias struente: *Et fert suspensos corde micante gradus*. Brouckh.

13. *Nunc ad bella trahor.* Comparandus est Virgilius, Ecl. X, vs. 35: « Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ... Nunc insanus amor diri me Martis in armis, Tela inter media atque adversos detinet hostes.»

14. *Hæsura in nostro... latere.* Proprie locutum esse poetam demonstrat Brouckhusius; latus enim præcipue petiisse depugnantes. At nos, istas nugas missas faciamus, et præcipue notemus quantum venustatis huic loco subsit, qui eo ipso, quod vagus incertusque futuri sensus sit, nos magis magisque movet. Sic Virg. de cerva a venatore eminus icta, Æn. IV, 73: « hæret lateri letalis arundo.»

Sed patrii servate Lares; aluistis et iidem
Cursarem vestros quum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos;
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.

15. *Aluistis et iidem.* Statius *idem* scribit per simplex *i*, ex veteribus monumentis et Sfortiæ libro. Sane sic et liber Matii, et tres nostri cum utroque Wittiano, ac priscis editionibus. Nec fere aliter invenias in Cod. notæ paulo melioris. Et Charisius ac Priscianus comprobarunt. Nihilominus *iidem* geminato *i* plus semel etiam in lapidibus literatis reperitur. Broukh.

16. *Cursarem.* Suavis rei imago; sic infra, lib. II, Eleg. II, vs. 22, de natali genio: Ludat et ante tuos turba novella pedes. Heyn. — H. Vossius *Cursabam* intrusit, ut jam Eleg. II, vs. 14, *dabam* pro *darem*; sed omnes libri in *Cursarem* consentiunt, nisi forte Paris.

17. *Esse e stipite.* Ed. an. 1472, *ex*.

18. *Sic veteris sedes incoluistis avi.* Quadruplicem habemus scripturæ differentiam, quam notitiæ causa hic apponere juvat: 1°. *Sic veteres sedes*, quam scripturam tuentur omnes membranæ Statianæ (demto Sfortiæ libro), quatuor Palatin. Uterque Wittianus, tres codices chartacei, Pocchi excerpta Zwic. 1, 2. Hamb. Wunderlichio teste: 2°. *Sic veteres ædes*, liber Sfortianus Statii, Palatinus quintus, sextus, ac Comel. Gebh. unus chartaceus, Brouckh., Fulvii Ursini et Scaligeranus codex, necnon Anglicani omnes teste Heinsio; 3°. *Sic veteris ædes*, Guyetus in notis Heins. apud Brouckh.; 4°. *Sic veteris sedes*, Collationes Angeli Colotii; Bassi apud Brouckh. quatuor Vossii et Askew. apud H. Voss.; ego cum Fruterio et Brouckh. *veteris sedes* lego; nam frequenter utitur Tibullus hoc epitheto; sic *antiquus avus* reponitur, lib. I, Eleg. 1, *priscus avus*, lib. II, Eleg. 1, *vetus ætas*, lib. IV, carm. 1. Martialis denique Tibullianam scripturam imitatione sua comprobavit: « Hirpini veteres qui bene novit avos, » et lib. X, Epigr. 87: « Mirator veterum senex avorum. » Klindwosth qui hanc ipsam Tibulli Elegiam commentario instruxit, putat variantes hujus loci lectiones a somniculosis librariis profectas esse, qui quum primum *veteris sedes* recte scriptum deprehendissent, per incuriam illud *s* omitterent; unde aliquis ex *edes ædes* et deinde ex *veteris veteres* fecit.

19. *Tunc melius tenuere fidem.* Hæc Heynius perperam ad Deos refert, quasi diligentiores olim in fœderibus servandis sese præstitissent. Sed sunt hic homines subintelligendi, ut merito notat H. Voss.

20. *In exigua... æde.* Hic agitur de sacello in agris constituto, ut e sequentibus manifestum fit.

21. *Placatus.* In nonnullis libris legitur *pacatus*, male.

Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
   Postque comes purum filia parva favum.
At nobis ærata, Lares, depellite tela!
   Hostia erit plena rustica porcus hara
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
   Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis : alius sit fortis in armis,

23. *Ipse ferebat*. Olim legebatur *ipsa*. Viri docti ante Brouckh. emendaverunt *ipse*, quod propter sequentia *filia parva* videtur adjectum.

25. *At nobis ærata, Lares, depellite tela!* Vulpius lignea tela intelligit, superinducto ære. Idem putat *ærata* poetam dixisse pro *ferrata* : quocirca ab H. Voss. valde castigatur; is enim Aquitanorum arma respicit de quibus Cæsar, B. G. lib. III, c. 21, meminit : « multis locis apud eos (Aquitanos) ærariæ secturæ sunt. »

26. *Hostia erit* etc. Multi putarunt aliquid excidisse, quamquam in libris scriptis nullus est hiatus; itaque Jovianus Pontanus hoc modo explevit : « At nobis ærata, Lares, depellite tela : Neu petat hostili missa sagitta manu, Neu gladio celer instet eques ; prosint mihi ad aras Quæque tuli supplex munera, quæque feram. Ture pio caleantque foci, pinguisque trahatur Hostia de plena mystica porcus hara. » Audax facinus! ut exclamat Brouckhusius, qui etiam illos damnat plus satis acutum videntes, qui *mystica* pro *rustica* legunt. Heyn. ait : « Porcus esset *victima mystica* propterea, quia ejus usus in sacris Cereris fuit : ut *mystica vannus* Virgilio, cujus instar in sacris Bacchi portabatur, et inf. III, Eleg. VI, vs. 1, *mystica vitis*; sed neque ex alio Romano poeta id epitheton defendi potest : ex uno Aristophane Acharn., vs. 747, laudant χοιρία μυστηρικά; et 764, χοίρους μυστηρικάς; ubi scholiastes subjicit : ὅτι ἐν τοῖς μυστηρίοις τῆς Δήμητρος χοῖρος θύεται. Sed id et græcum, et in alia re. — Lection. *Hostia erit* tuentur Voss. 3 et 5, Askew. Vindob. et Bern. Pontani interpolationem evertit. Nemo tamen monuit, porcum proprio quodam ritu Diis voveri, ut hostes arceant felicemque e bello reditum præstent. Nam ut hoc loco Laribus, ita alibi aliis Diis, Jovi et Marti eandem ob causam, porcus vel vovetur, vel immolatur : adi Theocr. Id. XXIV, v. 97; Pomponium, Atellanarum poetam apud Gellium, lib. XVI, cap. 6, et Macrob. VI, Saturn. c. 9. HUSCHK.

27. *Hanc* e libris reposuit Brouckh. vulgo erat *Hunc*. De puræ vestis usu in sacris omnibus notum : sic Tibullus, lib. II, El. 1, vs. 13, *pura cum veste venite*; Virgil. Æn. lib. XII, vs. 169; *puraque in veste sacerdos*; Pompeius Festus : « Pura vestimenta sacerdotes populi romani, quum sacrificabant, habere soliti erant, id est, non obstita, non fulgurita, non funesta, non maculata. » — *Myrtoque canistra*; hinc colligere possumus, myrtum Laribus placuisse perinde ac Veneri, adi quoque Horat. lib. III, Od. XXIII, vers. 16.

29. *Sic placeam vobis*. Sacrificiis parandis operatus.

Sternat et adversos Marte favente duces;
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere Mortem?
Imminet, et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta; sed audax
Cerberus, et Stygiæ navita turpis aquæ.
Illic percussisque genis, ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata

31. *Ut mihi potanti.* In voce *potanti* fœdum glossema esse putat Gebhardus, reponitque ex vestigiis duorum codicum parum correctorum *bacchanti;* quam ego vocem, hoc certe in loco, non emerim titivillitio. Potare est bibere liberalius, *faire la débauche.* Terent. Adelph. Act. I, Sc. II, vs. 22: « Non est flagitium mihi crede adolescentulum Scortari, neque potare: non est; » et Sallust. Catil. c. 11: « Ibi primum insuevit exercitus populi romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari. »

32. *In mensa pingere castra mero.* Ovidius, Ep. Heroid. 1, vers. 31: « Atque aliquis posita monstrat fera prælia mensa, Cingit et exiguo Pergama tota mero. » Voltaire, apud nos simile quid protulit:

Et le vieux nouvelliste, une canne à la main,
Trace au Palais-Royal Ypre, Furne et Demain.

34. *Clam venit illa.* H. Voss. e codice uno pro *illa* reposuit *ipsa*, quasi Mors non semper ipsa veniret. Doctus vir ut languidam vitaret voculam, in otiosam incidit: nihil hic mutandum erat. Ovid. Am. lib. III, IX, vs. 19: « Scilicet omne sacrum mors importuna profanat; Omnibus obscuras injicit *illa* manus. »

35. *Non seges est infra.* Dictum ut Græcis κάτω, τὰ κάτω, ἔνερθε, τἄνερθε.

36. *Navita turpis.* In Lipsii excerptis erat *navita pullus;* pertinaci errore habent libri *puppis* pro *turpis*, præter excerpta Colotii, unum Vaticanum, Monac. et Vossii quart. Burm. legit *tristis*, propter illud Virgilii de eodem Charonte, Æn. lib. VI, vs. 315: « Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos. » Simili sensu Ge. IV, 96: « aliæ turpes horrent. »

37. *Percussisque genis.* Nic. Heinsius correxit *exesisque genis*, quod in contextum invexerunt Brouckh. Heynius et alii. Libri fere omnes consentiunt in lectione *percussisque*, præter Scaligeri unum qui exhibebat *percissisque*, unde ille *percisisque* formavit. Unus Palat. *perculsisque*. Cicero dixit: *quid vultu extimuistis;* Horat: *terret equos equitumque vultus:* eodem modo *genæ* dicuntur *percussæ*, sc. pavore: multa disseruerunt viri docti de hoc loco; sed illi absque ullo lectoris damno et labori et chartæ parcere potuissent.

38. *Errat ad obscuros.* Virgil. Æn. lib. VI, vs. 329: « Centum errant annos volitantque hæc litora circum. »

39. *Hic est. Hic* correptum, fecit locum mutationi in *et est* vel *et hic*.

Occupat in parva pigra senecta casa.
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim; liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, et succos condidit uvæ,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens vomerque vigent: at tristia duri

40. *Occupat. Occulit* pro *Occupat* Vincent. Speculo morali, non uno loco. Sed *Occupat* est, supervenit non sentienti. Heyn.

41. *Ipse suas sectatur.* H. Vossius conjicit: *Ipse tuas sectaris oves*: in cod. Paris. *ac filius.*

42. *Comparat.* Dixit pro *parat*, quod et ipse Cicero fecit, Accus. I in Verr. cap. 26.

43. *Candescere.* Aliquot libris inest *canescere*, ut Ovid. Heroid. III, vs. 65.

44. *Facta referre senem.* Heinsius legebat *seni*, citra necessitatem immutans; commode enim jungitur accusativus cum verbo *licet*. In lib. III, El. V, vs. 26, simile quidpiam occurrit: « Et referam pueris tempora prisca senex. »

46. *Sub juga curva boves.* Codex Paris. *panda*, quod etiam H. Voss. amplexus est pro *curva*. — Balbus, carm. LXVII, p. 173: « Longa dies cogit sub juga panda boves. » Ultimum hemistichium sæpius occurrit apud Nasonem (vid. Heinsium ad lib. I, Art. vs. 318), variantibus codicibus in *panda* et *curva*, quorum illud Nasoni in deliciis esse docet Heinsius: eadem varietas apud Tibullum. El. X, vs. 46, ubi cum paucis codex meus *panda*: duo antiquiores, cum pluribus, *curva*. Santen. Brouckhus. fatetur, blandiri sibi lectionem *aratores* loco *araturos*; inesse enim excerptis Pocchi, duobusque Vaticanis, ab Heinsio inspectis: præterea addit Ovidium pariter sic locutum esse: *cedebat taurus arator equo*; Suetoniumque idem fecisse, pariterque Curtium: pergit Brouckh. aitque: Ita *equus bellator* Maroni dicitur, Æn. lib. X, vs. 891; lib. XI, vs. 89; ac Valerio Flacco, lib. V, vs. 585; et Tacito de moribus Germanorum, cap. 14. *Equus venator*, Papinio, Theb. lib. IX, vs. 685, et Claudiano Nupt. Honor. et Mar. vers. 6; *equus prædator*, Papinio, Theb. lib. IV, vs. 316; *juvencus pugnator*, Maroni, Æn. lib. XI, vs. 680; *taurus bellator*, Papinio, Theb. lib. III, vs. 331; *canis venator*, Maroni, lib. XII, vs. 751. Bach. *aratores* in textum invexit, iisdem exemplis fretus et insuper loco Orphei Hym. in Cer. XL, vs. 8, *πρώτη ὑποζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα.*

47. *Aluit. Alere* solet.

48. *Testa paterna.* Sic Horatius, lib. I, Od. XXXVII, vs. 6, *cellas avitas* dixit.

49. *Vomerque vigent.* In Scaligeri Excerptis erat *nitet*, unde Heins. fe-

Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent; scissosque capillos
Femina, perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras subtusa genas; sed victor et ipse
Flet sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixæ mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.

cit *nitent*. Brouckh. hanc lectionem probat, quia statim sequitur *situs* armorum militarium. — Ovid. Fast. lib. IV, vs. 928; et Am. lib. I, Eleg. VIII, vs. 51.

50. *Occupat arma situs*. Theocrit. Idyll. XVI, vers. 96, simile quid habet: ἀράχνια δ' εἰς ὅπλ' ἀράχναι λεπτὰ διαστήσαιντο.

51. *E lucoque... ipse*. Brouckh. revocavit *ipse*; vulgo legebatur *ipso*. Cod. Paris. habet *E lutoque*. Fruterii emendatio, *Rusticus e luco revehit*, et H. Voss. immutatio τοῦ *E* in *Et* nullius pretii sunt; nec est cur in refellendis illis tempus teramus, quamvis multus in hac re fuerit Huschkius. Quidam scripsere *Rusticus elucoque vehit male sobrius ipse*; quasi id significaret *semisomnum per elucum*, seu per ἰωλυκρασίαν; sed Brouckh. ait: « Non jam libet eorum exagitare sententiam. » — Poeta loquitur de lucis in quibus sacra faciebant, et cum uxoribus ac liberis perpotabant. Virg. Æneid. lib. XI, vs. 740; Horat. lib. I, Od. IV, vs. 11.

53. *Scissosque capillos*. Ed. Lips. *fissos*: at Corvinus hoc loco memorabilem, nec tamen alibi obviam, lectionem habet: *scissisque capillis Femina perfractas esse fores queritur*. Major quidem in vulgari et orationis nitor et numerorum lævor est; sed usu docti, novimus, pentametros ejusmodi sæpe a male sedulis grammaticis ad vulgarem modulum esse revocatos. Heyn.

55. *Teneras subtusa genas*. Scaliger et Gebhardus *subfusa* legerant, Virgilii loco freti, Æneid. lib. I, vs. 228; et mendosis libris inest, ut Monach. et Voss. Sed agitur de puella verberata ῥαπιζομένη, etsi enim ῥαπίζειν proprie est ῥάβδῳ πατάξαι, tamen etiam frequentatur pro κολαφίζειν, vel quod recentiores dicebant Græculi κοσσίζειν, de quo verbo agit Bastius, Epist. Crit. 147. Nec me pœnitet adhuc sententiæ, Tibullum hoc loco ob oculos habuisse ipsam Menandri fabulam, in qua idem accidisse ut victor, peracto facinore, fleret; *sibi dementes tam valuisse manus* testatur Philostratus, Ep. 26.

56. *Tam valuisse manus*. Confer quæ Ovidius, Amor. lib. I, Eleg. 7, cecinit; Propertius, lib. IV, El. VIII, vers. 64.

57. *Rixæ mala verba ministrat*. Convicia, jurgia. Gall. *des mots piquans*.

58. *Lentus*. Gebhardus e duobus Palat. *lætus* edidit; ita et Brouckh. sed Propert. lib. II, El. XIV, vs. 13: « Nec mihi jam fastus opponere quæ-

Ah! lapis est ferrumque, suam quicunque puellam
Verberat; e cælo deripit ille Deos.
Sit satis, e membris tenuem rescindere vestem;
Sit satis, ornatas dissoluisse comas:
Sit lacrymas movisse satis: quater ille beatus,
Cui tenera irato flere puella potest.

rit iniquos, Nec mihi ploranti lenta sedere potest;» et Andromache apud Senecam, Troad. vers. 897: « Tibi fluxit Asiæ, fluxit Europæ cruor, Quum dimicantes lenta prospiceres viros, Incerta voti. »

59. *Ah! lapis est ferrumque.* Hinc Ovidius, Am. lib. III, El. VI, vs. 59: « Ille habet et silices et vivum in pectore ferrum, Qui tenero lacrymas lentus in ore videt. »

60. *E cælo deripit.* Regius *et*, quod H. Voss. amplectitur, otiosum esse τὸ *e* declarans, et illico de omittenda præpositione exempla adducit, quæ nihil ad nostrum locum faciunt; *e cælo deripit ille deos*, proverbialiter dictum. Gigantum fabulam respexisse videtur poeta, qui Deos cælo exturbare conati sunt; vel fortasse ad superstitiones magicas pertinet hic versus.

61. *E membris tenuem rescindere vestem.* Ita reposuit Brouckh. ex emendatione Heinsii: vulgo est *perscindere*, quod nimis violentum videbatur Brouckhusio; vel *præscindere*, quod etiam in Venetis Guelf. 1, 3, legitur; quæ varietas e scripturæ compendio oritur. Bach. *præscindere* servavit, quod etiam fecerat Klindworth; et arriserat idem Heynio in Observ.—Designat anteriorem vestis partem, ut alia cum *præ* composita verba. Heinsii conjectura nunc quatuor libris a Voss. collatis firmatur.—Confer Claudian. XV, vs. 135; Virgilium, Æneid. lib. V, vers. 685.

62. *Ornatas dissoluisse comas.* Scaliger e libro suo, cui consentiunt alii, reposuit *ornatus comæ;* alii libri *ornatus comis:* inter vulgatam et Scaligeri lectionem difficilis optio est. Utramque confirmat poetarum usus. Nam quod H. Voss. scribit, *ornatas comas*, locutionem esse humilem vel vulgarem, id satis confutat, qui profecto non sectabatur vulgaria, Propertius, lib. I, El. II, vs. 1: « Quid juvat, ornato procedere vitta capillo? »

63. *Quater ille beatus.* Numerus mysticus, Virgil. Æneid. lib. II, vers. 242; Ovid. Art. Am. lib. II, vers. 447; Trist. lib. III, Eleg. XII, vers. 25; Metam. lib. VIII, vs. 462; Stat. Achil. lib. II, vs. 154. Macrobium quoque adi, Commentar. in Somnium Scipionis, lib. I, cap. 6.

64. *Cui.* Brouckh. et Voss. Douzam secuti *Quoi* scribunt, more veterum, ut testatur Quintilianus, lib. I, c. 7.: « Illud nunc melius quod CUI, tribus quas proposui literis enotamus, in quo pueris nobis ad pinguem sane sonum, QU et OI, utebantur, tantum ut ab illo QUI distingueretur. » Hoc est a nominativo, nam et in primo et in tertio casu QUI scripsisse veteres ostendit Donatus, in Andr. Act. I, Sc. 1, vers. 140.—Vulgo legitur *Quo;* sed *flendi* verbum cum tertio casu plerumque connecti constat; Tibul.

Sed manibus qui sævus erit, scutumque sudemque
  Is gerat, et miti sit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto;
  Perfluat et pomis candidus ante sinus.

lib. III, Eleg. VII, vs. 8: « Flevisti ignoto sola relicta mari. » Propert. lib. I, Eleg. XII, vs. 15: « Felix qui potuit præsenti flere puellæ. » Idem, lib. I, El. XV, vs. 10: « Desertis olim fleverat æquoribus. »

65. *Scutumque sudemque.* Miles sit: *sudes* potest genus teli militaris intelligi; vel quod præstat, vallus qui a milite portabatur. HEYN.

67. *Spicamque teneto.* Talis Ceres cum spicarum manipulo in dextra, et binis pomis ac binis papaveribus conspicitur apud Boissardum, P. 6. Antiq. p. 60. Sunt enim Pacis eadem quam Cereris insignia; causam reddit Naso, lib. IV, Fast. vers. 407: « Pace Ceres læta est, at vos optate, coloni, Perpetuam pacem, perpetuumque ducem. » Et sic Virginem, sive Astræam, quam et ipsam possis Pacem perhibere, describit Cæsar Germanicus: « Virginis inde subest facies, cui plena sinistra Fulget spica manu, maturisque ardet aristis. » Insignem Titi imp. nummum, in quo Pax spicas dextra, sinistra caduceum tenens, cum studiosis eruditæ vetustatis, communicavit ill. Spanhemius, Obs. ad Callimach. Hym. in Cererem, vs. 138; in Othonis numismate argenteo eamdem Pacem, eodem prorsus modo describit Hannibal Carus, lib. II, Epist. 186; in æreo Taciti nummo Pax dextra spicas gerit, sinistra hastam, apud eundem. Huic omnino similis alter nummus M. A. Carini, ex gaza ducis Arschotani. BROUCKH.

68. *Perfluat et pomis.* Heinsius *Perpluat* hoc loco legit, in Not. ad Ovid. Met. lib. I, vs. 572; quod amplectitur Brouckh. pariterque Vulpius et Heynius. Veretur tamen Heynius ne poetam elegantia aliqua, quam aut noluit, aut non recordatus est, oneraverint. Voss. τὸ *Profluat* laudat e quibusdam libris textuique immisit; profluere enim poma e sinu: itaque nullus dubitat Voss. quin Tibullo genuinam scripturam restituerit. Nos, quamvis Heinsii *Perpluat* quatuor libris ab H. Voss. collatis insit, servavimus *perfluat*: nam sic habet majors pars codicum. — Est *perfluere pomis*, idem quod *abundare pomis* ac quasi *luxuriari*; satis notæ sunt locutiones *fluere luxu*, *diffluere luxuria*. Nostram lectionem plene confirmat Apuleius, describens Isidis vel Cereris pallam, Metam. lib. XI, pag. 759: « Quaqua tamen insignis illius pallæ *perfluebat* ambitus, individuo nexu corona totis floribus totisque constructa pomis adhærebat. »

ALBII TIBULLI
ELEGIARUM
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA PRIMA.

Quisquis ades, faveas; fruges lustramus et agros,
  Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva

1. *Quisquis ades, faveas.* Sacrum ambarvale describit, quod fiebat vere; vide Virgil. Georg. I, vers. 338. Ovidius videtur Tibullum ob oculos habuisse, Fast. lib. I, vers. 658. De tempore, quo hæc venustissima Elegia scripta sit, vide poetæ nostri vitam; vulgo legebatur *Quisquis adest, valeat.* Scaliger emendavit: *Quisquis adest, faveat;* et Douza *Quisquis ades, faveas. Faveat* quibusdam inest codicibus; quin adeo in Vindob. invenitur *Quisquis adest, faveas.* Initio Elegiæ proxime insequentis: *Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.* Præconis partes suscepit poeta: silentium enim imperabat præco. Adi Festum in voce *Faventia*, et Servium ad Æn. lib. V, vs. 71, ubi Virgilius ait: « Ore favete omnes, et cingite tempora ramis. » Horatius, lib. III, Od. 1: « Odi profanum vulgus et arceo, Favete linguis. » Ovid. Art. Am. lib. I, vers. 268: « Quisquis ubique viri, dociles advertite mentes; Pollicitisque favens vulgus adeste meis. » Juvenal, Sat. XII, vs. 83: « Ite igitur, pueri, linguis animisque faventes, Sertaque delubris, et farra imponite cultris. » Et apud Græcos, Aristophanes, in Thesmoph. vs. 40: *Εὔφημος πᾶς ἔστω λεώς, Στόμα συγκλείσας.*

2. *A prisco traditus... avo.* Catonem de Re Rustic. c. 141, adeas; ibi enim ille ritus describitur. *Tradere* autem est verbum sacrorum, cui respondet *accipere*, ut copiose docet Brouckhusius.

3. *Tuis e cornibus.* De Bacchi cornibus fuse disseruit Brouckh. licet omnibus res nota sit: vide Spanhemii Dissert. VII, de usu et præst. Numism, Gruter. p. LXVI, 8; Gyraldum. Syntag. 8; Hist. Deorum in *Bugene.*

Pendeat; et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator;
. Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis: nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo; non audeat ulla

4. *Spicis tempora cinge.* Hinc Cererem vocabant *spiciferam* et *frugiferam*. et *matrem agrorum*; lapis vetus apud Gruterum, XXVI, 8:

CERERI
FRVGIF
SACR
L VEIANIVS. COSMVS
P. P.

alius, ibid. 9.

CERERI AVGVST
MATRI AGR.

Possim et alios referre; sed de Cerere et Baccho vide excursum nostrum ad hanc Elegiam.

5. *Luce sacra.* Unus Matii *luce tua*; sed mihi non placet, non enim ad unam Cererem referendum est sacrum ambarvale, quod etiam pro vinearum proventu fiebat.

7. *Solvite vincla jugis.* Hoc est lora jugorum, quibus illa boum collis alligantur; demite juga. HEYN. — Wunderlich. et Bach. *jugis* pro ablativo habere malunt, perinde ac apud Virgilium, Æneid. IV, 479: « Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem. »

8. *Coronato.. boves capite.* In Vestæ sacro, asini coronabantur qui molas egerant. Propert. lib. IV, El. 1, vs. 21: « Vesta coronatis pauper gaudebat asellis. » Ovid. Fast. lib. VI, vs. 311: « Ecce coronatis panis dependet asellis; Et velant scabras florida serta molas. » In festo Dianæ canes, id erat Idibus Augustis; Papinius, Silv. lib. III, 1, 57: « Ipsa coronat Emeritos Diana canes. » Consualibus equi, qua de re Plutarch. in Quæst. Rom. BROUCKH.—Notus omnibus est elegans locus Ovidii, Met. XV, vs. 120, de bobus aratoribus, ubi in eos acerbe invehitur, qui laborum socios mactant, feriuntque securi; et Valerius Maximus refert, Romanos olim, non mitius punivisse bovis aratoris interfectorem, quam hominis. Excerpta Scalig. habent *vertice stare boves*, ex prava interpolatione.

9. *Omnia sint operata Deo.* Hæc edicit tanquam præco, ex solemni sacrorum more. Serv. ad Georg. lib. I, vs. 268: « Sunt aliqua quæ, si festis diebus fiant, ferias polluant. Quapropter et pontifices sacrificaturi præmittere calatores suos solent, ut sicubi viderint opifices adsidentes, opus suum prohibeant, ne pro negotio suo et ipsorum oculos et cerimonias Deum attaminent. » Macrob. Saturn. lib. I: « Affirmabant autem sacerdotes, pollui ferias, si indictis conceptisque opus aliquod fieret. Præterea regem sacrorum, flaminesque non licebat videre feriis opus fieri: et ideo per præconem denuntiabatur, ne quid tale ageretur; et præcepti negligens mulctabatur. » Hi præcones dicebantur *præclamitatores*, itemque *præciæ*, a præciendo et præclamitando. BROUCKH.—*Ne* ac *non* ita distingui

Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis; pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
Vinctaque post olea candida turba comas.
Dî patrii, purgamus agros, purgamus agrestes:

solent, ut alterum vetandi sit, alterum negandi. Tibullus tamen illis promiscue utitur. Nam *non audeat* eamdem hoc loco vim habet, ac *ne audeat* supra, lib. I, Eleg. III, vers. 21: « Audeat invito ne quis discedere amore. » Quod non convenit veterum grammaticorum præceptis, ut Quintiliani, lib. I, §. 5o; sed usus tyrannus. HUSCHKIUS.

11. *Discedite ab aris.* Cod. Paris. et alii, editionesque *discedat ab aris, Cui tulit.* Muretus edidit *discedite ab aris queis*, quod confirmant Voss. 1, 2, 5.

12. *Hesterna ... nocte.* Pro *Hesterna*, cod. Paris. Lips. alii edit. Ald. *externa*.

13. *Pura cum veste venite.* Capiendum de veste candida; Ovid. Fast. lib. IV, vs. 619: « Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas Sumite; nunc pulli velleris usus abest. »

14. *Et manibus puris.* Hesiodus, vs. 724: Ἔργ. καὶ Ἡμέραι. Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν· Οὐ γὰρ τοίγε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς. Brouckh. existimat literam supremam in voce *puris* accrevisse ex proximo verbo *sumite*. Idem *puri* legi jubet, ut *fontis* epitheton sit, ut apud Ovid. Fast. lib. IV, vs. 314, et apud Propertium, lib. III, Eleg. 1, vers. 3. Sed libri nihil mutant, et tuetur vulgatam Ovidius, Fastor. lib. V, vs. 435: « Terque manus puras fontana perluit unda. »

15. *Ut eat sacer agnus ad aras.* Is agnus circum agros ducebatur; ideo *ambarvalis* dictus. Festus ait: « Ambarvales hostiæ appellabantur, quæ pro arvis a duobus fratribus sacrificabantur. Ambarvalis hostia est, quæ rei divinæ causa, circum arva ducitur ab iis qui pro frugibus faciunt. » In membro priore legebat Scaliger, *a duodecim fratribus*, id quod nos in medio relinquemus; neque enim fieri non potuit, ut egerint partito. Virgil. in Georg. lib. I: « Terque novas circum felix eat hostia fruges. » Vides et Maronem et nostrum Albium consulto uti verbo *eundi*: in quo verbo est significatio liberæ voluntatis. Non enim hostiæ ligabantur; et si apud aram reluctarentur, non litabant. Confer Plinium, lib. VIII, c. 45; Macrob. lib. III, c. 5; Servium, ad Æn. lib. II, vs. 133. BROUCKH.

16. *Vinctaque.* Editio anni 1472, et Reg. Lep. Venet. 1493, *Victaque*; Venet. 1491, Ald. *Vinctaque*; nempe omissa est in illis lineola supra literam *i*. HUSCHK.

17. *Dî patrii.* Sunt Penates; Macrob. Saturn. lib. III, c. 4. Addidit Hyginus in libro quem de diis

Vos, mala de nostris pellite limitibus;
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris,

Penatibus scripsit, vocari eos θεοὺς πατρώους; sed nec hoc Virgilius ignoratum reliquit: « Dî patrii, servate domum, servate nepotem.» Preces antiquas apud Catonem de R. R. invenire poteris, et superstitione et sermone insignes.

18. *Pellite limitibus.* Cod. Paris. *vestris;* Passeratii liber, *tollite liminibus;* Ed. min. anni 1472, *lemitibus:* jam *tollite,* quod exstat etiam in uno Guelf. manifesta est interpolatio. Nam *pellere* ac *depellere* adeo trita sunt in hac re poetarum consuetudine, ut Persius Deos averruncos simpliciter vocet *depellentes,* Satir. V, vers. 167. Accedunt Græci, Homer. lib. XV, vs. 503 ἦε: σωθῆναι καὶ ἀπώσασθαι κακὰ νηῶν. HUSCHK. —Nihilominus illust. H. Voss. recepit *tollite*, exemplis fretus quæ huc non pertinent.

19. *Nec seges eludat.* Virgil. Georg. lib. I, vers. 226: « sed illos Exspectata seges vanis elusit aristis.» *Eludere* proprium est verbum. Nonnunquam tamen legimus apud poetas eodem sensu *decipere*, *fallere*, *mentiri*, quod fuse ostendit Brouckh., loca citans multa, qua doctrina et garrulitate est. Tu Ovidium adi, Met. lib. V, vers. 480; de Ponto, lib. II, Ep. IX, vs. 29; Fast. lib. IV, vs. 645; Am. lib. III, Eleg. X, vers. 34. Adi pariter Symmachum, lib. X, Ep. LXI, et Silium de agro Falerno, lib. VII, vs. 160; denique Quinctilianum, Decl. 12.

20. *Tardior agna.* Brouckh. *segnior* anteposuit, quod e libris quibusdam receperat Scaliger. Ait Brouckh. « *segnis* dicitur, quasi sine igne.» H. Voss. exquisitius esse τὸ *segnior* declarat, et *tardior* nihil esse nisi forte glossam: qua in re Bach. quoque habet consentientem. At nihilominus nos vulgatam servavimus, quæ sensum præbet magis idoneum ad ovis naturam depingendam. Agna hic *tarda*, ut supra, lib. I, El. I, vs. 32, *deserta* vocatur: non male expressit hunc versum MOLLEVAUT.

Que la lente brebis échappe au loup rapide.

Sed ad sensum propius accessit pedestri sermone MIRABEAU, *ne craigne pas*. Sic enim τῷ *pellite* respondet *neu timeat.* Non timet quia non adsunt lupi a *diis patriis* repulsi, quod si adessent, illos agna, qua tarditate est, effugere non posset. Lubet locum referre illustrissimi gallici poetæ DELLILE, qui in opere dicto *l'Imagination:*

O Palès, disait-il, reçois mes sacrifices;
Protège mes brebis, protège mes génisses
Contre la faim cruelle et le loup inhumain;
Que je trouve le soir le nombre du matin;
Qu'autour de mon bercail, exacte sentinelle,
Sans cesse, en haletant, rode mon chien fidèle.

21. *Nitidus.* Horat. lib. I, Epist. IV, vs. penult. « Me pinguem et nitidum bene curata cute vises;» et lib. II, Sat. II, vs. 128: « quanto aut ego parcius, aut vos, O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit!» Tunc, quum fient sacra pro frugibus, confisus rusticus novis frugibus plenis et magnam spem ostendentibus, ingeret, etc. sic Torrent. ad Horat. Epod. II, vs. 43; Salmasius ad

Ingeret ardenti grandia ligna foco;
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, et ex virgis exstruet ante casas.
Eventura precor: viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra Deos?

Vopiscum, p. 361; Brouckh. et Vulpius ad hunc locum. *Tunc*, quando vero? Quum seges non eluserit messem, quum messis segeti responderit: quomodo præterea sementi *confisus* rusticus dici possit, rei quæ non raro fallit? Scaliger, quo acumine erat, has difficultates sensisse videtur. « Profecto, inquit, hic est spurium nescio quid in voce *agris*. » Ipse censet legendum *areis*. Heinsius cum Guyeto *horreis* corrigebat, quod placere potest propter τὸ *plenis* et *confisus*, et mox *saturi*; idque Horatianum illud confirmare videtur, lib. II, Ep. I, vs. 140, et seqq. Hæc quidem Heynius, qui tamen ipse fatetur inesse huic lectioni aliquid, quod auris vix ferat; tum vero eodem sensu accipi posse *plenos agros*, quum matura seges est, aut quum jam demessa in agris relinquitur ut arescat. Ut ut est, non intelligo cur in re tam liquida hæserint doctissimi viri, præsertim quum voce *confisus* constet *Tunc* ad tempus esse referendum, quo messis adhuc in incerto foret; nihil mirum enim si rebus jam peractis confidas, aut opibus jam comparatis. H. Voss. ne forte eventus agricolam deluderet, τὸ *Tunc* ita distulit, ut non nisi post vindemiam hæc peragenda essent.

22. *Ingeret*. Ita jam Muretus ediderat, et optimorum librorum auctoritate firmatur; olim *Ingerat*.

23. *Saturi... coloni*. Olim legebatur *satyri coloni*; quæ aberratio, quamquam levis ac pæne jocularia, in quantas angustias redegerit bonum Cyllenium, miraberis, si inspicere volueris. BROUCK.

24. *Ex virgis exstruet.. etc.* Ante focum sacrum umbracula, sub quibus potarent et luderent. Cujusmodi umbracula fuere quoque in Veneris sacro, cujus Pervigilium habemus, 5, 6 et 44. Casæ e myrteis frondibus factæ. HEYN. — H. Vossius in quamcunque velis conjecturam promptus, hic ait sinceram lectionem esse *construet*, quod quum compendii causa scribebatur ɔ *struet*, ita ut inde falsum *ex* processerit. Sunt qui *arte* loco *ante* legi velint, et ita intelligant ut puerorum ludum significet hic versus; sed bene se habet recepta lectio. Huschkius malit, *e virgis exstruet*, quam *ex virgis exstruet*; sicut apud Propert. lib. I, Eleg. III, vs. 36: « Alterius clausis expulit e foribus. » Huschkius opinatur esse has exstructiones mera vernarum ἀθύρματα.

25. *Eventura precor*. Lib. I, El. V, vs. 57: « Evenient, dat signa Deus. » In Lipsii Excerptis erat *cælestibus extis*, minime probanda lectio. *Viden' ut* inexspectatum et repentinum aliquid denotat; nec exempla desunt.

26. *Significet... nuntia fibra*. Miratur Huschkius in nullo libro reperiri *significat*, veteres enim post *viden' ut* indicativum ponere solent. Plaut. Curc. I, Sc. III, 3: « Viden' ut anus tremula medicinam facit! » Ibid. vs. 32: « Viden' ut misere moliuntur! nequeunt Complecti satis. »

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
  Consulis, et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent : non festa luce madere
  Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat,
  Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis,
  Et magna intonsis gloria victor avis;

Plura exempla congessit Bentleius, ad Horat. lib. I, Ep. 1, vs. 91.—*Significare* est verbum haruspicinæ atque divinationis. Cicero, Catilin. II, cap. 13; de Harusp. Resp. c. 12, lib. I, de Divinat; c. 1. Quæ hic *nuntia fibra* eidem nostro Tibullo, lib. I, El. VIII, vs. 3, *conscia fibra* dicitur.

27. *Fumosos... Falernos.* Scal. perpetuus immutator scripsit: « Nunc mihi nunc fumos veteris proferte Falernos Consulis; » at Johannes Valerianus corrigebat: « Nunc mihi fumosi veteres proferte Falernos Consulis; » ut scilicet *fumosus consul* dicatur, sed id pernæ suinæ convenit, minime vero consuli. Masculino genere dixit poeta *Falernos*, quod *cados* subintelligeret.

28. *Consulis.* Per veterem consulem intelligitur vetustas vini, quia ut notum, annos vini a consulibus computari solitos cadis inscribebant; Horat. lib. III, Od. XXI, vs. 1: « O nata mecum, consule Manlio. »

29. *Vina diem celebrent.* Exquisita loquendi ratio pro vulgari, *compotatione dies celebretur, exigatur.* BACH.—Macrobius, Saturn. lib. I, c. 11, ubi de sacrificio, quod Junoni Caprotinæ faciebant liberæ pariter atque ancillæ, Nonis Juliis: « Quæ (ancillæ, habitu matrumfamilias ac virginum sumpto) quum a Livio in castris distributæ fuissent, viros plurimo vino provocaverunt, diem festum apud se esse simulantes. » Inspice, sodes, Horatium, lib. III, Od. 28. BROUCKH. Non multum a Tibulli sententia recessit MOLLEVAUT, qui vertit:

Le buveur . . . .
Peut aujourd'hui sans honte errer d'un pied
  tremblant.

31. *Sed bene Messalam.* De hoc ritu adi Schol. ad Theocr. Idyl. XIV, vers. 18: Εἰώθασι ἐν τοῖς συμποσίοις ἄκρατον λαμβάνειν καὶ ὀνομάζειν τινὰς ἐρωμένους ἢ φίλους, καὶ ἐπιχεῖν τῇ γῇ, καὶ φθέγγεσθαι τῶν φιλτάτων τὰ ὀνόματα. Scaliger malebat *bene Messala*; sed utrumque dicitur. Ovid. Art. Amat. lib. I, vs. 601: « Et bene dic dominæ, bene, cum quo dormiat illa. » Idem, Fast. lib. II, ves. 637: « Et, bene vos, patriæ bene te, pater optime, Cæsar, Dicite suffuso, per sacra verba mero. »

32. *Singula verba.* Cujusque præsentis convivæ verba ita ut sæpius iterata *sonent*. Nec MOLLEVAUT multum aberravit a textu, quum verteret:

Son nom dans nos festins doit retentir sans cesse.

VVinguard in Act. Soc. Frag. T. 1, p. 144. correxit; *Omen et absenti*; sed perperam.

34. *Intonsis gloria victor avis.* Bo—

Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia Cælitibus.
Rura cano rurisque Deos : his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem :
Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum;
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur

dlei codex habet *abes*. Fabricius ad Horat. lib. I, Od. XII, hunc locum sic citabat, « intonsis gloria victor ades ; » pro, inquit, *gloria intonsorum ;* quales Romani veteres fuerunt. At Brouckhus. expedivit suis exemplis, nunquam Romanos ita locutos esse, et *intonsum* semper cum alia voce substantiva, vel cum nomine proprio junctum fuisse ; quam demonstrationem ubi absolvit, statim ad tonsores transit, locum laudans Varronis de R. R. c. 11 ; secundum quem illi in Italiam e Sicilia primum post urbem conditam anno 454, migraverunt, a Ticinio Mæna adducti. Cæterum lectio *avis*, quæ Scaligero debetur nunc codicibus firmatur. H. Voss. quo pentametrum faceret vividiorem, *Et* in *Tu* mutavit.

35. *Huc ades*. Edit. Lips. cum aliis, *Nunc* pro *Huc*.

36. *Redditur* gratia pro beneficiis acceptis. Catul. Carm. LXV, vs. 150 : « Hoc tibi, quod potui confectum carmine munus Pro multis, Alli, redditur officiis. »

37. *His vita magistris*. Corvin. *queis ;* quod amplexi sunt H. Voss. et Bach. favente Heynio : at nos vulgatam servandam censuimus.

38. *Desuevit. Destituit* minus aptum huic loco quam *desuevit*, quod legitur in libris melioribus.

39. *Primum. Primi* erat in secundo Wittiano. *Tigilla* sunt tigna parva, siveperticæ, quibus pectinatim positis, et fronde, vel arundine, aut stramine intectis, fit tuguriolum ad habitationem agrestem. BROUCKH.

40. *Exiguam... domum*. Lucret. lib. V, vs. 953 : « Sed nemora atque cavos monteis, silvasque colebant Et frutices inter condebant squalida membra, Verbera ventorum vitare imbreisque coacti. » Brouckh. existimat *domus* appellationem splendidiorem esse quam quæ talibus conveniat habitationibus ; quamobrem *casam* in textum recepit e quibusdam codicibus. At ille, dum citandis locis operam dabat, Horatii, ut opinor, immemor fuit, qui lib. III, Od. 1, vs. 22 : « Somnus agrestium Lenis virorum non humiles domos Fastidit. »

41. *Primum*. Librorum magna est varietas, quum alii, quorum est Paris. *primi* habeant, alii contra *primum*. Gebhardus, Voss. et Bach. pro *servitium*, legunt *servitio ;* pro *docuisse*, iidem *domuisse :* hoc quidem e libris, illud e conjectura Gebhardi ; vulgatam enim *docuisse servitium* parum concinne dictam declarant. Nihilominus præstat vulgata, quæ integra librorum testimonio fulta est ; quum contra Gebhardi lectio, non nisi immutatione facta, constare possit. Hic ruris Dei tauros *docuere servitium*, id est *servire homini*. Su-

Servitium, et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri: tunc consita pomus;
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas;
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
Mixtaque securo est sobria lympha mero.

pra, lib. I, El. IV, vs. 17, legimus: « Longa dies homini docuit parere leones. »

43. *Tunc consita pomus.* Excerpta Lipsii habent *insita*, quod Brouckh. Voss. Bach. amplexi sunt; aiunt enim opponi arboribus silvestribus et feris, eas quæ in hortis inseri solebant, unde melior iis natura conciliaretur. De hoc inserendi genere, jam Lucret. V, vs. 1360, locutum esse, etc. Alteram lectionem Heynius tuetur. « Nec enim ad prima vitæ mitioris initia insitio retrahi potest, sed exquisitiorem vitæ cultum exspectare id inventum debuit; tum vero ignorari non poterat, quod ex vitæ communis usu tenemus, arbores etiam silvestres satione et cura in mitiorum arborum censum primum venisse. » Brouckh. lectorem per omnia scriptorum loca ducit, ubi de insitione vocabulum quantulumcunque occurrit.

44. *Irriguas.* Noster active posuit, quæ *irrigant;* sic etiam Maro, Georg. IV, lib. vers. 32: « irriguumque bibant violaria fontem. » Alias passive ponitur: Horat. lib. II, Sat. IV, vs. 16: « irriguo nihil est elutius horto. » Naso, Metam. lib. VIII, vers. 646: « Quodque suus conjux riguo collegerat horto. » Propert. lib. I, El. XX, vs. 37: « Et circum irriguo surgebant lilia prato. » BROUCKH.

45. *Aurea tunc pressos.* Complures libri, ut Paris. et Lips. *Antea:* falsum. Nonnulli habent *tum.* Diodorus Siculus, Biblioth. lib. I, ait Osirin, sive Bacchum vitis culturam primum invenisse. Jovianus Pontanus, Am. lib. I, Carm. 18, pulchre cecinit hoc inventum. BERTIN hic quoque eximii, in imitando Tibullo, ingenii documenta dedit, qui hunc in modum superiora imitatus est, lib. III, Eleg. V:

C'est lui qui le premier, au gland tombé des chênes,
Fit succéder l'olive et le don des vergers.
La feuille alors couvrit l'asile des bergers,
Et le sol altéré but les sources prochaines.
Alors on maria la vigne au peuplier;
Sous les pressoirs rougis des flots de vin coulèrent;
Le taureau sous le joug apprit à se plier,
Et sur un double essieu les chars pesans roulèrent.

46. *Est* a tacente Brouckhusio in finem versus rejectum, vulgo in medio legitur; idque suavius. HEYN. — Voss. quo in verba substantiva infenso animo est, hanc voculam omnino exsulare jussit. Huschkius exempla quædam inducit, quibus aperte ostendit Tibullum, plerumque τὸ *est* in penthemimeri usurpasse. Tu vid. ad lib. I, El. I, vers. 34; Eleg. IV, vs. 32; lib. II, Eleg. V, vs. 36; vide etiam Propert. lib. IV, Eleg. I, vs. 58; Ovid. Fast. lib. I, vers. 526. Achilles Statius ait: « *Securo*, quod capiti non noceat: an potius quod securos et curis solutos reddat. » Prior interpretatio, si Brouckhusio confidas, non nauci est; altera verior et Achille dignior. Tu ipse eligere poteris, utrum vi-

Rura ferunt messes, calidi quum sideris æstu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede;
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante Deos.

num idcirco *securum* dicatur, quia admixta aqua est; an contra *securum* τῷ *sobria* oppositum, eo sensu intelligendum sit, quod curas abigat.

48. *Annua terra*. Quæ quotannis renovatur; hinc annuus agricolæ labor. Sic Catullo aliisque poetis *Luna* dicitur *menstrua*; legitur etiam in libris *arida*.

49. *Rure levis verno flores*. Fruterius *vernos flores* legebat, eo quod *vernum rus* non alibi, *flores* autem *vernos* passim odoratus esset. Gebhardus *vernum rus* tuetur. Brouckh. ait neutrum verum esse; τὸ *verno* enim referri debere ad *alveum*, non ad *rus*, non ad *flores*; addit denique Brouckh. Junio mense castrata esse alvearia. Voss. et Bach. cum Gebhardo fecere, et *rure* cum *verno* jungendum esse docent; ita enim postulare sinceram ac nativam construendi rationem; sane temporis epitheta, quod ipse agnovit Brouckhusius, eleganter ad ipsas res transferuntur. Sic Ovid. Art. Amat. lib. I, vs. 367, *matutinos capillos* dixit; sic Cicero pro Milone: « Nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. »

51. *Satiatus*. Scaliger conjecit *lassatus*, quod textui obtrusit. In duobus apud Brouckh. *defessus*; sed glossam olet hæc lectio. Heynius hoc loco sese valde dubium præstitit: « *Satiari* dicimur rebus quæ nobis gratæ jucundæque vel sunt, vel videntur, quas ante cupide appetiveramus, quibus expleti sumus et quarum copia, vel nimio usu fastidium contraximus; non autem miseriis, laboribus et ærumnis, nisi de iis ita disseritur, tanquam aliquam voluptatem afferant. » At Huschkius expedivit posse aliquem ærumnis et laboribus satiari. Euripid. Phœn. *κόρον ἔχουσ' ἐμῶν κακῶν*; Homer. Odys. lib. IV, vs. 541, *αὐτὰρ ἐπεὶ κλαίων τε κυλινδόμενός τ' ἐκορέσθην*.

52. *Cantavit certo* etc. Primum quidem Hymni sunt inventi, ac Chori: deinde etiam qualiscunque comœdiæ rudimenta, jactis alterno cantu opprobriis; vide Horat. lib. II, Epist. 1, vs. 139, et eruditas ibi Dacerii notas.

53. *Modulatus avena*. Vulpius *modulatus* in *meditatus* mutat, sed quæritur cui bono? Æneidos immemor erat doctus ille vir, ubi in ipso initio Virgilius *gracili modulatus avena* dixit.

54. *Ut ornatos diceret ante Deos*. Muretus est, qui *duceret*, quæ lectio olim erat vulgaris, in *diceret* emendavit, librorum auctoritate fretus. Brouckh. fuse docet *ducere carmen*, gravioris operæ esse, quam ut rustico homini conveniat: verbum

Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus, a pleno memorabile munus ovili,
Dux pecoris hircus : duxerat hircus oves.

autem *dicere* in rebus levioris momenti usurpari. Idem *ornatos Deos* sertis coronatos esse vult. Sed Huschkius ait : « Dicit autem ille (agricola), nunc carmen, quod *primum* avena modulatus erat, ad celebrandos, *laudandos Deos*, hoc est, Hymnum; quare *ornatos* hic sumo pro *laudatos*, honoratos. Quo sensu sæpe aliquis *ornari* dicitur vel simpliciter, vel etiam adjecta voce *laudibus*. » Sed pace eruditi viri Brouckhusius sensum videtur protulisse meliorem : modulatur carmen agricola, solus secum, ut festis diebus, tunc quum Dii ornati erunt, perite ante illos cantare possit.

55. *Et minio suffusus.* Ab Hymnis transit poeta ad Choros, qui vel maxime in honorem Liberi patris instituti fuerant. Ideo autem minio inficiebantur, quia ipse Bacchus hoc metallo colorari credebatur. Rustici quoque Dii miniabantur. Virgil. Ecl. X, vs. 27 : « Pan, Deus Arcadiæ venit : quem vidimus ipsi Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem. » Brouckh. Plinius, lib. XXXIII, c. 7 : « Invenitur in argentariis metallis minium quoque, et nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis, et quondam apud Romanos non solum maximæ, sed etiam sacræ. Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque corpora : sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, et a censoribus in primis Jovem miniandum locari, etc., etc. »

56. *Inexperta duxit ab arte.* Omnes omnium libri consentientes, *arte* exhibent : sed Scaliger, cui opus erat arx Atheniensium ubi primam tragœdiam celebrare posset, *arce* legit. Sed ut bene notat Brouckh. infeliciter hoc in loco rem gessit vir magnus, et timeo ne sibilis consectemur ejus tragœdiam. De rudibus rusticorum choris agit Tibullus. Ars inexperta dicitur, cujus nullum factum est periculum.

57. *A pleno.* Guelf. 2. *e pleno;* ita lib. I, El. II, vs. 37, pro *de paupere mensa Dona*, alii habent *e paupere mensa Dona* : illud credo usitatius. Virgilius, Ecl. I, vs. 7 : « illius aram Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus. » Non obstat locus Catulli, XX, 12 : « Meisque pinguis agnus ex ovilibus Gravem domum remittit ære dexteram. » Husch.

58. *Dux pecoris hircus.* Emendavit Heinsius. *Dux pecoris hirtas duxerat hircus oves.* Quod Brouckhus. Strombeck, Voss. in textum intulerunt. Voss. etiam corrigere velit : *Dux hircus capras duxerat et oves.* Wasenberg contra : *Dux pecoris hircus : auxerat hircus opes.* Sed hæc omnia pro nugis habenda sunt, neque nauci existimo istas emendationes, vel potius depravationes. Sæpe sæpius in elegiis versus invenies, qui sententias subjiciunt ad rem augendam aptas, ut est illud Ovidii, Am. lib. III, Eleg. V, vs. 27 : « Utque procul vidit carpentes pabula

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam, teneris curam exhibitura puellis,
Molle gerit tergo lucida vellus ovis:
Hinc et femineus labor est; hinc pensa colusque;
Fusus et apposito pollice versat opus:
Atque aliqua assiduæ textis operata Minervæ

tauros; Carpebant tauri pabula læta procul.» Absint itaque *hirtæ oves*, montesque repetant. Nos Bachium nunc refellamus, qui verborum ordinem mutat, *Dux hircus pecoris* scribens; ait enim, eas tantum syllabas produci posse sequente *h*, quas sequuntur voces græca forma compositæ: ita ut hic ad producendam ultimam syllabam *ris*, cæsura opus sit. Thierschius est qui hanc inversionem proposuit, et adsunt quatuor libri Voss. 3 et 4, Monach. et Gotho., quibus hæc emendatio fulta, probari possit. Huschkius vulgatam servat; exempla, quinadeo præcepta afferens de productione ope sequentis *h* facta, nulla cæsura adhibita. Sergius enim dixit, p. 1830: « Tertius modus est, quum correptam vocalem duæ consonantes sequuntur, quarum prior est consonans et sequens *h*, quæ aspirationis a plerisque creditur nota.» Virgilius, lib. XI, Æn. vs. 69: « Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi.» Ausonius, 44, 4: « Mercator hodie, cras citharœdus eris.» Quod sequitur *duxerat*, Mureti emendatio est; cod. Paris. cum aliis et edit. veteres *auxerat*; Lips. *hauserat*; pauci *auferat*. Crediderim Heynium Tibulli sensum invenisse, quum dixerit: « Ultima addita intelligi debent, quod animal ἡγεμονικὸν jure datum fuerit ei, qui reliquis præstaret.» Sed idem hemistichium Tibullo abjudicat; immo distichon integrum ex margine irrepsise putat: meminerat aliquis Horatianum: « Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum;» nos sensum poetæ explanavimus, sibi habeat itaque Heynius suos asteriscos.

59. *Primum*. Brouckhusius, non monito lectore, edidit *primam*; inest hæc lectio H. Vossii primo et quinto.

61. *Teneris curam exhibitura*. Lanificium et ars textoria. *Curam exhibitura*, idem est quod græce χρήματα παρέχουσα.

62. *Molle... vellus*. Ovid. Fast. lib. IV, vers. 773: « Lanaque proveniat nullas læsura puellas, Mollis et ad teneras quamlibet apta manus.» *Lucida* nempe fluvio mersata salubri.

64. *Et apposito... versat*. H. Voss. e tribus reposuit *ut verset*, quasi hæc lectio sensum melius jungeret; sed longe elegantior est vulgata. Vid. vers. 60; et supra, lib. I, Eleg. II, vers. 82.

65. *Assiduæ textis operata Minervæ*. Cod. Paris. *assidue textrix operata Minervam*; sed inest *textis* Vossii tertio; *Minervæ* autem, præter Brouckhusii tres, etiam habent Vossii 1 et 4. Legitur *assiduæ* in quibusdam Vossii; Minerva græce epitheto ἐργάνης vocatur, et Horatius eam *operosam* dicit, lib. III, Od. XII, vs. 4.

Cantat, et applauso tela sonat latere.
Ipse interque greges, interque armenta Cupido
Natus, et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu.
Hei mihi! quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes, velut ante, petit: fixisse puellas
Gestit, et audaces perdomuisse viros;

66. *Applauso tela sonat latere.* Male Scaliger *sonant* receperat, quod nusquam legitur, nisi in solis duobus Gebhardi Palatinis, atque in Perreii Excerptis. Scaliger etiam *applu-so* scripserat. In Corvino legitur *appulso.* Muretus ediderat *a pulso.* Sed Heinsio commendante, Brouckh. e codd. antiquis *applauso* reduxit. Sic Virg. Æn. lib. XII, vers. 85 et 86: « manibusque lacessunt Pectora plausa cavis. » Sic et Valerius Flaccus de *Nymphis Bithynis*, lib. III, vs. 527: « tellus pede plausa sororum. » H. Voss. et Bach. ex uno Ang. mutant *applauso pectine tela sonat.* Isaac. Vossius ad Catullum notaverat *pectine lana sonat.* Præterea huic lectioni favet Ciris, vers. 179: «Non Libyco molles plauduntur pectine telæ. » Heynius merito ab H. Vossio, cum irrisione dimittitur, quippe qui *latus textricis* interpretatus sit, quum *latus telæ* significet hic locus. Hæc est, quæ pulsa pectine, vel radio sonitum edit. Tela tam ipsum opus est quod texitur, quam jugum in quo stamen explicatur. Sophocles sonitum illum mirum in modum expressit: ἡ τᾶς κερκίδος φωνή.

67. *Ipse interque greges.* Legebatur *Ipse quoque inter agros.* At Brouckh. genuinam e potioribus libris scripturam reducens, lepide ait: «Inter agros qui nascitur, eum in aliqua fossa aut scrobe nasci oportet. Neque arbitror latine ita efferri posse, non magis quam si dicas inter urbem nasci. » In Pervigilio Veneris, vers. 76: « Ipse Amor puer Dianæ rure natus dicitur. Hunc ager, quum parturiret ipsa, suscepit sinu; Ipsa florum delicatis educavit osculis. » Bertin, lib. III, Eleg. v:

L'Amour même, entouré de coursiers indociles,
De troupeaux mugissans, dans un bocage est né.
. . . .
C'est là qu'en grandissant il essaya ses armes:
Ses premiers traits, dit-on, se perdaient au hasard.
. . . .
Ciel! qu'Amour a depuis profité dans cet art!

68. *Inter equas.* H. Vossii quintus et edit. anni 1472, *aquas.*

69. *Indocto arcu.* In edit. Lips. *indomito*, ex superiore versu in hunc irrepsit.

70. *Hei mihi.* C. Paris. *Hey mihi*, Lips. *Heu.* Witt. unus Brouckh. et Hamb. *Heu.* Nos *Hei* cum Huschkio reposuimus; nam infra, in hujus libri Elegia vi, vers. 28, omnes libri in *Hei* consentiunt.

72. *Gestit, et audaces.* Unus Witt. *Gaudet*; in Colbertino *indomitos*, et pro diversa lectione *audaces.* Error ortus est e vers. 68; unde etiam in ed. Lips. apud Heynium, vers. 69. *Indomito ... arcu* venit pro *indocto*, cui Statius substituere malebat *indoctus.*

Hic juveni detraxit opes; hic dicere jussit
Limen ad iratæ verba pudenda senem:
Hoc duce, custodes furtim transgressa jacentes,
Ad juvenem tenebris sola puella venit;
Et pedibus prætentat iter, suspensa timore
Explorat cæcas cui manus ante vias.

73. *Detraxit opes.* Guelf. I, pro *opes* habet *opus*; idem habent cod. Paris et Askew. Colbert *et* pro *hic*; Laudi liber et Bodl. *ducere.*

74. *Iratæ.* Absolute, omisso *puellæ*, quod notandum. Propert. lib. I, Eleg. IX, vers. 22: « Et nihil iratæ posse negare tuæ. » Idem lib. III, Eleg. VIII, vs. 28: « Semper in irata pallidus esse velim. » Non possum, quin hoc loco de senili amore venustissimam imitationem referam, quam fateor, jam ad primi libri secundam Elegiam adscribere debuissem; sed mihi, nescio quo fato, exciderat:

Mais tremble, ô toi qui ris de mon tourment!
Tremble! l'Amour t'en réserve un terrible.
Censeur malin, crains cet arc invincible,
Qui d'un seul coup frappe et venge un affront.
Pour avoir ri des maux de la jeunesse,
A ses chagrins pour avoir insulté,
Que d'imprudents j'ai vus, dans leur vieillesse,
Tendre leurs mains aux fers de la beauté,
Balbutier un aveu ridicule,
Se parfumer, parer leurs cheveux blancs,
Et tout transis, au pied d'un vestibule,
De leur martyre amuser les passans!

BERTIN, lib. II, Eleg. I.

75. *Hoc duce.* In Gothano legitur *dulce*, loco *duce*, manifesto errore.— Heynius hic iterum impedimento est, quominus puella per vias ad juvenis domum perduci se patiatur. Non sinit ille pudicitiæ indefessus custos, ædibus suis exeat, jubetque amatorem domi exspectet ac recipiat. Verum Tibullus aliter statuit; quippe qui eam solam venire dixerit, et sunt profecto janitores, quos *custodes jacentes* adpellat poeta; ita ut necessario puella fores transgrediatur domumque derelinquat.

77. *Et pedibus.* Junior Burmann. legi vult, « Et digitis prætentat iter. » Ovid. Met. VIII, 398: « Institerat digitis, primos suspensus in artus; » Seneca. Epist. III, *summis digitis ambulat.* Sed hæc omnino diversa sunt. Puella iter prætentat pedibus, sicut Phœnix cæcus apud Ovidium, in Ib. vs. 262; et Œdipus apud Senecam, vs. 656: « Baculo senili triste prætentans iter. » Eademque simul dicitur explorare vias manibus, ut etiam cæci dicuntur χερσὶ ψηλαφᾶν.

78. *Explorat cæcas cui.* Ovid. Fast. lib. II, vs. 336: « Et præfert cautas subsequiturque manus. » Nescio quid sibi velit Heynius, quum dicat: « Legendum videtur ex genio poetæ, vel *sed*, vel *et*. » *Cui* omnibus sensum præbet idoneum facilemque. At H. Voss. qui jam per aliquot versus textui pepercerat, ex alia Heynii conjectura *dum* reposuit, causam intersèrens incommodum esse τὸ *cui* post *cæcas*, et insuper, particulam *dum* eumdem locum obtinere, lib. I, Eleg. III, vs. 56: « Messalam terra dum sequiturque mari. » Huschkius exclamat: « Mirum commentum! nonne etiam pronomen *cui* hunc locum obtinet. » Lib. I, Eleg.

Ah miseri! quos hic graviter Deus urget! at ille
Felix cui placidus leniter afflat Amor.
Sancte, veni dapibus festis; sed pone sagittas,
Et procul ardentes, hinc procul, abde faces.
Vos, celebrem cantate Deum, pecorique vocate

VI, vs. 40 : « Effluit effuso cui toga lapsa sinu. » Non possum quin illustrissimi Galliarum poetæ aliquot versus hic transcribam, VOLTAIRE, in narratiuncula quæ inscribitur ISABELLE et GERTRUDE.

Cependant elle hésite, elle approche en tremblant,
Posant sur l'escalier une jambe en avant,
Etendant une main, portant l'autre en arrière,
Le cou tendu, l'œil fixe, et le cœur palpitant,
D'une oreille attentive avec peine écoutant.

Credideris poetam gallicum secundo et tertio versuum quos citamus, Tibulli distichon ad verbum fere vertisse.

79. *Urget!* Potens verbum et efficax, aut de majore vi cui resisti nequit, ut si Phœbus urget vatem Pythiam, si furor Bacchicus ingruit mentibus ; aut de malis a quibus respirandi nullus locus nec tempus est : petitum autem illud a procella ac vento graviter incumbente et ingruente. HEYN.

80. *Cui placidus leniter afflat Amor.* Sumtum est ab aura secunda, qua favor et studium toties exprimi solet; est adeo cui Amor propitius est, ᾧ ἐπιπνεύσῃ ἐνδέξιος, dixeris secundum Callimachi illud epigramma IX, et Theocr. XII, vs. 10. Εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες. Alia, etsi non multum dissimili ratione, dixit idem de Berenice, Idyll. XVII, πᾶσιν δ' ἤπιος ἠδὲ βροτοῖς μαλακοὺς μὲν ἔρωτας προσπνείει, quod ab afflatu Deorum petitum, quo ἐνθουσιαστῶν homines dicuntur; sic quoque infra, Eleg. IV, vers. 57 : « ubi indomitis gregibus Venus afflat amores. » HEYN.

81. *Sancte, veni dapibus festis.* Pompeius Festus ait : « Daps apud antiquos dicebatur res divina, quæ fiebat aut hiberna semente, aut verna : quod vocabulum ex græco deducitur, apud quos id genus epularum δαὶς dicitur. Itaque et daptice se acceptos antiqui dicebant, significantes magnifice : et dapticum negotium, amplum ac magnificum. »

82. *Procul* altero loco reposuit Scaliger e suo libro, cui et alii accedunt. Vulgo exaratum erat *precor;* Edit. Romana habebat : « Et procul ardentem hinc precor abde facem. » Cæterum *precor* eadem varietate confunditur cum *procul*, Lib. III, Eleg. VII, vers. 20 : « ite a me, seria verba, procul. »

83. *Vos, celebrem cantate* etc. Burmannus correxerat *celerem*, parum apte.—H. Voss. ita interpungit ut jungatur *Voce palam*. Sed sensus melius procedit, si legas, *Vocate voce;* tum sequitur distinctio a poeta facta, pecori vocandum esse Deum *palam*, scilicet ut inde agricola magnum proventum habeat : sibi vero *clam* quisque Deum vocet, quia ejusmodi vota ut invidiosa tacite concipere solebant. In Aldina olim *Palem* editum, ubi nunc *palam*. Ennius exprimens Homerum, lib. VII, vs. 130, apud Ciceronem, Divin. I, c. 20 : « Quanquam multa manus ad cæli cærula templa Tendebam lacry-

Voce, palam pecori : clam sibi quisque vocet;
Aut etiam sibi quisque palam : nam turba jocosa
Obstrepit, et Phrygio tibia curva sono.
Ludite : jam Nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro;
Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis

mans, et blanda *voce vocabam.*» Virgil. lib. VI, Æn. vers. 247: «Voce vocans Hecaten cæloque Ereboque potentem.»

85. *Sibi quisque palam*. Infra, lib. IV, carm. 5: «Optat idem juvenis quod nos; sed tectius optat, Nam pudet hæc illum dicere verba palam. At tu, Natalis, quoniam Deus omnia sentis, Adnue quid refert clamne palamne roget?»

86. *Obstrepit, et.. tibia curva*. Edit. minor anni 1472, *Obstrepet et Phrygio sydera fulva toro*; in utraque editione omissi sunt versus 87 et 88.— Servius, Æneid. lib. IX, vers. 618, ad verba *biforem cantum*, bisonum imparem, «et servavit eis tibiarum suarum, id est, Phrygiarum, naturam. Tibiæ, aut Serranæ dicuntur, quæ sunt pares, et æquales habent cavernas; aut Phrygiæ, quæ et impares sunt, et inæquales habent cavernas; ergo *biforem*, dissonum dissimilemque. Non sunt enim pari modulatione compositæ, ut enim ait Varro: Tibia, Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.» Ipse quidem calamus non erat curvus, sed adfixum habebat cornu, aut codonem æreum curvum, quo sonum ederet graviorem. BROUCKH.

87. *Jam Nox jungit equos*. De curru Noctis fusius egit Brouckhusius, quem valde offendit Tibulli liberalitas; hic enim, lib. III, Eleg. IV, vers. 17, Noctem *nigris quadrigis* donavit, quæ tamen aliis poetis non nisi humilibus bigis vecta dicatur. Transactione illustris Brouckh. litem dirimit; æstate enim quadrigas Nocti concedit, ea lege ut hieme equos duos dimittat, bigisque subvecta incedat. At nos illum cum Deæ aurigis rixantem, non abducendum censemus; et ad cætera jam progredimur.

88. *Matris lascivo* etc. In Hymnis Orphicis, VI, Ἀστέρες οὐράνιοι, Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης... Theocritus, Idyll. II, nobis pariter ostendit sidera noctem sequentia: χαίρετε δ' ἄλλοι Ἀστέρες, εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα Νυκτὸς ὀπαδοί.

89. *Fuscis circumdatus alis*. Somnum inter Deos alatos ponunt poetæ; vid. Senec. Herc. fur. vs. 1068: Silium, lib. X, Punic. vs. 344; Propert. lib. I, Eleg. III, ubi Passeratius multa congessit; Euripid. Hecuba, vers. 71, πότνια Χθὼν, μελανοπτερύγων μᾶτερ Ὀνείρων.— Brouckh. e libris reposuit *fuscis*; vulgo legebatur *fulvis*; unus Statii codex *nigris* habebat. Livineius. Fruterius, Douza, Passeratius et Heinsius conjecerant *furvis*, ex quo natum vitiosum illud *fulvis*. Virgil. lib. VII, vs. 408: «Protenus hinc fuscis tristis Dea tollitur alis.» Idem lib. VIII, vs. 369: «Nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis.» Ipse Tibullus, lib. III,

*

Somnus, et incerto somnia vana pede.

Eleg. IV, vs. 55 : « Et, quum te fusco somnus velavit amictu, Vanum nocturnis fallit imaginibus. »

90. *Et incerto somnia vana pede.* Brouckhusius, nescio quo furore incitatus, somniis nunc crura torquet, legitque *vara*; nulla alia re fretus, quam locis quibusdam Horatii, Plauti, Martialis, qui de hominibus varis passim locuti sunt, nunquam de somniis: tum ad canum crura et ad boum cornua transit, denique ad arborum ramos; quæ omnia quid cum somniis commune habeant non liquet. Heyn. Voss. et Bach. *nigra* amplexi sunt, quod plurimis inest libris; et sane Ovidius, Fast. lib. IV, vs. 661 : « Interea placidam redimita papavere frontem Nox venit, et secum somnia nigra trahit. » Heinsius, ne forte *nigra* idem esset quam paulo ante *fuscis*, emendabat *somnia pigra.* Laudi liber mendose exhibet *mera.* Nos jam ad superiorem versum citavimus Tibulli ipsius locum, ubi usurpatur *vanum* eodem fere modo. Tametsi enim ibi *vanus* is dicitur, quem somnia fallunt, tamen ad eundem modum dicuntur *somnia vana; vanis* autem somniis bene convenit *pes incertus.* Virgilius, Æn. lib. VI, vers. 283 : « In medio ramos annosaque brachia pandit Ulmus opaca, ingens : quam sedem somnia volgo Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent. » Ovidius, Met. XI, vs. 613 : « Hunc circa passim varias imitantia formas Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas, Silva gerit frondes, ejectas litus arenas. » *Incertos* inerat Heinsii uni, adhæserat enim littera *s* e sequenti voce ; nec erat itaque cur Broukh. conjiceret *incertos pedes*, græcismumque suspicaretur. Nihil de Jacobsii emendatione *nixa* diximus : nam, ut notat Huschk. in hisce omnibus, commemorare est refellere. Morpheus utrum senex sit an juvenis apud doctos non constat. Ill. Visconti multa disseruit, quæ tu legere poteris, si lubet. Adi pariter Winckelm. Tab. 110, Mon. ined.

ELEGIA II.

DICAMUS bona verba : venit Natalis ad aras.

1. *Venit Natalis ad aras.* Heynius puellæ *Natalem* intelligit, Sulpiciæ scilicet, quam lib. IV, arsisse amore in Cerinthum videbimus. Cerinthum autem libertinum homuncionem fuisse Græculumque declarat doctus ille vir ; quocirca multum anxius, ne connubium impar illustri loco natam puellam, cum puero minoris existimationis jungeret, aliam induxit ex ingenio, paris sortis sponsam. Tu, Vitam Tibulli adeas, ubi ne eadem semper recantemus, de cujuscunque elegiæ argumento agimus, idque ordine. — Minime ineptum est, sed usu receptum, fingere Deos ad sacra sua accedentes. Deinde *dicere bona verba*, est locutio ab-

Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.
Urantur pia tura focis, urantur odores
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,

soluta, ut *omnia bona dicere*. Cyllenii itaque interpunctionem amplexi sumus. *Dicamus bona verba*: *venit Natalis ad aras*. Brouckhusius rem ita ordinavit, ut *dicere bona verba....ad aras* legeret, et *venit Natalis* pro sensu interposito haberet. Torrentius distinxerat: *venit Natalis: ad aras quisquis ades*. Et Heynius ait: forte hoc unice verum.

3. *Urantur pia tura*. Omnem ritum sacri natalitii, ex Ovidii Trist. III, El. XIII, disces. Adde Propert. lib. III, El. X; Horat. lib. IV, Od. XI; Tibullum nostrum, lib. I, El. VII; lib. IV, carm. 6. Si quidem hoc quoque Albianum est, ac non potius lepidissimæ Sulpiciæ. Bn.

4. *Tener Arabs*, mollis, convicio omnibus Orientalibus communi; Catullus, carm. 11; Manilius, lib. IV, vs. 652; Claudianus, de quarto consulatu Honorii, vs. 258. Sed quæ est notio voculæ *mollis* apud hos poetas? Ambigunt magistri. Servium audiemus, Georg. ad lib. I, vs. 57; « Sabei (inquit) populi sunt juxta Syriam et Arabiam: dicti Sabæi ἀπὸ σέβεσθαι, quod apud eos tus nascitur, quo deos placamus. *Molles* autem ideo ait, vel quod sub aere clementiore sunt...; aut certe quia Alexander Magnus dicitur obscœnos omnes ab exercitu suo segregatos, illic condidisse. » In alia omnia ibat Valerius Probus, ibidem loci: « Sabæi natio est Arabiæ: quos molles *vitio* sermonis, quia parum viriliter loquantur, dicit. » Quod sane non est de nihilo; nam et in Romanis proceribus hoc ipsum vellicavit Persius, sat. I, vs. 32; et Claudianus, lib. I, in Eutrop. vs. 261. Sed potius est ut *tener* hic significet *imbellem*, qui opponatur duro ac forti. Vides, amice lector, quantum sudaverit Brouck. cujus hæc sunt, in re quæ luce clarior erat. Neque tamen integram ejus notam transcripsi, ne forte exemplorum mole paginas multas onerarem. Quid, si nostros poetas eadem notarum nube illustraremus? Nemo certe est quin illud Voltairii primo adspectu intelligat:

... Et la molle Ionie
Sous un joug odieux languit assujettie.

Possem tamen huic vocabulo tantas totque notas subjicere, quot ille et quantas vocabulo latino; quo facto nihil sane proficerem, nisi forte ut lectorem prohiberem quominus poetam intelligeret.

5. *Ipse*... *Genius*. De Genio vide ad calcem voluminis quæ disseruimus. H. Vossius veterem structuram turbavit, Heinsium secutus; et fuerunt ejusdem opinionis Bauer, Wunderlich. et Bach. non absque codic. auctoritate. Quinadeo Voss. et Bach. dicunt syllabam *us* hoc loco non produci posse ope cæsuræ, quippe quæ sensum non finiat. Hos optime refellit Husckius; cadit productio consonantis in penthemerin, ut ap. Virgilium, Æneid. XI, vers. 469: « Concilium ipse pater et magna incepta Latinus; » et lib. IV, vs. 235: « Quid struit? aut qua spe inimica in gente moramur? » Veteres non in sex pedes disponebant genus he-

Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro destillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.
Adnuat et, Cerinthe, tibi quodcunque rogabis.

xametrum, sed in duas partes, ita ut moram post primam tertii pedis syllabam facerent paulo breviorem, quam versu finito. Redit res ad observationem Varronis ap. Gellium, XVIII, c. 15: « Omnimodo quintum semipedem verbum finire; et priores quinque semipedes, æque magnam vim habere in efficiendo versu, atque alios posteriores septem. » Tanta autem masculæ hujus cæsuræ vis est, ut poetis epicis vel vocalem brevem in hac versus regione producere liceat; quod fecit Virgilius, Æn. lib. XII, vers. 648: « Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ. » Hæc fere præfatus Huschkius subjicit: « Tibullo hanc licentiam denegavi supra, ad lib. I, Eleg. VII, vs. 61, nisi fallor, recte. Sed nunc de productione consonantis agitur, quæ in hac regione minorem, immo nullam habet dubitationem. » Servet itaque pristinum suum locum Genius, faventibus editionibus et codicibus.

6. *Mollia serta.* Edit. Romana cum Aldinis, *florea serta*, forte ex lib. I, El. I, vs. 12. Muretus reduxit *mollia*.

7. *Illius puro.* H. Voss. qui nullam immutandi occasionem prætermittit, duobus Brouckhusii cod. et Thuaneo fretus legit: *Illius et pura destillent tempora nardo*; qua in re Bach. habuit assentientem. Heinsius ad Ovid. Ep. XV, vs. 76, corrigit, *Illius Assyria* vel *et Syria*, eo quod Horatius quoque nardum vocet *Assyriam*; lib. II, Od. XI, vers. 16: « Recte sane Horatius; sed et recte noster Albius, cui aliter loqui visum fuit. » Hæc Brouckhusii verba sunt qui non semper hujus præcepti memor fuit.

8. *Atque satur libo.* Servius ait: « Liba sunt placentæ de farre, melle et oleo, sacris aptæ. » Dicta autem sunt liba quod diis libarentur. Alii ab Libero patre derivant; vide Ovid. Fast. lib. III, vers. 733; vide pariter apud Brouckhusium exempla ab illo de hac re congesta.

9. *Quodcunque rogabis.* Guyetus correxit *rogaris*. Heyn. et Voss. idem legendum statuunt, perperam: nam in omnibus libris sibi constat scriptura. Nihil frequentius constructione præsentis conjunctivi cum futuro indicativi, interposito adverbio *quodcunque*; Tibullus, lib. I, Eleg. IV, vs. 39: « Tu puero quodcunque tuo tentare *libebit Cedas*; » Horat. in Art. Poet. vs. 339: « Ne, quodcunque *volet*, *poscat* sibi fabula credi; » Ovid. Art. Am. lib. III, vers. 275: « Exiguo signet gestu, quodcunque loquetur. » Pro *Cerinthe*, ad quod nomen ducunt certe variantes libri, Brouckh. reposuit *Cornute*; multi codices habent *Cherinte*, *Cherynte*, *Chorynte*, *Cherime*. Ex hisce processit mendosum illud *Cornute*, quo recepto, Sulpiciam Brouckh. Cornuto cuidam, qui præturam urbanam gessit, Hirtio et Pansa consulibus, dono dat, jubetque ut illi nubat puella; quæ tamen, si minus hoc edicto contenta sit, alium sibi maritum sumat, dummodo Sulpi-

En age, quid cessas? adnuet ille: roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores;
Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos.
Nec tibi malueris, totum quæcunque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove:
Nec tibi gemmarum quidquid felicibus Indis
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. Viden' ut trepidantibus advolet alis,

ciæ gentis, vel Cæciliæ sit, quarum cognomen *Cornuti* erat: verum Cerintho abstineat Sulpicia: nam Cruquius Horatii numeris insedens, scortum declarat fuisse Cerinthum illum, ad lib. II, Sat. II, vs. 81.

10. *Adnuat.* Excerpta Lipsii *adnuet*, quod Heinsius malebat: vulgo *adnuit.*

11. *Uxoris fidos optabis* etc. Uxore hoc loco iterum prohibet Cerinthum Brouckhusius, dicens: « Non reapse sed spe et voto. » *Uxor* tamen et *maritus* de iis præcipue dicitur, qui jam connubio juncti sunt.

12. *Jam reor.* Quod tacite jam votum istud concepit. HEYN.

14. *Valido... bove.* Brouckhusius lectorem monet, subesse huic loco enallagen numeri; in Italiæ enim solo pingui ac denso pluribus bobus aratum fuisse. Cf. Plin. lib. XVIII, c. 18. Idem Brouckh. addit: « Est autem valde artificiosa hujus pentametri structura, duobus in priore tmesi epithetis, quæ dispescuntur uno verbo regente; binis deinde subjectis sequentibus, quæ tertium rursus subjectum separat. »

15. *Felicibus Indis.* Ita reposuit Brouckh. e libris; vulgo *undis* legebatur. Jam Fruterius conjecerat *Indis*, ineratque edit. Brix. Venetisque, cum commentarrio Cyllenii.

16. *Eoi qua maris unda rubet* etc. Brouckh. hic de rubro maris colore agit, testimoniaque inducit consueto more.

17. *Trepidantibus.* Ita Brouckhusius e libris revocavit; vulgo erat *strepitantibus.* Passim etiam occurrit *utinam* loco *viden ut*: immo plurimis inest; sed Guyetus et Heinsius merito ad similitudinem lib. II, El. I, vs. 25, genuinam reduxere lectionem. De epitheto *strepitantibus*, ait Brouckhusius: « Non placet epitheton vastum in deo pusillo. » Tum adserit *trepidare* esse alacritatis et celeritatis verbum, quod exemplis demonstrat; vide Ovid. Met. lib. I, vs. 506: « Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ; » non enim ibi solus metus est, sed et summa adceleratio, et festinatio diligentissima. Idem, Pont. lib. II Epist. II, vs. 37: « Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales Audet ad humanos fessa venire sinus; » Maro, Æn. lib. IV, vs. 121: « Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt; » Horat. lib. II, Od. IV, vs. 23: « Cujus octavum trepidavit ætas Claudere lustrum; » idem, Od. III, vs. 12: « obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo; » et lib. I, Epist. X, vs. 21: « Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum Quam, quæ per

Flavaque conjugio vincula portet Amor?
Vincula, quæ maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiatque comas.
Hic veniat natalis avis, prolemque ministret;

pronum trepidat cum murmure rivum?» lib. IV, Od. II, vers. 11: « Sordidum flammæ trepidant rotantes Vertice fumum. » Brouckhusius denique his laudatis subjecit: « vides motum tremulum, agilem, inquietum, qualis est alarum in aere motarum. »

18. *Flavaque... vincula.* Cyllenius hæc de Veneris zona intelligit; sunt qui vincula *flava* esse nolint, et *firma* legant vel *fausta*, vel denique *aurea*. —*Flavus* color nuptiis maxime proprius ab omni ævo fuit; vide Plinium, lib. XXI, c. 22; Ovid. Met. lib. X, vs. 1.

19. *Vincula quæ maneant.* Gothanus habet *Vinctaque maleant*, vitio scripturæ.

20. *Inducat rugas. Cani* et *rugæ* ferme conjungi solent apud bonos scriptores. Cicero, de Senectute, c. 18: « Non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt. » Propert. lib. III, El. XXV, vs. 13: « Vellere tum cupies albos a stirpe capillos, Et speculo rugas increpitante tibi; » Ovid. Art. Am. II, 117: « Et tibi jam cani venient, formose, capilli: Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent; » adi pariter Horat. lib. IV, Od. XIII, vs. 12. BROUCKH.

21. *Hic veniat natalis avis.* Olim legebatur, *Huc veniat natalis avis;* quod Scaliger de cornice interpretabatur, quasi concordiæ symbolum esset; et non negaverim, Ælianum illi fulcro fuisse, quippe qui de veterum consuetudine meminerit, secundum quam in nuptiis cornix vocabatur. At nihilominus eadem avis Plinio dicitur: « Ales inauspicatæ garrulitatis, inauspicatissima fœtus tempore. » Præterea *cornicis* vocabulum ut probrosum in mulieres detriti floris usurpari solebat. Adi Hor. lib. IV, Od. XIII, vs. 25; Mart. lib. X, Epig. 67. Heinsius proposuit: « Hac venias natalis avi, prolemque ministres: » ita ut simile sit illius carminis apud Horat. lib. I, Od. XV: « Mala ducis avi domum Quam multo repetet Græcia milite. » Heynius ait. « *Avis*... constanter legitur. Suspicabar latere *avos*, ut esset: *Sic venias, natalis, avis;* aut *Hic veniat natalis avis, prolemque ministret;* hoc est, magnis natu vobis, etiam prole parata, ut avorum nomine adpellemini, hic natalis redeat: ita et ante tuos pedes sint, Cerinthi... » In Corvin. legitur: « Hic veniat natalis: avus prolemque ministret. » Denique his omnibus conjecturis defessus Heynius, distichon pro panno adsuto habendum esse vult: neque Heinsii emendatio eum placare potest. Heinsius et Vossius *hac avi*, de Amore alato intelligunt: alii de augurio, ut apud Ovid. Metam. lib. VI, vers. 433: « Hac ave sunt juncti Procne Tereusque: parentes Hac ave sunt facti. » Huschkio tamen consentio, qui non videt cur Heinsius *veniat* et *ministret* mutaverit in *venias* et *ministres:* quinadeo ego non video cur aliquid mutaverint viri docti, præsertim quum libris quatuor (Vossii 5, cod. Paris. Hamb. et Gothan.)

Ludat et ante tuos turba novella pedes.

insit : « Hic veniat natalis avis, prolemque ministret. » *Veniat* idem quam *redeat*.

22. *Novella*. A vitibus translata locutio. Vide Varron. de Re Rust, cap. 31 ; Columell. lib. V, cap. 6 ; Pallad. lib. VI, tit. 2 ; lib. XII, tit. 2. Virgilius quoque dixit, Ecl. III, vs. 11 : « Tum credo, quum me arbustum videre Myconis, Atque mala vites incidere falce novellas. » Hinc est *novellare*, novas vites ponere. BROUCKH. — Heynius malit *ludat ut*, quod Vossius e cod. Ursin. suscepit. Plerique interpretum non *Cerinthi* pedes, sed ipsius *natalis* intelligunt : quæ interpretatio a lectione superioris versus pendet : nam, si *veniat*, *ministrat* legere velis, τὸ *tuos* certo ad Cerinthum pertinebit. Sin autem natalis vocandi casu sumatur, necesse erit *tuos* etiam ad natalem spectet. Ego, qua sententia sum, prius amplector, propter librorum fidem, alterum vero, quamvis acuti ingenii inventum sit, rejicio, ut Tibullo nativam simplicitatem servemus. Heynius, qui *hac avi* edidit, Natalis pedes, non Cerinthi intelligit.

ELEGIA III.

RURA meam, Cerinthe, tenent villæque puellam :
Ferreus est, eheu ! quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus lætos jam nunc migravit in agros,

1. *Cerinthe*. Eadem hic varietas notatur quæ supra : ita ut in aliis *Cornute* sit, in aliis *Charime*, *Corinthe*. Vulgata olim lectio erat : « Rura tenent, Cornute, meam villæque puellam. »

2. *Ferreus est, eheu !* Permultis codicibus inest lectio, *heu ! heu !* quam sequitur H. Voss. qui τὸ *eheu* iambum esse existimat. Idem *si quis* ex Vaticano, pro *quisquis* : ait enim, Ovidium pariter dixisse, Am. lib. II, Eleg. XIX, vers. 4 : « Ferreus est, si quis, quod sinit, alter amat. » Denique Vossius addit, poetam ope τοῦ *si quis*, sese ipsum, percusso animo, designasse ; τὸ *quisquis* autem omnes urbis juvenes simul et confertim in puellam immittere, ita ut si in textum *quisquis* recipias, exageratio huic loco subsit. Sane ista confutatione non indigent. Hoc distichon BERTIN sic reddidit, lib. III, Eleg. IV :

Ma maîtresse retourne à sa maison des champs.
Quel cœur barbare et dur peut rester à la ville !

3. *Lætas*. Nunc sic legitur emendatione Mureti ; antea *latos* lectum. H. Vossius non potuit, quin *latos* revocaret ; ex oppositione enim dici propter angustiorem urbem. Deinde, ut omnia mutaret, verba *jam nunc migravit* suspecta habuit, reposuitque *jam commigravit*. Amo-

Verbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego, dum adspicerem dominam, quam fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum!
Agricolæque modo curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves!

rum enim comitatu, Nympharumque profectam esse Deam. In edit. Vicent. adest *notos*. Heinsius etiam suam salis micam adtulit, conjiciens *Latios*. Nos Mureti emendationem probamus, quæ etiam Excerpt. Lips. inest; *læti agri* sunt agri virentes. Horat. lib. IV, Od. IV, vers. 13: « Qualemve lætis caprea pascuis ». Ovid. Fast. lib. IV, vs. 476: « Sacrorumque Melan pascua læta boum. » Occurrunt exempla multa τοῦ *jam nunc*, quod severa fronte damnavit Vossius. Terent. Andr. Act. I, sc. I, vers. 144: « Eamus nunc jam intro. » Catull. carm. LXIV, vers. 143: « Nunc jam nulla viro juranti femina credat. »

4. *Verbaque ... discit.* In gemmis antiquis occurrit Amoris imago, ubi rastrum, seu vomerem tenet. Credideris nostrum ad Moschi Amorem arantem respexisse. Unus Statii habet *miscet*. Vossius, lib. III, ed. Lips. *dixit*.

5. *O ego, dum adspicerem dominam.* Vulgo legebatur: *O ego, quum dominam adspicerem*, quod ad Heynium usque prævaluit; sed. H. Vossius, ducibus libris fere omnibus, editionibusque vetustissimis, *adspicerem* priore loco scripsit. Idem, nullo adsentiente libro scripto, *ut* pro *quum*, suscepit ex ingenio. Heynio arriserat lectio *dum*, quæ Brouckhusii uni inest; et est sane sincera scriptura; præsertim si te ad vers. 75-78 referas, ubi Tibullus se agros sulcaturum esse dicit, *si modo sit copia videndi dominam.* Similiter lib. I, Eleg. II, vers. 75, scripsit: « Et te dum liceat teneris retinere lacertis, etc. »

6. *Valido ... bidente.* Est in nonnullis *calido*: idque præferebant Cyllen. et Gebhardus; sed Brouckh. *valido* tuetur, quia in opere faciundo firma ac ponderosa instrumenta requiruntur. Adi Lucret. lib. V, vs. 209 sqq.

7. *Curvum sectarer aratrum.* Quum in quibusdam libris legamus *curvus*, Brouckhusius exempla induxit, ubi arator *curvus* est, alia ubi aratrum; ita ut dubius lector hæreat, non quo se vertat habens. Heynius declarat *curvum*, *incurvum*, *uncum*, *aduncum*, perpetuum vomeris et aratri esse epitheton; H. Vossius ipsum aratorem ocquiniscere jubet, quia Plinius dixit: « Arator, nisi incurvus, prævaricatur. » Huschkio cod. Lips. lectio fere placet: « Agricolæque modo circum sectarer aratrum, ut ἀμφίκειν τὸ ἄροτρον, apud Græcos dicitur. »

8. *Dum subigunt steriles.* H. Vossius *subigant* inculcavit, scriptum esse pro *subigerent* adfirmans, et ita sæpe sæpius accidere, ut *dum* cum tempore verbi peracto jungatur. Sed non a verbo *sectarer* pendet hoc loco τὸ *subigunt*; pentameter sensum efficit certum, et nulla conditione determinatum. Possis cum Huschk. rem sic explanare: « et curvum sectarer aratrum, » agricolæ modo, id est, « sicut agricola curvum sectatur

Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
Læderet aut teneras pustula rupta manus.
Pavit et Admeti tauros formosus Apollo;
Nec cithara, intonsæ profueruntve comæ;
Nec potuit curas sanare salubribus herbis.
Quidquid erat medicæ vicerat artis Amor.
Ipse Deus solitus stabulis expellere vaccas,

aratrum, Dum subigunt steriles arva serenda boves. »

9. *Nec quererer, quod sol.* H. Vossius *quom* reposuit, cujus corruptelam esse *quod* declarat, Guyeti sententiam secutus; sed latino sermone dicitur *queror quod*, non *queror quum.* C. Nepos, Chabr. 3: « Tum præfecti regis Persiæ legatos miserunt Athenas, questum, quod Chabrias adversum regem bellum gereret cum Ægyptiis. » Valer. Max. lib. IX, cap. 2 et 11: « Queramur nunc cum natura rerum, quod nos adversæ valetudinis incommodis obnoxios esse voluerit. » Adi Ciceronem, Acad. c. 25, et Plinium jun. lib. VII, Ep. IV, de Ciceronis quodam epigrammate: « Nam queritur, quod fraude mala frustratus amantem, etc. »

10. *Læderet aut teneras.* In quibusdam pro *aut*, adest *et*. Edit. Romana, *Læderet et.*

11. *Pavit et Admeti tauros.* Boves pavisse Apollinem fert communis opinio; equas alii custodiendas tradunt ei, et alii quidam oves; qui omnes inter se litem transigendo componant, dummodo Apollinem ab anseribus immunem servare velint. Nec minor contentio orta est inter doctos, utrum ille Deus, sponte Admeto serviisset, an coactus? Prius tuentur Callim. Hymn. in Apoll. vs. 49; Plutarch. in Numa; Ovid. Epist. Œnon. vers. 151, et Art. Am. lib. II, vers. 239; et Met. lib. II, vers. 679; Seneca, Hippol. vers. 296. Alterum Hyginus adserit, Fab. 50; Lucan. lib. VI, vers. 368; Valerius Flaccus, lib. I, vers. 444, 566; Statius, Theb. lib. VI, vers. 375, etc.

12. *Profueruntve comæ.* In cod. Guelf. 3, legitur *profuerantque;* si interpretaris ad amorem Admeti sibi conciliandum, anteponenda erit hæc lectio hoc modo: Non cithara, non intonsæ comæ *profuerant*, sed profuit pavisse tauros; sin autem intelligas, nec cithara, nec comæ Apollinem contra Jovis dura imperia defendere potuerunt, quominus tauros potum duceret; tunc *profuerunt* mihi anteponendum videtur. Ut ut est, vulgatam servavi.

14. *Quidquid erat medicæ vicerat artis Amor.* Ovidius, Metam. lib. I, vers. 521: « Inventum medicina meum est; opiferque per orbem Dicor; et herbarum subjecta potentia nobis. Hei mihi! quod nullis amor est medicabilis herbis: Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus artes. »

15. *Ipse Deus solitus* etc. Hoc distichon immensam doctis disserendi materiam suppeditavit; in editionibus et libris ante Scaligerum leguntur quatuor versus, quos ille ejecit: « Ipse Deus solitus stabulis ex-

Et potum pastas ducere fluminibus.
Tunc fiscella levi detexta est vimine junci,

pellere vaccas, Et potum pastas ducere fluminibus; Et miscere novo docuisse coagula lacte, Lacteus et mistus orbriguisse liquor.» De priore hexametro, contendi fere non potest; quippe qui libris scriptis insit omnibus; nec refert quod Cyllenius *depellere* legi velit; *expellere* dicit Ovid. Metam. lib. II, vs. 843. Non possumus itaque, quin hexametrum pro genuino habeamus. Hoc simul ac nobis concessum est, sequitur adfuisse olim pentametrum, qui, qualis fuerit videamus. Sunt qui Aurispam arcessant, ut ei iterum versum Tibulli condonent; quem ne auferat ille cavendum est. Fateor, scripturam mirum in modum agitatam esse hoc loco. De lectione *fessas* pro *pastas*, vel de lectione *et ponam fessas*, tacendum censeo; jam iis obviam eundum est, qui integrum versum mutant. In cod. Guarneriano: « Ipse ad umbrosas ducere fertur aquas.» In Corviniano: « Cogere cum parvum matre simul vitulum.» In libris Mureti: « In nemora et pastas inde referre domum.» In aliis ejusdem Mureti, in Statianis, in Dresd. Guelf. 3, et Paris. « Creditur ad mulctram constituisse prius;» vel ut in uno legitur Palat. *pocus*. Tres istos priores, jam orationis forma spurios esse docet, ut bene notat Huschkius. Quarto si Dresd. codici confidas, auctor est Seneca, cujus nomen librarius in margine adscripsit. In Paris. totus versus minoribus literis exaratus est, quanquam ab eadem manu; addita item hæc nota: *Seneca supplevit*. Rejiciendi sunt itaque hi quatuor pentametri, ut nihil jam supersit, nisi forte Noster. Ecce Muretus supervenit, qui hunc Aurispæ vindicat, nititurque vetere quodam codice, ad cujus marginem scriptus est versus cum hac additione, *versus Aurispæ*. Huschkius idem cum Mureto existimans, addit: « Nempe Aurispa hunc versum fecit ad exemplum Virgilii, Ecl. IX, vs. 23: « Pasce capellas Et potum pastas age, Tityre;» perperam tamen verbo *agere* substituens *ducere*. Nec recte sumitur: *ducere vaccas fluminibus*, sed *agere ad flumina*. Virg. Ecl. V, vers. 24: « Non ulli pastos illis egere diebus Frigida, Daphni, boves ad flumina.» Nisi forte ineptus interpolator, verba ita accipi voluit, ut potum construeretur cum fluminibus.» Nugari nobis videtur doctissimus vir, quum subjiciat: «Bubulci non ducunt armenta, sicut pastores interdum oves, sed ea sequuntur.» Versum quem recepimus defendunt Guelf. 1, 2, 3; quinque Palatini, Angl. 5, et Berol. 2. Non erat itaque cur exclamaret Huschk.: «Nam si hic admitteter, quidni etiam distichon quod veteres non respuerunt editores?» Genuino hexametro pentametrum submittere necesse erat; qui quum multum in modum torqueretur, et omnino diversus legeretur, accidit, ut quis duos pentametros in suo libro habens, hexametrum intercelaret, et inde profectum est, procul dubio, distichon quod aliis aliter egere visum est. Ad marginem ed. Vicent. in Bibl. Goetting. adscripsit Pontanus: « Ipse et spumanti fertur mulctralia succo, Implesse expressis primus ab abietibus;» vel, ut rectius legitur in Guelf. 2, *uberibus*.

17. *Levi detexta est vimine*. Prior

Raraque per nexus est via facta sero.
O quoties, illo vitulum gestante per agros,
Dicitur occurrens erubuisse soror!
O quoties ausæ, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves!
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus;
Venit et e templis irrita turba domum.
Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa noverca prius.
Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos
Adspiceret, Phœbi quæreret ille comam.
Delos ubi nunc, Phœbe, tua est? ubi Delphica Pytho?

Wittianus, *texta est de vimine junci.* Minus recte.

19. *O quoties, illo* etc. In multis *Ah.* Sed supra lib. I, El. III, vs. 19: *O quoties ingressus iter;* et Eleg. IX, vs. 41: *O quoties lumina nocte tuli.* Aliter se res habet apud Propertium: hic semper ubi exclamatio est dolentis, scribit, *Ah quoties!* ubi lætantis, *O quoties!* HUSCHK.

20. *Occurrens erubuisse soror. Soror* est Diana; vel Luna: vide Valer. Flaccum, lib. I, vers. 448.

21. *Caneret dum valle* etc. *Dum* Heynium offendit, H. Vossium et Bachium, qui omnes *quum* reposuere. Oudendorp. ad Frontinum docet, ferendum esse *dum*, si esset *quamdiu*. Nescio quid deliraverint viri docti, qui Virgilii omnino immemores sese præstiterunt; ait enim ille. Georg. lib. IV, vs. 457: « Illa quidem *dum* te fugeret per flumina præceps, Immanem ante pedes hydrum moritura puella Servantem ripas alta non vidit in herba. » Claudianus, XXXVII, vs. 101: « Quod timuit jam totus erat, sævusque Damastor Ad depellendos jaculum *dum* quæreret hostes, Germani rigidum misit pro rupe cadaver. » Adi Suetonium, Aug. c. 78; Frontinum, I, v, 2.

23. *Trepidis petiere oracula rebus.* Virgil. Georg. lib. IV, vers. 449: « Venimus, hinc lapsis quæsitum oracula rebus. »

24. *Venit et e templis.* Ita legitur inde ab Aldina secunda: antea legebatur *a* templis. Ovidius, Art. Am. lib. III, vers. 637: « Quum fuget e templis oculos Bona Diva virorum. » H. Voss. *a* revocavit e suis; pariter Bach.

27. *Quisquis.* Unus Statianus, *Si quis.* — Hamb. *crinemque solutum.*

28. *Phœbi quæreret ille comam.* Non *agnosceret;* de verbo *quærere* fuse egit Brouckh. hoc loco. Non male vertit MOLLEVAUT, qui usus est verbo *méconnaître;* prævivit tamen magnus Phædræ auctor, RACINE:
Et que méconnaîtrait l'œil même de son père.

29. *Delphica Pytho.* Est Phocidis oppidum apud Parnassum, quod alio nomine Delphi adpellabatur,

Nempe amor in parva te jubet esse casa.
Felices olim, Veneri quum fertur aperte
Servire æternos non puduisse Deos.
Fabula nunc ille est : sed cui sua cura puella est,
Fabula sit mavult, quam sine amore Deus.
At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido

auctor Pausanias in Phocicis. Cyllenius perperam exposuit de Pythone serpente, quem Apollo sagittis confecit. Meminit hujus oppidi Lucanus, lib. V, vers. 137 : « seu barbarica cum lampade Pytho Arsit. » Brouckh. — Notabilis est constantia librariorum, veterumque editorum, pro *Python*, vel *Pytho*, scribendi *Phyton*, *Phito*, *Phyto*. Nec lectio hæc sensu cassa est, ne quis erret. Nam Phyto nomen est Sibyllæ, non quidem Delphicæ, sed Samiæ. Primus, quod sciam, Aldus reposuit *Pytho*, quod posterioris ævi editores retinuerunt, præter Vossium, omnes; utram igitur formam præferemus, *Python* an *Pytho?* Græca, inquit, forma *Python* nobilior est, quasi Pytho non sit forma græca. Pindarus, Pyth., lib. V, 116: Τῷ μὲν Ἀπόλλων ἅ τι πυθῶ κῦδος ἐξ ἀμφικτιόνων ἔκοψεν ἱπποδρομίας. Sine dubio retinenda est forma *Pytho;* nam *Python* latinis scriptoribus est ipse serpens. Husckh.

30. *In parva te jubet esse casa.* Ovid. Art. Amat. lib. II, vers. 240 : « Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheræas Fertur, et in parva delituisse casa. »

31. *Aperte*, etc. Brouckhusius ait : « Membranæ posteriorum temporum non semper utuntur diphtongis; itaque cogitare possis *apertæ* hic ab antiquo fuisse: nam sane aperta Venus opponitur *furtivæ.* » Naso, Art. Am. lib. I, vs. 275: « Utque viro furtiva Venus, sic grata puellæ. »

33. *Sed cui sua cura.* Brouckh. conjicit legendum esse *cara*, ut lib. III, Eleg. 2: « Qui primus caram juveni, carumque puellæ Eripuit juvenem etc. » H. Voss. e Thuan. *sed si cui cura puellæ* recepit, quæ scriptura Gothano quoque inest: sed vulgata magis placet. Infra, lib. IV, Eleg. x, vs. 3: « Si tibi cura toga est potior. » Ovid. Met. lib. VIII, vs. 724: « Cura pii Dis sunt, et qui coluere coluntur. » Propert. lib. I, El. 1, vs. 35; « Hoc, moneo, vitate malum; sua quemque moretur Cura; » quo loco *cura* absolute ponitur pro *puella*, sicut græce etiam puellæ dicuntur μελήματα νεανιῶν.

35. *At tu, quisquis is es.* Scaliger disticha quatuordecim in VI hujus libri Elegiam transtulit. Consueto more, Brouckhus. in Scaligeri verba juravit. Heynius opinatur fragmentum alterius carminis huc irrepsisse, quod a superioribus sententiis prorsus dissideret. H. Voss. eosdem versus in novæ elegiæ formam redegit, eamque IV esse statuit; antecedentibus enim, ut existimat, adversantur hæc. Addit sermonem esse antea de puellæ desiderio, nunc subito in ferrea sæcula, in prædatores, in avidas puellas invehi poetam; hoc argumentum ab initio ita differre, ut necessario a quodam librario illati sint versus hi, qui nu-

Imperitat, nostra sint tua castra domo.
Ferrea non Venerem, sed prædam sæcula laudant;
Præda tamen multis est operata malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis;
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorque venit.

mero viginti-octo, paginam forte integram in codice tenebant: unde facile fieri potuit, ut librarium illum deceperit primum verbum; nam quum in utroque latere chartæ plagula *At* præberet, eaque casu avulsa, in libro jaceret inversa, exscripsit ille librarius, *At tu, quisquis es*, loco τοῦ *At tibi, dura Ceres*, quod scribere debebat. Pergit Vossius, et ait prius (*At tu quisquis est*) quartæ Elegiæ principium esse, quæ integrum latus chartæ ab altera parte occupabat. Hæc sunt quidem quæ H. Voss. somniat, nimis acuto ingenio. Bach. non quidem novam elegiam constituit, sed de oculorum aberratione refert, secundum quam *At tibi, Ceres* e pristina sede relegatum, τῷ *At tu, quisquis es* præpositum esset. Verum codicum auctoritas a Wunderlichio et Huschkio defenditur, idque merito: « Pendet enim series carminis a *cura puellæ*, vers. 33, quæ a divite *prædatore*, quem detestatur Tibullus, vers. 62, *abduci* se passa erat *ab urbe*, vers. 63; in *rura* et *villas*, vers. 1. Nam nisi *una cum* prædatore illo, quem dicit, vers. 43, ruri degisset Nemesis, quid impediebat Tibullum, quominus eam sequeretur, et cum ea viveret? Enimvero puellam ibi reperisset *clausam* domo prædatoris, vs. 75, 79. Hinc illæ lacrymæ. Tamen vel sic, inquit, eo properabo, ne servilem quidem denegaturus conditionem; nam si non *tangendi*, at erit saltem copia *videndi*, vs. 77. Ducite igitur, « ad imperium dominæ sulcabimus agros. » — *Tristi cui fronte*. Sic e tribus H. Voss. reposuit.

36. *Imperitat*. Quidam libri « *Imperat, in nostra sint tua castra domo*, quod Brouckhus. placet. Sed mera aberratio est a verbo *imperitat*.

37. *Venerem... Laudant*. Duo libri Scalig. *Pacem*; Gothan. *narrant*.

38. *Est operata malis*. Douza malebat *est adoperta*; quomodo dicitur, *sceleribus, flagitiis, miseriis coopertus*; et Noster alibi, *tenebris mors adoperta caput*. Sed ratio est nonnihil dispar; dicit poeta, eum, qui velit ex præda bellica ditescere, oportere ut multa impie faciat, multa item cupide atque avariter.

39. *Feras acies cinxit*. In Colbert. et in Thuan. erat *acies acuit*; quod Brouckh. amplexus, multis exemplis defendit. Vulpius antiquam revocavit lectionem. Non inficias eo *acuit* eleganter dici, sed propter *discordibus armis* præstare videtur *cinxit*. Nam *verbis*, *conviciis acuere* dicimur, non *armis*; quibus melius convenit τὸ *cinxit*, ut in Æn. lib. XI, vs. 536: « nostris nequidquam cingitur armis. » Brouckhus. pro *discordibus*, exhibet *crudelibus*; illud tamen nobis magis placet. Unus habet *auxit*, duo *finxit*, unus Statii *tinxit*.

40. *Hinc cruor*. Ovidius, Fast. lib. VI, vers. 599: « Hinc cruor, hinc cædes, infirmaque vincitur ætas. » Et Trist. lib. I, Eleg. XI, vers. 32:

Præda vago jussit geminare pericula ponto,
  Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus.
Prædator cupit immensos obsidere campos,
  Ut multo innumeram jugere pascat ovem;
Cui lapis externus curæ est; urbique tumultus,
  Portatur validis mille columna jugis;

« Quam cruor et cædes, bellaque semper habent. » Brouckh. quorumdam librorum lectionem recepit, *Hinc furor*; nam *cædem* pro *vulnere* positum existimat; « est igitur cædes prior cruore, cruor morte. » Ed Lips. et aliæ, quin et libri scripti quidam præbent *amor*, quod mihi perabsurdum videtur.—*Mors propiorque venit*, eodem sensu dicitur quo supra, lib. I, Eleg. x, vers. 4: « Tunc brevior diræ mortis aperta via est. »

41. *Præda vago jussit.* Nam et cum hoste res est, et cum elemento sævissimo, et cum exitiali ignium artificio. A præda dicuntur *prædones*, tam qui in mari, quam qui in terra latrocinantur. Brouckh.

42. *Bellica quum dubiis.* Scaliger e suis Excerptis profert, *Quum tribuit dubiæ bellica rostra rati*, quod Brouckh. rejicit: e consuetudine enim Tibulli esse declarat, ut priore hemisticho collocet bina epitheta, quæ dispescuntur una vocula media; in posteriore sunt bina subjecta, cum uno verbo regente, itidem medio. Brouckh. exempla subjicit multa, quæ hic non opus sunt. *Dubiæ* vocantur *rates*, quia vento et fluctibus jactantur.

43. *Immensos obsidere campos.* In quibusdam legitur *obsistere*. Eadem varietas infra, lib. IV, Eleg. I, vs. 152, occurrit inter *consistere* et *considere*.

44. *Ut multo innumeram* etc. Statius et Scaliger e scriptis, *Ut multa innumera jugerat pascat ove*; Heinsio probante. Brouckh. ex anterioribus edit. et codicibus sinceram scripturam revocavit. H. Voss. cui semper aliquid novi curæ est, ex Pocchi Excerptis legit: « *Ut mille innumera jugera pascat ove*, » quod latine dici vix credam. Melius immensis Campis opponuntur innumeræ oves, quas *multo jugere* pascit prædator.

45. *Cui lapis externus.* Gebhardus e Palatinis, *Quid lapis externus curæ est?* Sed interrogatio illa sensum abruptum facit; hæc enim ad prædatorem spectant. Brouckh. est, qui ex aliquot libris restituit *urbique tumultus*, quum ante legeretur, *urbisque tumultu*. Quocirca ab Heynio castigatur, quasi illud epico carmini accommodatius esset, quam elegis. Codex Paris. habet *urbisque tumultus*, quod etiam duobus aliis inest. In Regio, *urbisque tumulti*.

46. *Mille columna jugis.* Ante Statium et Scaligerum legebatur *multa columna*; perinde ac lib. I, Eleg. III, vers. 28, *multa tabella*, et in quibusdam libris, vers. 50, *multa via*: sed lectionem *mille* miro consensu firmant libri, paucis exceptis. H. Voss. qui superiori versui ex ingenio *quin* præposuerat, nunc *multa* recipit; sed Propertius obstat, lib. III, Eleg. v, vers. 5: « Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur. »

Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
 Negligat hibernas piscis adesse minas.
At tibi læta trahant Samiæ convivia testæ,
 Fictaque Cumana lubrica terra rota.
Heu! heu! divitibus video gaudere puellas!
 Jam veniant prædæ, si Venus optat opes;
Ut mea luxuria Nemesis fluat, utque per urbem

47. *Claudit et indomitum* etc. Locum optime explanant verba Valerii Maximi, lib. IX, cap. I, de Sergii Oratæ luxu dicentis: « idem videlicet, ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit, æstuariis intercipiendo fluctus, pisciumque diversos greges separatos molibus includendo. » Adi Varron. de Re Rust. cap. 17; Horat. lib. III, Od. I, vs. 33; et lib. II, Od. 15.—Ex eo genere erat lacus Lucrinus, de quo in portum Julium converso, vid. Georg. lib. II, vs. 161.

48. *Negligat*. Contemnat minas, non agitatus maris æstuosi rabie.

49. *At tibi læta trahant*. Scaliger ex suis veteribus eclogis hic malebat, *at mihi læta trahant*, quod propter sequentia minime probat Brouckh. Mox enim ait poeta, sibi quoque esse in animo prædas agere. Brouckh. interpretatur, quasi dixisset Noster, *At tibi*, qui militaturus es mecum in castris Cupidinis, præda ex vulgari militia contemta. Heynius vero: « Puellam alloqui putandus est; mox se ipsum admonet, frustra se hoc puellæ persuadere velle. » Huschk. non multum a Scaligero recedit, dicens: « Non male paupertatem suam opponeret opulentiæ prædatoris, seseque subito revocaret, vs. 51 et 52. Nec offensioni foret, vs. 63, repetita formula, *At tibi*, si hoc loco legeretur, *At mihi*. »—*Samiæ testæ*. Plinius ait, lib. XXXV, cap. 46: « Major pars hominum terrenis utitur vasis; Samia etiamnum in esculentis laudantur. » Plautus, Stich. act. V, sc. IV, vs. II: « Quibus divitiæ domi sunt, scaphio et cantharis, Batiolis bibunt: at nos nostro Samiolo poterio tamen vivimus. » Sensus itaque est; celebres convivia vasis fictilibus Samiis, frugalia quidem, sed læta.

50. *Fictaque Cumana* etc. De vasis Cumanis, vide Plin. lib. XXXV, cap. 46. *Rota*, in re figlina proprium vocabulum; Horat. Art. Poet. vs. 22, *currente rota cur urceus exit?* Stat. Silv. lib. IV, IX, 43, *cumano patinas in orbe tortas*.

51. *Divitibus video gaudere puellas*. Hujus rei indicium quasi quoddam præfert onyx ille apud Gorlæum, num. 32, in quo est Copia, plenum cornu sinistra tenens, dextra gubernaculum; adstat Cupido parvulus, motitantibus alis, protenso utroque brachiolo misere eblandiens, ut sibi aliquid impertiri velit. Brouckh.

53. *Ut mea luxuria Nemesis fluat*. De mollitie et luxu dicuntur *fluere* et *diffluere*. Propert. lib. II, Eleg. XXIX, vs. 26: « Neque ostrina quum fluit in tunica, » ubi tamen quidam legunt *fuit*. Terent. Heaut. Act. V, sc. I, vs. 72: « Ut illius animum,

Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.
Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis et admotis inficit ignis equis.
Illi selectos certent præbere colores,
Africa puniceum, purpureumque Tyros.

qui nunc luxuria et lascivia Diffluit, retundam.»

54. *Incedat donis* etc. Brouckh. ait: « Videlicet, ut prætereuntes inter se quærant: *cur hæc tam dives? quis dedit? unde dedit?* » Idem notat, verbum *incedere* præcipue muliebri fastui in ambulando convenire, quod exemplis simul ac absolvit, addit: « Denique ad fractas illas et teneras eundi delicias refertur, quas et mulieres adfectant; et viri mulieribus non firmiores. »

55. *Illa gerat* etc. Quibusdam inest *gerit*, sic etiam cod. Paris. duo codices *Choa*, unus *Thoa*.

56. *Auratas disposuitque vias*. Vestem auro variegatam, virgis aureis inter telas procurrentibus, describit Maro, Æn. lib. IV, vs. 264, et lib. VIII, vers. 660. — Salmasius de veste reticulato opere contexta intelligebat, ita ut fila aurea reticulatim et fundatim intexta a Tibullo *viæ* dicerentur. Confer eundem ad inscript. Herodis Attici, pag. 271. Brouckh. de veste virgata, hoc est, virgis, sive ductibus aureis variegata. Sed simpliciter *vias* de subtemine accipio, quod aurum erat quomodocumque intertextum staminibus alterius coloris. Ita et de loco Virgilii, Æn. lib. IV, vers. 264, et lib. XI, vs. 75, sentiendum: *et tenui telas discreverat auro*. Heyn. — Cæterum adi Plinium, lib. XI, cap. 27, et lib. VI, cap. 20. — Burmannus *vias* in *vites* mutavit. Ayrmann. in Vita Tibulli, legi jubet *auratis vitis*.

57. *Illi sint comites fusci*. Terent. Eun. act. I, scen. II, vs. 85: « Nonne ubi dixti cupere te ex Æthiopia Ancillulam, relictis rebus omnibus Quæsivi? » In Moreto legitur, vers. 31: « erat unica custos, Afra genus, tota patriam testante figura. »

58. *Solis et admotis* etc. Indorum nomine veteres sensu latiore usi sunt, ita ut etiam Africæ populos complecteretur quosdam. Pro *equis* unus Brouckhusii habet *aquis*. Hæc confusio omnibus fere locis recurrit, ubi sermo est de Indis sole perustis. Vide infra, lib. IV, Eleg. II, vs. 20.

59. *Certent*. Isaaci Vossii quintus habet *certet*.

60. *Puniceum, purpureumque*. Pulchre de puniceo colore, deque purpureo disputat Salmasius, Exercit. Plin. pag. 1331. Coccina Africana intelligit, et purpuras Tyrias. Lucretius, lib. II, vs. 833, claris verbis utrumque colorem distinxit: «Ut fit, ubi in parvas parteis discerpitur aurum, Purpura, puniceus que color clarissimu' multo. » Itemque Varro, lib. IV, de L. L. « Purpura a purpuræ maritimæ colore Pœnicum, quod a Pœneis dicitur illatum. » Brouckh. — Cod. Askew. habet *puniceos*. Is. Voss. 4, *Thyrus*.

Nota loquor; regnum ipse tenet, quem sæpe coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.
At tibi, dura Ceres, Nemesin quæ abducis ab urbe,
Persolvat nulla semina terra fide;
Et tu, Bacche tener, jucundæ consitor uvæ,

61. *Regnum ipse tenet.* Heynius putat luculentius fuisse, si *ille* vel *iste* reposuisset, propter sequentia. H. Voss. quà audacia est, *iste* in textum suscepit. — *Quem*, Statio e suis monente, Muretus revocavit. Cod. Paris. cum edit. min. an. 1472, *quæ*. Olim legebatur *quo*.

62. *Barbara gypsatos.* Codex Lips. *lexatos*, pro *gypsatos*; in aliis, *lapsuros*, *lapsatos*, *bissatos*. — Catasta erat locus, tabulatum, sive pegma, ubi venales exponebantur emturis. De catasta fuse dixere Philander, ad Vitruv. lib. VIII, cap. 4; Casaubonus, ad Pers. Satir. VI, vers. 77; Joseph. Scaliger ad Propertium, lib. IV, Eleg. v, vers. 52; Raderus, ad Martial. lib. VI, Epig. 29; Barthius, ad Papin. lib. II, Silv. I, vs. 72; Gronovius, Diatr. Statian. cap. 16. —*Barbara* dicitur catasta, quia in ea servi natione barbari exhibebantur. —De pedibus gypsatis Plinius refert, lib. XXXV, cap. 58: «Est et vilissima (creta) qua Circum præducere ad victoriæ notam, pedesque venalitiorum trans mare advectorum denotare instituerunt majores.» In fine ejusdem libri, indignatur Plinius, quod senatus, jubente Agrippina, libertos ornamentis prætoriis auxerit, eosque *tantum non cum laureatis fascibus* remiserit *illo unde cretatis pedibus advenissent.*—*Sæpe coegit.* Scaliger intelligit: sæpius redhibitus propter vitiositatem.

63. *At tibi, dura Ceres.* Hos versus Scaliger, multique interpretum post trigesimum quartum locant. Heynius, qui textui pepercit, suspicatur eosdem fragmentum esse, neque præstare velit lacunam nullam factam. De junctura vide quæ ad vers. 35 notavimus. Vulgo legebatur *dura seges*, aberratione solemni. Heinsius e conjectura refinxit *Ceres;* ita enim optime convenit cum Baccho, qui proxime subsequitur; quos Deos et alibi conjunxit noster Tibullus. Sic hujus libri Eleg. I, vs. 3: «Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres;» et lib. IV, Carm. I, vers. 164: «Non illic colit arva deus, Bacchusve, Ceresve.» Librarii quidam ediderunt, *Nemesim qui abducis ab urbe;* cod. Paris. *Nemesis qui abducis;* in aliis *quia*. Defendi potest tamen vulgata *quæ abducis;* Scaliger e vetere libro revocavit *quæ*, quod jam Ald. exhibent. Ita Terent. Adelph. Act. IV, scen. IV, *an illam hinc abducet pater?*

64. *Nulla...fide.* Cod. Hamb. *rustica terra.* Nihil frequentius imagine qua semina agro credi dicuntur; hinc *agri fides*, quum *reddit*, *persolvit* fructus. Horat. lib. III, Od. I, vers. 30, *fundusque mendax;* Od. XVI, vers. 30, *et segetis certa fides meæ.*

65. *Bacche tener.* Bacchi partes hic suscipit Brouckh. adversus artifices, qui Deum illum pingunt obesum ac pinguem; quum tamen testimonia antiqua omnia miro consensu nobis juvenem, eumque gracilem

Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impune licet formosas tristibus agris
Abdere : non tanti sunt tua musta pater.
O valeant fruges, ne sint modo rure puellæ;
Glans alat, et prisco more bibantur aquæ.
Glans aluit veteres, et passim semper amarunt;
Quid nocuit sulcos non habuisse satos?
Tum quibus adspirabat Amor, præbebat aperte
Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.

ac vultu puerili, vel fere puellari ostendant. Brouckh. aliquot loca poetarum congessit, quibus rem omnino absolvit.

66. *Devotos.* Non pro *Baccho dedicatis* accipias, sed pro *defixis*, ut Horat. lib. III, Od. IV, vers. 27: « Non me Philippis versa acies retro, Devota non exstinxit arbos. » Eodem modo gallice usurpamus, *maudits.*

67. *Tristibus agris.* Qui tristitiam afferunt amatori, quia puellam ab eo absentem retinent. HEYN.

68. *Abdere.* Codex. Lips. cum uno Brouckh. et ed. Brix. *addere;* sed *abdere* proprium est verbum : sic Virgilius, Georg. lib. III, 95 : « Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis Deficit, abde domo. » Propert. lib. II, Eleg. XXXIII, vers. 12 : « Mansisti stabulis abdita, pasta, tuis. » Ovidius de puellis simile quidpiam cecinit in Med. Fac. vs. 29 : « Rure latent, finguntque comas; licet arduus illas Celet Athos, cultas altus habebit Athos. »

69. *O valeant.* Statius verba *O valeant fruges* cum sequentibus construit, idque merito. Muretus tamen et Heynius jungunt : *ne sint modo rure puellæ Glans alat;* sed ita voti conditio votum anteire videtur, sensumque debilitat.

70. *Glans alat.* Brouckh. hæc minime ad verbum intelligere vult; is enim glandis pastum et crudæ aquæ potum valde reformidat; quia « brutorum potius sunt quam hominum ratione præditorum. » Utut est, de glande dixit poeta et de aqua, perinde ac VOLTAIRE in satira dicta *le Mondain* :

> Dessous un chêne ils soupent galamment,
> Avec de l'eau, du millet et du gland.
> Le repas fait, ils dorment sur la dure :
> Voilà l'état de la pure nature.

71. *Et passim semper amarunt.* Guelf. 1, 4, edit. Rom. et Brix. *Glans aluit veteres, ut passim semper amarent.*—Promiscue Venere usi sunt, nullo certo fœdere amoris, nullaque invidia.

72. *Quid nocuit sulcos non.* In uno Statii legebatur, « Quis docuit, sulcos nos habuisse satos. »

73. *Tum quibus adspirabat amor.* Heyn. intelligit *adspirabat,* quasi esset quibus amor propitius erat; sed ut videtur, poeta dixit, omnes, quicunque amore incensi essent, Venerem habuisse facilem in umbrosa valle.

74. *Valle.* In Corvin. *nocte;* in Bern. *nemus* loco *Venus.*

Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
 Janua : si fas est, mos, precor, ille redi.
Ah! pereant artes, et mollia jura colendi,

75. *Nulla exclusura dolentes.* Brouckhusius *volentes* recepit, quod superioribus non male cohæreret; sed ut testatur Heynius, codices fere omnes *dolentes* habent, et dicitur sane de amatore excluso, ut apud Propert. lib. III, El. VIII, vs. 23 : « Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem. » Tibullus ipse, lib. I, Eleg. VIII, vs. 73 : « Sæpe etiam lacrymas fertur risisse dolentis. » Edit. min. an. 1472, *exjussura.*

76. *Mos, precor, ille redi.* In Monac. legitur *mox* pro *mos*. In Is. Vossii tertio : *mox precor illa redi.*

77. *Ah! pereant artes et mollia jura colendi.* Hoc versu Senecam quemdam onerant, qui etiam in Elegia secunda libri primi versum 26 condiderit, si quibusdam commentatoribus confidas. Plerique libri scripti nostrum hexametrum servant; quibus adde Corvin. Guelf. 1, 3; in aliis codicibus adest simul hexameter : « O utinam veteri peragrantes more puellæ.» Unde putarunt interpretes pentametrum medium excidisse in codice Regio, ubi uterque hexameter adest. Priori in margine adscriptum legitur, *Seneca supplevit sic*, et posteriori, *Philelphus vero sic.* In edit. Lips. in codice Guarn. et Excerpt. Lips. et Guelf. 4, legitur : « Mos, precor, ille redi; patientur rursus ut olim.» Nempe in Guarn. *patienter*; et in Excerpt. Lips. *patientes*. Pontanus denique sic fertur supplevisse in margine edit. Vicent. quæ servatur in Biblioth. Gœtting. : « O valeant cultus et tinctæ murice lanæ. » Quæ scriptura in Guelf. 2, in ipso carmine occurrit. Cæterum Vicentina editio duo disticha hic suscepit hoc modo : « Ha! pereant artes et mollia *jura* colendi, Abditur in solis si qua puella locis; O utinam veteri peragrantes more puellæ, Horrida villosa corpora veste tegant! » Nos primo vers. 4 submittimus, codicum plerisque freti, editionibusque optimis. Præterea quid villosis ac hirsutis vestibus convenientius opponi posset, quam mollis cultus et artes? Statius, Scaliger, Brouckh. et Bach. nobis consentiunt. Heyn. et Wunderlich. lacunæ signum posuerunt. Voss. conjectura adsequitur pentametros ambos ex eadem fluxisse scriptura : *peragrantes* enim nihil esse, nisi *pereant artes.* Huschkius infirmum sane argumentum profert ad hexametrum delendum; nempe Tibullum nunquam scripsisse *Ah! pereat*, sed *O pereat;* Propertium vero semper usurpavisse *Ah! pereat.* Sane hæc disputatio de lana caprina est. Scaliger malebat *mollis cura colendi*, legitur in Vicent. *rura*, et Heinsius emendabat *mollia rura colenti.* Heynio videtur *mollia jura colendi* insolens locutio; sed *jura colendi* apte dicuntur : sunt enim leges comendi. Nam, ut notat Brouckh. certos quosdam modos ponendi capilli atque aptandæ vestis sollicite observabant, non aliter ac jura ac leges. Ovid. Epist. Sapphus, vers. 73 : « Ecce jacent collo sparsi sine lege capilli. » Art. Am. lib. III, vs. 133 : *ne sint sine lege capilli.* In Medic. Faciei, vs. 25 : « Feminea vestri poliuntur lege mariti. » Ne aliquid silentio prætercam in loco tam impedito, hexametrum re-

Horrida villosa corpora veste tegant.
Nunc si clausa mea est, si copia rara videndi,
Heu miserum! laxam quid juvat esse togam?
Ducite, ad imperium dominæ sulcabimus agros;
Non ego me vinclis verberibusque nego.

feram qui in cod. Lips. et in quibusdam aliis, hexametro extremo isti, *O utinam veteri*, legitur substitutus: « Detur ut accedam dominæ provelle loquarque. » Ubi etiam *per-velle* et *puellæ* invenitur; sed hic versus manum olet interpolatoris. Scaliger, et qui eum secutus est Brouckh. vs. 77 ad 81, in libri primi Elegiam IX transtulit, quæ apud nos octava occurrit, eosque post sexagesimum sextum locavit.

78. *Tegant.* Habet unus Brouckh. *tegam*, quod Scaliger et Brouckh. in textum susceperunt; idem fecit H. Voss. Burmann. secundus malebat *tegar.* Ovid. Fast. lib. III, vs. 214, de Raptis Sabinis: « Mœstaque funerea corpora veste tegunt. »

79. *Si copia rara videndi.* Scaligeri emendatione legitur apud quosdam *nulla*, quum omnes omnium libri *rara* habeant. Tibullus queritur ob puellam rure latentem, quam videre quidem poterat, sed non nisi raro. Ecce Scaliger supervenit, qui ei omnino illa interdicit, ne unquam adire possit; sequentibus vero satis confutatur hæc conjectura. Terent. Eun. Act. IV, scen. II, vs. 10: « Nil est.—Quid nil? Si non tangendi copia est Eho, ne videndi quidem erit? »

80. *Laxam quid juvat esse togam?* Nemo est quin sciat laxas togas delicatorum fuisse. Brouckh. Heinsii conjecturæ accedit, secundum quam legendum esset *in laxa quid juvat esse toga*, et quum in quibusdam legatur *Heu miserum!* putat ille τὸ *in* accrevisse antecedenti *misero* scripturæ vitio; inest enim in libris etiam *Heu misero!* H. Voss. legit e suis *Heu misero! laxam quid juvat esse togam.* Huschkius ait: « Sive hoc modo legeris, sive illo, habebis semper versum dignum qui adjungatur superiori illi, *ah! pereant artes!* »

81. *Ad imperium.* E Gothano H. Voss. *et imperio* suscepit, nobiliorem esse locutionem hoc modo existimans, perinde ac in Æn. lib. V, vers. 726, *Imperio Jovis huc venio;* Sed Horat. lib. III, Od. VI, vs. 39, dixit: « Severæ matris ad arbitrium recisos portare fustes.

82. *Nego.* In Gothan. *negem* legitur, pariterque in cod. Askew. et Is. Vossii 4°. H. Vossius et Bach. hanc lectionem amplexi sunt, quasi latente temporis futuri significatione; nos vulgatam servavimus. Ipse Tibullus, libro primo, El. VI, vs. 37: « At mihi servandam credas, non sæva recuso Verbera, detrecto non ego vincla pedum. »

ELEGIA IV.

Hic mihi servitium video, dominamque paratam :
Jam mihi, libertas illa paterna, vale.
Servitium sed triste datur, teneorque catenis ;
Et nunquam misero vincla remittit Amor :
Et, seu quid merui, seu quid peccavimus, urit.

1. *Servitium*, ait Charisius Sosipater, Instit. Gram. lib. I, multitudo est servorum ; Servitus conditio serviendi : sed veteres indifferenter servitium et pro servitute posuerunt. » Brouckhusius exemplis demonstrat, poetas olim utroque vocabulo promiscue usos esse. In vulgatis ante Scaligerum scriptum erat *Sic*; in uno Brouckh. legitur *parari*; sed præstat altera lectio. Terent. And. Act. II, sc. 1, vs. 17; Heaut. Act. II, sc. II, vs. 115, Adelph. Act. V, sc. 1, vers. 6; eodem sensu participium usurpavit, cujus ad vim *parari* nullo modo accedere potest.

2. *Jam mihi*. Edit. min. an. 1472, cum Brix. et Venet. 1491, *vae*; quæ lectio inde orta est, quod, quorsum pronomen *mihi* referrent, dubitabant editores : nempe hoc pertinet ad verbum *vale*. Propert. Lib. III, Eleg. XXI, vs. 15 : « Romanæ turres, et vos valeatis, amici; Qualiscunque mihi tuque, puella, vale. » Euripides, Hec. vs. 430 : Χαῖρ' ὦ τεκοῦσα, χαῖρε Κασσάνδρα τ' ἐμοί.

3. *Servitium sed triste*. Sprengel. in libello germanico, *Neue Kritik der röm. dichter*, ita corrigere maluit, *Servitium, heu triste datur*; sed cur corrigere voluerit, non liquet.

4. *Remittit*. Scaliger *remittet* intruserat, quasi de futuris malis sermo esset; sed non reputavit, ille poetam nunc queri ob Amoris in se æternam sævitiam, quæ nulla intermissione duraret. H. Voss. edidit *ut — remittat*, e Statii conjectura, quam Excerpt. Lips. Colot. et edit. Gryph. 1534, firmatur.

5. *Et, seu quid merui, seu quid peccavimus*. Hunc locum interpretes mirum in modum vexaverunt. Heinsius emendabat *seu nil peccavimus*. Heynius priori loco hanc immutationem locavit, legitque, *seu nil merui, seu quid peccavimus*, ut lib. I, Eleg. X, vers. 5, *At nihil ille miser meruit*. Sed mox offensus est a subita numeri mutatione, et rursus immutavit, *Et seu quid metuit, seu quid peccavimus*; id est, seu quid vere commisi, seu quid suspicatur tantum et metuit de me, ne forte vinculis ruptis aufugere, et me ipsius imperio subducere tentem. Denique Heyn. quia in ed. Romana alia lectio conspicitur (pro *merui* exhibet illa *Veneri*), conjecit, *Et sævit Veneris, si quid peccavimus, ira*. H. Voss. qui τὸ *merere* æque in malam partem dictum esse putat, ei significationem tribuit pejorem, quam

Uror, io! remove, sæva puella, faces.
O ego! ne possim tales sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis;
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet unda maris!

est illa verbi *peccare* : quod Bach. et Huschk. probantes exemplo fulcire conantur e Terent. Andr. act. I, sc. I, vers. 112 : « Quid feci, quid commerui, aut peccavi, pater? » Ubi ait Donatus : « αὔξησις a majoribus ad minora, et *feci* quasi facinus dixit; facere enim quis et homicidium dicitur. *Commerui* minoris culpæ est. *Peccavi* multo minoris et levioris. » Nos, licet Heynius exempla collegerit, ubi *merui* in malam partem ponitur, nihilominus cum Wunderlichio sentimus, qui *merui* hic in bonam sumit partem; et sic postulat ipse sensus. Poeta se ab amore uri dicit, neque intelligere potest, Deusne in modum pœnæ ob admissum facinus sæviat, an præmium conferat ob egregium meritum. Sic apud Voltaire, Œdipus, quum de Laio refert, quem olim imprudens superaverat :

La victoire entre nous ne fut point incertaine.
Dieux puissans! *je ne sais si c'est faveur ou haine.*

Quod ad sensum attinet lector ipse eligat; nobis sat erit ostendisse nihil immutandum esse in hoc versu. Vulgo legebatur *uror*; sed hoc ex versu minore in superiorem migraverat.

6. *Uror, io.* Jungenda sunt hæc vocabula, perinde ac apud Ovid. Art. Am. lib. III, vers. 742 : « Labor io! cara lumina conde manu. » H. Voss.

7. *Possim.* H. Voss. et Bach. e quibusdam *possem* scripserunt, quasi ratio grammatica id postularet, præsertim propter sequens, *mallem*; sed Huschk. illos merito confutat exemplis apud ipsum Tibul. sumptis, lib. I, El. IV, vs. 63 : « Carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint Ex humero Pelopis non nituisset ebur; » et lib. I, El. VIII, vs. 22 : « Et faceret si non æra repulsa sonent; » lib. IV, Eleg. I, vs. 200 : « non magni potior sit fama Gylippi, Posse Meleteas nec mallem mittere chartas. » Plaut. in Mostel. act. III, sc. II, vs. 53, *velim ut velles*; Ovid. Her. XX, 49 : « Non sum qui soleam Paridis reprehendere factum Nec quemquam, qui vir, posset ut esse, fuit. » Propert. lib. IV, El. XI, vs. 47 : « Mi natura dedit leges a sanguine ductas, Ne possim melior judicis esse metu. » Hæc exempla an omnia sana sint Huschk. non disputat, sed Tibulliana illa procul dubio genuina. — *Dolores* Corvin. mutavit in *labores*.

8. *Quam mallem in gelidis.* H. Voss. hic præpositionem de sede sua dejecit, ut mendo scripturæ natam ex ultima verbi *mallem* litera.

10. *Unda maris.* Brouckh. ex aliquot libris *ira maris*, pro *unda maris* suscepit. Vulpius vero nostram lectionem propter sonum maris mugitum exprimentem tuetur. Acuti ingenii esse hanc observationem declarat H. Voss. qui tamen meliora edoctus, qua opinione est, *ira* reposuit. Sed *unda maris* cautem melius tundere videtur quam *ira*, quæ vox hoc loco nimis epica est; passim apud Virgilium invenies *unda Ocea-*

Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra est;
Omnia jam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi, nec carminis auctor Apollo;
Illa cava pretium flagitat usque manu.
Ite procul, Musæ, si nil prodestis amanti;
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo:
Nec refero Solisque vias, et qualis, ubi orbem

ni, pelagi, maris. Hor. Epod. XVII, vers. 54: « Non saxa nudis surdiora navitis Neptunus alto tundit hibernus salo. » MOLLEVAUT, hic nescio quid de navigio somniat, cui integrum versum condonat, repugnante Tibullo, qui *Naufraga* active posuit, ut Horat. lib. I, Od. XVI, vs. 10: « Quas neque Noricus Deterret ensis, nec mare naufragum. » Ovid. Met. lib. XIV, vs. 6, *Navifragumque fretum*; Valerius Flaccus; lib. I, vs. 585, *naufraga tempestas.*

Nunc et amara dies etc. Confer. Ovid. Heroid. XIII, vs. 104: « Tu mihi luce, dolor, tu mihi nocte venis; Nocte tamen quam luce magis. » Huic disticho in codice Lips. præpositum est posterius, vs. 13 et 14.

12. *Omnia jam tristi.* In Angeli Colotii cod. et in Exc. Lipsii adest τὸ *jam*, quod Brouckhus. suscepit, quamvis maluerit *nunc* e conjectura. Vulgo *nam*, quod H. Voss. ineptum esse declarat, auctoritatem aliorum etiam librorum adducens. — *Madere* est verbum copiæ plenæ atque uberis, translatum a re infectoria. Lucret. lib. IV, vs. 793, *Arte madent simulacra.* Horat. lib. III, Od. XXI, vers. 9: «Non ille quanquam Socraticis madet Sermonibus, te negliget horridus. » Jocose Plautus *madide madere* eum dixit, qui esset probe vino saburratus. Pseudol. Act. V, sc. II, vs. 7: « Molliter siste nunc me, cave ne cadam: Non vides me, ut madide madeam. »

13. *Nec prosunt elegi.* PARNY eleganter apud nos de poetis meminit, quos puellæ neglexerunt: ait enim in poematio quod inscribitur *la Journée champêtre*:

La vanité sourit à leur hommage;
On leur prodigue un éloge flatteur;
Mais rarement de l'amour de l'ouvrage
La beauté passe à l'amour de l'auteur.
Lorsque Sappho prenait sa lyre, etc.

14. *Cava pretium flagitat usque manu.* Brouckhus. hæc ad verbum interpretatur, nec reputavit metaphoram esse qua utitur poeta. Non erat itaque cur nobis puellam ostenderet dejectis oculis cavam manum porrigentem, quod omnino absurdum est, quum prius pudicitiæ, posterius vero, meretriciæ procacitatis insigne sit.

15. *Si nil prodestis amanti.* Hæc est cod. Florentini scriptura; vulgo *non. Nil* etiam Isaaci Vossii quatuor libris inest.

16. *Colo.* Sprengel. conjecit *rogo*, hoc sensu: *Non ego vos interrogo quomodo* etc. Parum probabiliter. BACH.

17. *Ubi.* Scaligero debetur. Voss. et Bach. suffragantibus multis libris, scripsere *ut.* Verum in omnibus Statianis, in Paris. in Excerpt. Lips. adest *ubi.* Huschk. demonstrat τὸ *ubi* in hac versus regione sæpe re-

Complevit, versis Luna recurrat equis:
Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.
Ite procul, Musæ, si nihil ista valent.
At mihi per cædem et facinus sunt dona paranda,
Ne jaceam clausam flebilis ante domum;

periri. Horat. lib. II, Sat. vi, vers. 102: « rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos; » et lib. I, Epist. xv, vers. 38: « Si quid erat nactus prædæ majoris ubi omne Verterat in fumum et cinerem. » Deinde amant poetæ conjunctionem particularum *qualis, ubi*. Virgil. Æneid. lib. II, vers. 471: « Qualis, ubi in lucem coluber mala gramina pastus. » Accedit consuetudo Tibulli, lib. I, El. iv, vs. 31: « Quam jacet, infirmæ venere ubi fata senectæ; » et lib. II, Eleg. vi, vers. 49: « Sæpe ubi nox promissa mihi est. » Edit. Venet. ann. 1491, *nec qualis*, ut est in uno Angl. et Guelf. 1; et hoc malebat Heinsius sine dubio hanc ob causam, quod præcedente negatione, *et* negandi item vi male inferri censeret.... Gravis error; qui ne latius serpat, cavendum est. Quin ipse Bentleius ad Horatii Epod. xvi, falsam illam doctrinam protulit, nempe *ac*, *et*, *que*, post *neque*, negandi vim non habere. Ruhnkenius pariter ad Velleium, lib. II, vers. 45, hoc præceptum propagavit; sed Wittenbachius pronuntiavit copulativas particulas præcedente negatione negare, vel negationem repetere apud Latinos: apud Græcos usitatum est post negationem, ponere καὶ, ita ut negatio repetatur. His observationibus addit Huschkius exempla. Propert. lib. I, Eleg. xvi, vers. xi: « Nec tamen illa suæ revocatur parcere famæ, Turpior et sæcli vivere luxuria. » Idem, lib. II, El. i, vers. 21: « Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri, Xerxis *et* imperio bina coisse vada. » Virgil. Georg. lib. III, vs. 140: « Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris, Non saltu superare viam sit passus, et acri Carpere prata fuga, fluviosque innare rapaces. » Homer. Hym. in Venerem, vs. 46: Ὄφρα τάχιστα Μηδ' αὐτὴ βροτέης εὐνῆς ἀποεργμένη εἴη Καί ποτ' ἐπευξαμένη εἴπῃ μετὰ πᾶσι θεοῖσιν, Ὡς ῥα θεοὺς συνέμιξε καταθνητῇσι γυναιξίν. Sed apud Tibullum copulam tuetur ipsa verborum grammatica constructio: « Nec refero solisque vias et qualis ubi orbem. »

18. *Recurrat* primus intulisse videtur Aldus. H. Vossius in tribus libris etiam invenit *recurrat*; in multis aliis, *recurrit*.

19. *Ad dominam faciles aditus*. Confer Theocr. Idyll. xvi, vs. 68: Δίζημαι δ' ᾧ κεν θνατῶν κεχαρισμένος ἔνθω Σὺν Μοίσαις, etc.

21. *Per cædem et facinus*. Est quasi formula solemnis. Cicero, Agrar. iii, cap. 4: « Num quis vestrum ad vim, ad facinus, ad cædem accommodatus est? Nemo. » Agrar. ii, c. 28: « Quinque hominum millibus ad vim, facinus cædemque delectis. » Locus atque urbs quæ bellum facere atque instruere possit, quæritur. Brouckh.

22. *Ne jaceam*. In Gothano legitur *taceam*.

Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis :
  Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem
  Dat mihi : sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat, quicumque legit viridesque smaragdos,
  Et niveam Tyrio murice tinguit ovem!
Hic dat avaritiæ causas : hinc Coa puellis
  Vestis, et e rubro lucida concha mari.

23. *Sacris insignia fanis.* Hanc scripturam interpolatam vocat Scaliger, et *focis* legi vult; quæ lectio quibusdam libris inest. Heins. conjiciebat *tholis*; sed Brouckhusius Ciceronem inducit in Verrem invehentem; ille enim ubique fani vocabulo usus est, quo rapinas sacrarum rerum a celeberrimo prædatore in templis esse factas designaret: præterea donaria non in locis privatis, sed in fanis reponebantur. — Cod. Gothan. *insignis* : male.

24. *Ante alios*, scilicet *Deos*. In quibusdam legitur *ante alias*.

27. *Smaragdos*. Statius monet, in veteribus monumentis semper scribi *zmaragdos*. Huschkius contra : « *smaragdos* habent libri mei, nullus *zmaragdos*. » Vide notam ad lib. I, Eleg. I, vers. 51.

28. *Ovem* audacius pro *lanam*... Formam antiquam *tinguit*, pro vulgata *tingit*, Brouckhus. restituit, et illam firmant Is. Voss. Cod. 1, 2, 3, 5, quam recepimus.

29. *Hic dat* etc. Douza Præcid. cap. 7, legebat, *Hinc dat avaritiæ causas et Coa*; et hoc habet Guelf. 3. Heinsius vero, *Sic dat*. Aliquot libri præbent *Hac*, vel *nec*. Brouckh. et Voss. legunt *Hic dat... Hinc Coa* e duobus Anglicis et Hamb. *Hinc* ab initio item exhibent duo H. Vossii. Huschkius hac lectionis diversitate commotus, suspicatur mendum latere sub pronomine *Hic*, ita ut *hæc* legendum sit. « Subjiciuntur enim duæ avaritiæ causæ, et Coa vestis, et lucida concha. » Sed ut unam avaritiæ causam puellis dat Coa vestis, alteram concha, ita tertia latere debet in verbis *Hic dat*. Ea autem est quæ proxime commemorata fuit, *nivea ovis*, id est, vellus ovis album murice tinctum, sive purpurea vestis. Hæc quidem Huschkius, nos autem cur aliquid mutandum sit non videmus : vulgata sane servanda *Hic dat* ad illum referendum, *quicumque* sit, qui *legit virides smaragdos*, et *niveam murice tingit ovem*. Tunc poeta subito ad res transit, quæ pariter avaritiæ stimulos dant. *Stimulos* Brouckhus. pro causas invexit; sed glossam olet illud. Vulpius, qui vulgatam revocavit, *causas* intelligebat προφάσεις, excusationes. Heynius meliorem invenit sensum, *causas* accipiens semina unde aliquid oritur, movetur, alitur. Ovid. Am. lib. II, Eleg. XVII, vers. 34 : « Ingenio causas tu dabis una meo; » et Fast. lib. IV, vs. 96, de Venere : « Illa satis causas arboribusque dedit. — Pro *Coa*, ed. Vicent. *Cea*; alii *Choa* perperam.

30. *E rubro*. Priscæ editiones *a*

Hæc fecere malas : hinc clavim janua sensit,
  Et cœpit custos liminis esse canis.
Sed pretium si grande feras, custodia victa est;
  Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.
Heu ! quicumque dedit formam cælestis avaræ,
  Quale bonum multis addidit ille malis !
Hinc fletus rixæque sonant : hæc denique causa
  Fecit, ut infamis hic deus esset Amor.

rubro habent. At in codic. Paris. Lips. et in septem H. Vossii libris est *e rubro*. Nil variant libri in simili versu Propertii, lib. III, Eleg. XIII, vs. 6 : « Et venit e rubro concha Erycina salo. »

31. *Hinc clavim janua sensit.* Ita hæc citavit Charisius, Inst. Gramm. lib. I, pag. 101 ; unde adparet perperam legi *clavem* et *sentit*. Brouck.

32. *Et cœpit custos* etc. De canum excubiis vide Horat. lib. III, Od. 16 ; Plaut. Trucul. II, sc. IV, vs. 1. Non possum quin elegans canis epitaphium referam, quod apud Joachimum Bellaium legitur : « Latratu fures excepi, mutus amantes : Sic placui domino, sic placui dominæ. »

33. *Custodia victa est.* Cod. Paris. ab omnibus discedens habet *custodia cæca est*. Antipater Thessalonicensis hinc epigramma videtur hausisse, quod legitur apud Brunck. Analect. græc. II, pag. 109 : Ἢν μὲν γὰρ τὸ χάραγμα φέρῃς φίλος οὔτε θυρωρὸς, Ἐν ποσὶν οὔτε κύων ἐν προθύροις δέδεται. Vertit Muretus : « Nam pretium si grande feras, nec janitor ullus, Nec vinctus rigidas stat canis ante fores. »

34. *Canis ipse.* Corvin. et Is. Vossii 3, *canis ipsa*.

36. *Multis addidit ille malis.* Vulgo legebatur *adtulit ipse*. Rom. cum Guelf. 1, 2, *adtulit ille;* et habent *ille* etiam alii nonnulli. In Excerpt. Lipsii erat *abdidit*, quod et unus Brouckh. et Colbertin. habebant. Hinc Douza faciebat *addidit*, quod integrum in Excerptis Italicis Heinsii invenerat Brouchkusius, et recepit. Præfert etiam Regius, sed supra scriptum *abdidit*, quod probarem nisi de forma, quæ latere nequit, ageretur. Heyn. — Vossius *abdidit* amplexus est, et ait : « Vera lectio *abdidit* hunc reconditum sensum habet : pulchritudinis bonum tot malis avaritiæ *quasi* abditur ; pulchritudinis splendor avaritia obscuratur. » Idem Vossius verbum *addidit* languidum esse declarat, præsertim post *dedit*. Sed male ; nam Homerus, Il. XXIV, vs. 534 : Ὣς μὲν καὶ Πηλῆϊ θεοὶ δόσαν ἀγλαὰ δῶρα Ἀλλ' ἐπὶ καὶ τῷ θῆκε θεὸς κακόν.

37. *Hinc fletus rixæque sonant.* Ed. Romana cum aliis, *Hinc rixæ fletusque*, quod H. Vossius suscepit, quasi natura rerum sic postularet, et habuit Bach. consentientem, Huschkium vero dissentientem ; quippe qui dixerit : proprie rixæ sonant, non fletus. Cod. Paris. *fletus rixæque*.

38. *Ut infamis hic Deus esset Amor.* Brouckhus. nescio qua ratione impulsus, proposuit : *ut infamis nunc Deus erret Amor.* Heynius pa-

At tibi, quæ pretio victos excludis amantes,
  Diripiant partas ventus et ignis opes.
Quin tua tunc juvenes spectent incendia læti,
  Nec quisquam flammæ sedulus addat aquam.
Seu veniet tibi mors, neque erit qui lugeat ullus,

riter hunc versum ut parum suaviter scriptum damnavit : et prætulit *hinc* in observationibus. Attamen ipse ex ingenio Heinsii anteposuit, *sic*. Henric. Vossius idem consentit, *sic* pro *tam* intelligens. Bach. denique et Bauer suæ auctoritatis molem illorum doctrinæ addidere. Nos nihilominus lectionem *hic* cum Wunderlich. et Huschkio servavimus ; nihil enim adest quod *anacoluthon* dici possit ; neque metrum turbatur, quod Heinsium decepit, qui eadem ratione commotus supra lib. I, Eleg. IV, vers. 44, pro *imbrifer*, reposuerat *nimbifer*. Ovidius, Trist. lib. IV, Eleg. III, vers. 68 : « Quod precibus *periit* ambitiosa suis ; » et Catullus, LXVI, 48, ut Huschkius legit : « Juppiter, ut *pereat* omne genus chalybum. » Nihil itaque dubii, veteres brevem syllabam in hac cæsura aliquando admisisse.

39. *Excludis amantes*. Guelf. 1, *abducis* ; Bern. *excludis victos*.

40. *Diripiant partas*. Brouckh. e libris hanc lectionem revocavit, quum antea legeretur *eripiant*. Vossius, ut aliquid novi proferret *abripiant* proponit in observationibus ; sed est *diripiant* genuina sane lectio, qua optime impetus violenti ignis et venti depingitur. Sic ipse Noster, supra lib. I, Eleg. VI, vers. 53 : « Attigeris : labentur opes, ut vulnere nostro Sanguis ut hic ventis diripiturque cinis. » Deinde *positas* habebat unus Gebhardi, pro *partas*. Probabat Guyetus et exponebat reconditas, quam interpretationem Brouckhusius merito ridiculam vocat, *partas* intelligens eodem sensu quo : « Tori reditu census augere paternos. »

41. *Quin tua tunc juvenes*. Cod. Lips. *Quam tua tunc*. Uni libro confisus, Voss. *tum*. Cod. Hamb. pro *læti* habet *lecti*, quasi deligerentur juvenes qui spectarent incendia ; satis absurdum.

42. *Addat aquam*. Gothan. *addat opem*.

43. *Seu veniet tibi mors*. Brouckh. verborum seriem turbavit, solemni imprecatione in eos qui *rythmum insuavem atque hiulcum* prioris hemistichii patienter ferunt, *quos par est trivialibus anserum deliciis delectari*. Pro *neque erit*, idem Brouckh. *neque sit* eligit, propter superiora *diripiant*, *spectent*, *addat* : sed quæritur cur non æque sequentia viderit doctus ille vir, ubi *flebitur*, *dabit*, *dicet*, adsunt. De anseribus tacendum censeo : sat erit memorare ne unum quidem librum huic emendationi favere. Huschkio Tibullus videtur scripsisse *neque erit*, propter sequens, *nec qui det*, ut lib. I, El. II, vers. 79 : « Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem, Nec sonitus placidæ ducere possit aquæ. » Frequentatur etiam hæc structura Propert. Vid. lib. I, El. XIV, vs. 19 ; lib. II, El. XV, vs. 43 ; lib. IV, El. XI, vers. 41 ; ubi Lachmannus reposuit invitis libris : « Me neque censuræ legem mollisse, *neque* ulla, etc. »

Nec qui det mœstas munus in exsequias.
At bona quæ, nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis senior, veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo;
Et bene, discedens dicet, placideque quiescas,
Terraque securæ sit super ossa levis.
Vera quidem moneo : sed prosunt quid mihi vera?

44. *Nec qui det mœstas munus in exsequias.* Alia scriptura est in nonnullis libris : *Nec qui det mœstas manibus exsequias.* Quam cur minus probem, in causa est mos perpetuus injiciendi in rogum res quasque pretiosissimas. Quem morem commode illustravit Kirchmannus, de Funerib. Roman. lib. III, cap. 5. Proprie *munera* vocabant. Virgilius, Æn. lib. XI, vers. 193 : « Hinc alii spolia occisis derepta Latinis Conjiciunt igni ; galeas, ensesque decoros, Frenaque, Ferventesque rotas ; pars munera nota, Ipsorum clypeos, et non felicia tela. » Adi pariter Valerium Flaccum, lib. III, vs. 312 ; Nemes. Eclog. I, vs. 64, et Catullum, carm. 97. Brouckh.

45. *At bona quæ, nec* etc. Ingenii nimis subacti documenta dedit Brouckh. qui *bonam* esse ait, quæ pro cultura horti sui nullam exigeret mercedem, assertionemque suam firmat duobus Horatii locis de Cynara, quos mirum in modum torquet. Horat. enim, lib. IV, Od. 1 : « Non sum, qualis eram bonæ Sub regno Cynaræ ; » cui loco ut interpretamentum illico subjicit Brouckh. illud, lib. I, Ep. XIV, vs. 33 : « Quem scis immunem Cynaræ placuisse rapaci. » Mira sane consecutio : quid ergo? constatne idcirco omnes puellas in genere *bonas*, quasi cognomine adpellatas fuisse, quæ pro cultura istius horti nihil exigerent? Nonne melius fuerat *bonæ* epitheton communi sensu intelligere, et latinam loquendi consuetudinem servare, quam significationes verborum hoc modo adulterare. Interpunctionem a Dousa prolatam secuti sumus.

47. *Atque aliquis senior.* Idem hemistichion habet Juvenalis, Satyr. VI, vers. 587 : « Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit. »

48. *Annua constructo serta* etc. Vide Kirchm. de Funerib. Roman. lib. IV, cap. 3.

49. *Discedens.* Cod. Lips. *descendens ;* notum est verba *discedere*, *decedere*, *descendere*, passim a librariis permisceri.

50. *Terraque securæ.* Heynius interpretatur pro vulgari *ossa tua*, quod Bachio nimis vulgare videtur. Is *securæ* tertio casu accipi vult. Sed nobis secundus casus anteponendus videtur : Ovidius enim Am. lib. I, El. VIII, vs. 108 : « ... sæpe rogabis, Ut mea defunctæ molliter ossa cubent. »

51. *Vera quidem moneo.* Pro *quidem* J. Vossii 3 et 5 habent *tamen*. Berol. 1 et 3, cum aliquot Brouchk. pedestri collocatione habent *quid prosunt*.

Illius est nobis lege colendus Amor.
Quin etiam sedes jubeat si vendere avitas :
Ite sub imperium, sub titulumque, Lares.
Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid et herbarum Thessala terra gerit;
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ;
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias herbas misceat illa, bibam.

52. *Illius est nobis lege* etc. Amare me necesse est, iis conditionibus, quas illa præscripsit. *Leges* sæpe pro conditionibus usurpantur apud veteres. Vide Terent. Heautont. Act. V, sc. V, vs. 45; Plaut. Asin. Act. I, sc. III, vers. 14 et 81.

53. *Sedes jubeat si*... De proscriptione ædium; nam sub titulum ire idem est quod proscribi; vide inprimis Cic. de Off. lib. III, cap. 13.

54. *Ite sub imperium*, quia emptori, ut novo domino imperium tribuitur.

55. *Quidquid habet Circe.* Hæc Heynio videntur abrupta et hiulca esse, ita ut medicamine suo consueto jam appropinquet, et astericos interponens, solemni voce fragmentum alterius elegiæ hic latere pronuntiet. Attamen nihil liquidius procedit, quam integri sensus ordo: poeta declarat se ad omnia paratum esse, quæcumque puellæ placuerint. Quin, ut illam sibi conciliare possit, rem patriam se fatetur venditurum, et teterrima venena epoturum. Hæc sane optime cohærent, nec ipse Heynii cultor, quamvis acuta acie præditus, ea dirimere potest.

56. *Terra gerit.* Scaliger malebat *genit*, quum tamen *gerere* proprium verbum sit, ut apud Virgil. Georg. lib. II, vs. 122. In multis est *dedit*.

57. *Venus afflat amores.* In cod. Lips. legitur *ventus*. *Afflandi* verbum sæpe in partem bonam, sæpe in malam usurpavere veteres.

58. *Hippomanes.* Ut notat Brouckhusius, est ea vox tribus rebus communis : designat enim virus illud, quod equæ in libidinem concitatæ e locis emittunt : deinde carunculam fici instar in fronte pulli equini primulum cadentis de matre; denique herbam nescio quam in Arcadia, cujus meminit Theocritus in Pharmac.

60. *Mille alias herbas.* Heynio hic multa displicent : *mille herbas* illi languidum ac jejunum videtur; tum *herbas* ipsas culpat, quia jam vs. 56, *quidquid herbarum*. Denique hunc versum omnino mutat ille : « Mille malos succos misceat illa, bibam. » Et sibi Tibullum fulcro sumit, quippe qui infra lib. III, El. v, vs. 9, dixerit *mortiferis*... *succis*. Dolendum sane quod eruditus vir non omnia verba quæ Tibullus per integram vitam locutus est, in indicis formam redacta habuerit. Quot et quantos versus qualesque poetæ nostro condonare potuisset!

ELEGIA V.

Phoebe, fave; novus ingreditur tua templa sacerdos:
Huc age cum cithara, carminibusque veni;
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudis flectere verba modos.

1. *Novus ... sacerdos.* De Messalæ filiis longam dissertationem præmittunt Brouckh. et Heyn. quibuscum disputare non lubet; præsertim quum initio hujus editionis, elegias omnes ordine enumeraverimus, earumque argumenta fusius exposuerimus, ut nihil supersit jam in iis explicandis, quod lector a nobis requirere possit. Erat inter sacerdotia, etiam hoc Quindecimvirorum qui præponebantur libris Sibyllinis adeundis.—*Tua templa;* libri Sibyllini quos solos retinuerat Augustus, in duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi servabantur, et quidem in templo quod ab illo anno U. C. 726, in monte Palatino exstructum erat, cum porticu illa magnifica, de qua Propert. II, XXXI.

2. *Veni.* In H. Vossii 5, *vera.*

3. *Impellere pollice chordas.* Edit. Reg. Lep. cum aliquot antiquis, *conchas;* male. Ovid. Metam. lib. X, vers. 145: « Ut satis impulsas tentavit pollice chordas. »

4. *Ad laudes flectere* etc. Vetus et vulgaris editionum lectio interpretibus multum fecit fucum; nam quum antea legeretur: « Nunc, precor, ad laudes flectere verba meas; » alius super alio processit verum promittens sensum. Statius ita exposuit: « Orat Phœbum ut ad laudes suas, quas Messalino dicet, cantum flectat, id est, ut ejus carmen sit hoc tempore. » Sed hanc interpretationem vix intelligo. Vulpius aliter interpretatur: « Nempe mihi te laudaturo verba, quæ poetam deceant suppeditare; verba flexilia et metro accommodata. » In libris quibusdam pro *verba,* legitur *plectra;* quod Heynius ferret, si esset: « Nunc precor ad laudes plectra movere meas. » Idem putat, quia supra de chordis jam dictum, nunc de cantu et voce agi; denique quum duobus Italicis libris insit *tuas,* desiderat *suas,* quasi accommodatius; sed quomodo accommodatius, si ne latinum quidem? In libro Matii et Guelf. 3: « Nunc, precor, ad laudis flectere verba modos. » *Modos* etiam habent Excerpta Lips. Monac. et Voss. 4 in margine. Nos hanc scripturam recepimus, licet Heynio non satisfaciat, quippe qui pro *laudis*, censeat *lætos* vel *Latios* reponendum. Quod ad H. Voss. attinet, is majora delicta admisit: nam ab initio versum deformavit, *opus* ex uno Ursini reponens ubi *precor:* sed innumeris in locis, *precor*, *oro*, *rogo*, *opto*, cum infinitivo construuntur, quæ referre non operæ pretium est. Idem Vossius *modos* torquet, mutatque in *modis:* sed *voces cantu* inflectimus,

Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
  Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem
  Sepositam; longas nunc bene pecte comas:
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
  Victori laudes concinuisse Jovi.
Tu procul eventura vides: tibi deditus augur

non *verba modis*, neque *numeris*. Huschkius demonstrat, usitatum esse in hac formula verbum *nectere*. Vid. Ovid. ex Pont. lib. IV, Ep. II, vers. 30; Juvenal. Sat. VII, vers. 18. Superest ut exemplis nostram lectionem tuear. Propert. lib. II, Eleg. VIII, vers. 7: « Sic nos nunc inopes laudis conscendere carmen, Pauperibus sacris vilia tura damus; » Ovid. Fast. lib. III, vers. 388: « et ad certos verba canenda modos; » lib. VI, vers. 692: « Et canere ad veteres verba jocosa modos. »

5. *Devinctus tempora lauro.* Hoc hemistichium leviter variatum recurrit lib. III, Eleg. IV, vers. 23, item de Phœbo: « Hic juvenis casta redimitus tempora lauro. » HUSCHK.

6. *Dum cumulant aras*, seu ture in ara cumulato, seu prosiciis aræ impositis. HEYN. — Hunc locum imitatur Ovidius, Fast. lib. IV, vers. 452: « Persephone, clamant, *ad tua dona* veni. »

7. *Nitidus* ad cultum universum pertinet. Heynius qui ejusdem sententiæ est, notat insuper idem esse Gallis *proprement mis*, quæ verba de Deo usurpata multum risum excitare par est.

8. *Sepositam.* De falsa lectione *depositam* ne mentio quidem hic. Brouckh. et Heyn. exemplis absolvunt, Deos perinde ac homines, nonnunquam quotidianam vestem deposuisse, festivaque ornatos processisse. Quin et Heyn. Ovidii locum memorat, ope cujus *sepositam vestem* interpretatur, ita ut sit ea, *quæ semel toto ... sumitur anno.*

9. *Qualem te memorant.* Libri complures habent *referunt*.

10. *Laudes concinuisse Jovi.* Hic Brouckh. poetam nostrum inscitiæ arguit: « nam sane Apollo tunc temporis nondum erat natus. » Suspicatur tamen Brouckh. Tibullum alios auctores ob oculos habuisse quam qui supersunt. Gemmæ quoque Apollinem cithara canentem referunt, adposita Victoria in columella.

11. *Tu procul eventura vides.* Sic lib. III, El. IV, vers. 47: « At mihi fatorum leges, ævique futuri Eventura pater posse videre dedit. » Res autem futuras edocebat Apollo, quatuor potissimum modis: Augurio, Sortibus, Haruspicio, Oraculis... His accedunt somnia, et quæ ex flammis ducuntur vaticinia. BROUCKH. — *Tibi deditus augur.* Hæc omnium librorum lectio est. Scaliger ex uno suorum *debitus* recepit. H. Vossius codices quosdam citat, qui Scaligerano accedunt, inter quos est etiam cod. Paris. Ego cum Huschkio prætuli *deditus*; est enim proprium verbum in hujusmodi rebus; Cicero, Pro Domo, cap. 9, ait: « Sed tamen disce ab homine religionibus de-

Scit bene, quid fati provida cantet avis:
Tuque regis sortes : per te præsentit aruspex,
Lubrica signavit quum Deus exta notis.
Te duce, Romanos nunquam frustrata Sibylla est,
Abdita quæ senis fata canit pedibus.
Phœbe, sacras Messallinum sine tangere chartas
Vatis; et ipse, precor, quid canat illa, doce.
Hæc dedit Æneæ sortes, postquam ille parentem
Dicitur et raptos sustinuisse Lares.
Nec fore credebat Romam, quum mœstus ab alto

dito. » Plinius, Panegyr. cap. 74 : « Civitas religionibus dedita. »

12. *Fati provida.* Cicero, Div. lib. II, cap. 57 : « Quid tam divinum autem, quam adflatus ex terra, mentem ita movens, ut eam providam rerum divinarum efficiat. » Cod. Lips. *facti provida.*

14. *Exta.* Si nihil responsi ex iis vel divinationis elici poterat, *muta* adpellabantur, auctore Pompeio Festo. — *Notis.* Hamb. habet *nobis.*

15. *Frustrata Sibylla est. Est* a Vossio rejicitur, ut aliis in locis : hic tamen, fateor, quibusdam codicibus fultum est illius odium in verba substantiva.

16. *Senis ... pedibus.* Manifestum hinc hexametris libros Sibyllinos exaratos fuisse : saltem eos, qui tum habebantur substituti antiquioribus, in bello Sullano cum Capitolio crematis; de quibus omnino nihil certi constitit inter Romanos. Heyn.

17. *Sine tangere chartas,* quas profani non adspicere, nedum *tangere* et *evolvere* poterant. Cod. Askew. *sine dicere*, quod quorsum spectet, non adsequor. Huschk.

18. *Quid canat illa doce. Quid* est Heinsii emendatio a Brouckhusio recepta : vulgo *quod.* Heynius malit, *quæ canat illa.* Sex H. Voss. libri conjecturam Heinsii firmant. Error, ut videtur, ortus est e compendio scripturæ *qd.* Nihilominus Voss. *quoi* ex ingenio effutiit; sed ille sibi habeat suam sapientiam. Plato, in Apologia Socratis, iisdem fere verbis usus est, τί ποτε λέγει ὁ Θεός; καὶ τί ποτε αἰνίττεται. In Regio codice, a prima manu, *ille* erat; et in sequenti, pro *Hæc*, *Hic.*

19. *Hæc dedit Æneæ sortes.* Dionysius, lib. I, cap. 55, de Sibylla Erythræa narrat, quam Æneas adiit, antequam Troja migraret. Hæc eum monuit, ut versus Occidentem navigaret. De Sibylla Excursum nostrum ad voluminis calcem adire poteris.

20. *Raptos sustinuisse Lares.* Libri fere omnes *Captos* habent. Scaliger est qui emendavit *raptos* ; et Virg. Æn. lib. I, vers. 378 : « Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum. » Nunc Scaligeri immutatio a Vindob. et a tribus Is. Vossii firmatur.

21. *Nec fore credebat Romam.* Qui versu 20 *Hæc* eligunt et de Sibylla intelligunt, Tibullo languidum sensum obtrudunt; non enim *credere* dicimur quæ certe eventura scimus.

Ilion ardentes respiceretque Deos.
Romulus æternæ nondum firmaverat urbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo.
Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccæ,
Et stabant humiles in Jovis arce casæ.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ;
Et facta agresti lignea falce Pales:
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra Deo:

Eadem verba, si *Nec* quod plurimis inest codd. recipias, pulcherrime de Ænea dicuntur, qui, sede dejectus et patriæ deflens excidium, futuri anxius æque atque ignarus est. Longe absit τὸ *prodebat*, quod Heinsius finxerat, ut lectioni *quæ* opem ferret.

22. *Ardentes respiceretque Deos.* Scilicet statuas cum templis ardentes. Brouckhus. demonstrat veteres poetas plerumque sic locutos esse.

23. *Nondum firmaverat urbis* etc. Achilles Statius prætulit hanc lectionem, quam Brouckh. debilibus argumentis rejicere conatur. Non cum Heynio pronuntiaverim retinendum esse quod semel tenemus; nam interdum talia tenemus, ut non assis sint. Muretus e tribus, et loco Virgilii fretus, Æn. lib. VII, vers. 410, recepit *fundaverat.* Cod. Paris. nobis consentit; eadem varietas notatur apud Claudianum, de Raptu Proserpin. lib. I, vers. 237. Propertius, lib. III, Eleg. VII, vs. 50, « et cæso mœnia firma Remo. » Huschkius ait: « Mœnia sumenda sunt pro primis mœnium rudimentis, pro vallo nondum firmato. » Velleius Paterculus, lib. I, cap. 8: « Libenter enim his, qui ita prodiderunt, accesserim, quum aliter firmare urbem novam, tam vicinis Veientibus, cum imbelli et pastorali manu vix potuerit. »

24. *Consorti non habitanda Remo.* Confer Ovid. Metam. lib. XI, vs. 347, et lib. XIII, vers. 663.

25. *Herbosa palatia vaccæ.* Conf. Virgil. Æneid. lib. VIII, vers. 347.

26. *In Jovis arce casæ.* Servius, ad Æn. lib. VIII, vs. 654 (*Romuleoque recens horrebat regia culmo*), « Curiam Calabram dicit, quam Romulus texerat culmis. Ideo autem *Calabra*, quod, quum incertæ essent kalendæ aut idus, a Romulo constitutum est, ut ibi patres vel populus calarentur, id est vocarentur, et scirent qua die kalendæ essent, vel etiam idus. »

27. *Ilicis umbræ.* Guelf. 1, edit. Rom. cum aliis ante Muretum, *umbram;* quod Heynio videtur exquisitius.

28. *Agresti... falce. Falx* interdum pro *cultro, ferro, securi,* aliisque similibus ponitur.

29. *Pendebatque vagi pastoris in arbore votum.* Brouckhus. omnia rimatur, ac colligit, quæcumque *pendere* dicuntur, nihil omnino prætermittens; ita ut inter legendum, anxii essemus ne in quidpiam insolitum incideret.

30. *Silvestri fistula sacra Deo.* Pas-

Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo;
 Nam calamus cera jungitur usque minor.
At, qua Velabri regio patet, ire solebat
 Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illa saepe, gregis diti placitura magistro,

seratio placebat *facta*, quod quibusdam inest.

31. *Cui semper decrescit ordo.* Brouckhusius hanc disserendi occasionem nactus, non prætermisit: sed nemo fere est quin sciat, qualis sit quam etiamnum vocamus *flûte de Pan*. Cæterum dissertationem illam, si lubet, apud ipsum Brouckhusium legere non pigebit. Quod si testimonio poetarum contentus sis, adi Ovidium de alis Dædali, Met. lib. VIII, vers. 189. Fistulam optime depinxit Parny, *Journée champêtre*:

> Parlant ainsi, du roseau qu'il embrasse
> Ses doigts tremblans détachent les tuyaux;
> Il les polit, et la cire tenace
> Unit entr'eux les différens morceaux, etc.

32. *Nam calamus.* Heinsius malebat *Dum calamus;* Heynio videtur melius et mollius, *Et calamus*, quod in Guelf. 2; Vossius idem elegit. Cæterum Mitscherlichius nimis arguti ingenii documenta dedit, quum Tibullo integrum distichon abjudicaret, quasi vocabula *semper* et *usque* non hoc sensu intelligi possent. Huschkius in refellendis his argumentis optime ostendit particulas illas non de tempore absoluto, sed de temporis spatio dici, quo ille arundinis, *paulatim* vel *deinceps* decrescentis, ordo decurritur intuendo vel cogitando. Vide Martial. lib. II, Epigr. 83.

33. *At qua Velabri regio.* Varro, lib. IV de L. L. « Velabrum dicunt a vehendo. Velaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt. » — Velabri regio erat planities inter Capitolinum, Palatinum et Aventinum, in quam olim Tiberis exundare solebat, antequam cloacæ substructæ stagnantibus aquis et paludibus exitum fecerant. Heyn.

34. *Pulsa.* Sunt qui *pulla* legi velint; sed *pulsa* proprium verbum esse videtur. Sic Propertius, lib. IV, Eleg. II, vers. 7: « Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt Remorum auditos per vada *pulsa* sonos. ». Possim alia innumera exempla referre, sed chartæ parcendum est temporique.

35. *Gregis diti placitura magistro.* Vulpius et Heinsius jam nostram scripturam *diti* vulgatæ *ditis* prætulerant, codice Corvin. freti: nunc accedunt cod. Is. Vossii 4, et Monac. Passerat. e libris *paritura*, quod jam satis ineptum erat. At H. Vossius nobis veram ipsius poetæ scripturam ostendit, quam certo, quum ægrotaret inter somnia, subodoratus est: « Tibullus, ut scias, *pia cura* dixit. » Sane si doctus ille interpres apud nos viveret, qui inter Germanos nunc agit, inventionis prærogativam, illamque regio diplomate firmatam acciperet. Attamen H. Vossius puellæ pudori cavit, ne forte pravo consilio placendi iter, vel navigationem institueret. Verum hic de eventu improviso sermonem esse non reputavit illustris vir, at nullo modo de puellæ illius proposito.

Ad juvenem festa est vecta puella die :
Cum qua fecundi redierunt munera ruris,
Caseus, et niveæ candidus agnus ovis.
Impiger Ænea, volitantis frater Amoris,
Troia qui profugis sacra vehis ratibus ;
Jam tibi Laurentes adsignat Juppiter agros ;
Jam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda Deum cælo miserit indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes !
Tandem ad Trojanos Diva superba venit.

36. *Festa est vecta puella die.* Plerumque *est* post *festa* ponitur, quam sedem et nos illi adsignamus, licet id Brouckh. migrare jusserit.

37. *Fæcundi redierunt munera ruris, Caseus.* Caseis pasci jurisconsultis nostris vix solemne est : forte, nec alterum illud, ut facundi homines sint. Heyn.

38. *Caseus.* Brouckhusius casei laudes canat, poetas omnes convocando, et candidos extollat agnos : nos ad cætera pergimus ire.

39. *Impiger* etc. Ab hoc versu libri et editiones veteres cum Aldin. pr. novæ Elegiæ initium faciunt, improbante Scaligero, et jam pridem Cyllenio. In Guelf. 2 est, *Elegia septima, Sibyllæ vaticinium.* Primus junxit superioribus Muretus ; ignoscendum vero erat veteri errori, quum non statim in oculos incurreret redire orationem ad versum 22. Heyn. Similem transitum orationis apud Propertium invenies, lib. III, Eleg. VI, vers. 19, et lib. IV, Eleg. I, vers. 71.

40. *Troia ... sacra.* In plerisque *Troica* legitur ; sed græca forma magis placet : *sacra* sunt ipsi Dii.

41. *Juppiter.* Ita editiones veteres, scripti etiam libri, ut Lips. non *Jupiter :* nil refert, quo modo scribas, ipso tono duplicanda est litera.

42. *Lares.* Excerpta Lips. *Deos*, quod Heynius malit ; sed vers. 20, etiam *Lares*, pro *Penatibus* dictum.

43. *Quum te veneranda Numici.* Ad Numicium fluvium prælio cum Etruscis vel Rutulis facto, occidisse Æneam, tradunt Justin. lib. I, cap. 2 ; lib. XLIII, cap. 1 ; Ovid. Met. lib. XIV, vers. 581. Alii contra, Æneam fluvio Numicio mergunt. Post pugnam cum Mezentio, Latini sacellum ei dicaverunt cum hac inscriptione :

PATRI DEO INDIGETI
QVI NVMICI. AMNIS
VNDAS. TEMPERAT.

Scaliger distichon 61 et 62 hoc loco intercalavit.

44. *Miserit indigetem.* Livius libro I, cap. 2, ait : « Situs est, quemcumque eum dici jus fasque est, super Numicium flumen : *Jovem Indigetem* adpellant. »

45. *Volitat Victoria.* Alatam esse Deam etiam pueris notum... Nonnunquam ubi de navali prælio agitur, proræ navis insistit in nummis.

46. *Tandem.* Ovidius, Met. lib.

Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris !
Jam tibi prædico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavini est,
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.
Te quoque jam video, Marti placitura sacerdos

XIV, vers. 572 : « tandemque Venus victricia nati Arma videt. »

47. *Lucent Rutulis.* Miror a nemine interpretum notatum esse, hæc a reliquorum vel poetarum, vel historicorum fide paulum discedere. Non enim Rutulorum castra ab Trojanis, sed horum ab istis oppugnata fuere, Æneid. lib. IX. Nisi Ardeam intelligas, quam ab Ænea incendio deletam memorat Ovidius, loco supra laudato : confer Dionys. lib. I. Heyn.

48. *Barbare Turne.* De difficultate loquendi exposuit Cyllenius; quasi Turnus vel male latine pronuntiasset, vel balbus fuisset, aut blæsus. Brouckh. ait, barbarus est Italus, Latinus. Heynius nullo modo latinum poetam sinit Latinos pro barbaris habere; quod Plauto quidem licuit, quippe qui Græcos induceret loquentes. Quin Graia stirpe Turnus erat. Ita in Heynii sententiam eundum puto, qui τὸ *barbare* interpretatur, quasi Turnum ferocem, sævum, audacem, dixerit poeta, ut sæpe Virgilius.

49. *Murusque Lavini est.* Lavinium, in honorem Laviniæ conjugis, ab Ænea conditum. Si a Lavinia, et non a Lavino aliquo, dicta esse debet ista urbs, *Lavini* casus secundus erit a *Lavinium* contractus, ut scribendum sit *LavinI*; nisi etiam *Lavinum* dixere veteres. Juven. Sat. XII, vs. 71, de Alba : « novercali sedes prælata Lavino. » Unde forte Æneid. lib. I, vers. 2, *Lavina litora* defendas : et ipsa Latini filia Λαυνα est apud Dionysium. Sunt tamen *Lavinia litora* consensu virorum doctorum probata; unde et scribitur Æneid. lib. I, vers. 258, *promissa LaviaI Mœnia*; et Ovid. Met. lib. XV, vers. 728, *sacrasque LavinI sedes.* Sic Numicus et Numicius. In Excerptis Perrei et Pocchi, et in duobus Italicis legitur : « Ante oculos *Laurens* castris murisque Latini est; » quum vitiose scriptum esset *muris*, etiam *castris* interpolasse videntur, pro *castrum murusque.* Ita *murus Latini* per adpositionem esset *Laurens castrum.* Similis varietas inter *Lavinus* et *Latinus*, apud Virgil. Æneid. lib. I, vers. 270; lib. VI, vers. 84. Alia seu varietas, seu corruptela, occurrit in permutatis, *Lavinium* et *Lanuvium*, in doctis quoque scriptoribus, ut in Æliano, H. N. lib. XI, cap. 16. Heyn.

51. *Marti placitura sacerdos.* Multam hic operam impendit Brouckh. in narratiuncula, quæ etiam puerorum ore circumfertur; maximoque nisu investigationem instituit, ut scire possimus accurate, utrum Ilia sese volens Marti obtulerit, an inter somnum compressa fuerit. Nihil tamen in nostro poeta est, quod indicet Vestalem non admodum invitam Deo succubuisse. Servius rem ita exponit : « Hæc quum peteret aquas ad sacra, repentino occursu lupi turbata, refugit in speluncam, in qua a Marte compressa est. »

Ilia, Vestales deseruisse focos;
Concubitusque tuos furtim, vittasque jacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet : hic magnæ jam locus urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de cælo prospicit arva Ceres,
Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis

52. *Ilia*. Cod. Bern. *Filia*; Paris. *Ylia*.

53. *Concubitusque tuos furtim* etc. Schraderus hoc loco conjecit, *Concubitusque tuos, urnam, vittasque jacentes*; quippe quæ teste Ovidio, Fast. III, 14, *urnam* in proprio habuerit. H. Voss. negat *Concubitusque tuos* bene jungi posse cum *furtim*, et *datos* pro *tuos* ex ingenio invexit. Alii Græcum quidpiam hic subesse declarant, ut *αἱ κκραυτικα ἡδοναί*, apud Xenophon. Cyrop. lib. VIII, cap. 1; *αἱ ἄγαν σπονδαὶ αὐτῶν*, apud Lucian. Contempl. 17. Huschkius ex Voss. quærit quomodo *concubitus ciari* dicantur: et si *dari* dicerentur, quomodo conveniret hoc Vestali *vi compressæ*. Voss. aliam insuper protulit conjecturam, *Concubitusque tui furtum*. Cod. Vindob. *Custodesque tuos*.

54. *Et cupidi ad ripas*. H. Voss. præpositionem suspectam habet propter duarum vocalium *i a* synalœphen; quocirca illius aures ab Huschkio delicatiores esse dicuntur quam Romanorum, qui hæc sane, et duriora ferre didicerant. Exempla adtulit Huschkius, inter quæ duo tantum eligimus; Virgil. Georg. lib. II, vers. 128: « Pocula si quando sævæ infecere novercæ; » lib. IV, vers. 342: « Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ. »

55. *De septem montibus*. Vossius et Bach. ex uno Bodleii, *septem de montibus* suscepere, ut ποιητικώτερον.

56. *Magnæ jam locus urbis*. In libris quibusdam est *nam*, quod perperam amplexus est Muretus. Ovidius, Fast. lib. II, vers. 280: « Hic ubi nunc urbs est, tum locus urbis erat. »

57. *Fatale regendis*. Gebhard. ex uno Palatino, *rebus*; quidam alii, *terris regendis*. Virgilius, Æn. lib. VI, vers. 783: « Imperium terris, animos æquabit Olympo. » Ovid. Metam. lib. XV, vers. 877: « Quaque patet domitis Romana potentia terris. »

58. *Qua sua*. Florentin. *Quaqua*. Horatius ait lib. IV, Od. XIV, vs. 5: *Qua sol habitabiles illustrat oras*.

59. *Et qua fluitantibus undis*. Languidum videtur H. Vossio, et nihil aliud esse quam *undantibus undis*. Per omnes Deos jurat ille Tibullum nunquam aliquid simile scripsisse, qui quum vix Auroræ portam aperuerit, debuit procul dubio nobiliori imagine vesperam adducere. Quin, ut continuat ille, literarum ductus si parvulum deflectas, ad primariam scripturam pervenies, quæ nihil aliud esse potest, nisi *rutilantibus*. Oceanus enim crepusculi colore tingitur, ut jam Ennius: « interea fax Occidit, Oceanumque ru-

Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troja quidem tum se mirabitur, et sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.
Vera cano : sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, et æternum sit mihi virginitas!"
Hæc cecinit vates, et te sibi, Phœbe, vocavit;

bra tractim obruit æthra. »Denique alia loca colligit Vossius, ut rubrum ostendat Oceanum dici a poetis. Huschk. contra prudentis animi documenta dedit hoc modo: « Equidem qui *fluitantes undas* dixerit, præter Tibullum neminem novi. Idem non magis novi, qui dixerit *rutilantes*. Quum illud tamen recte dicatur, et rei, de qua agitur, convenienter, quæras cum Porsono, cujusmodi dialectices sit, semel dictum ejicere, ut nunquam dictum substituas? »

60. *Abluit amnis equos*. Oceanum vocat *amnem*, quomodo et lib. III, Eleg. IV, vs. 18; et volunt expressum esse ex Homero, qui ποταμὸν appellaverit ὠκεανὸν, Odyss. lib. XI, vers. penult. Ego potius poetam ad originem vocis latinæ respexisse arbitror, quæ hæc est apud Festum: « Amnis proprie dicitur a circumnando, quoniam *am* ex græca præpositione sumptum, quæ est ἀμφὶ, significat *circum*, et *nare* fluere. » Paulo aliter Varro, lib. IV, de Ling. Lat. « Amnis, id flumen est quod circuit aliquid; nam ab ambitu amnis. » Ovidius, Fast. lib. V, vers. 32; Virgil. Georg. lib. IV, vers. 233. Brouckh.

61. *Tum*. Sic Scaliger e libris correxit, quum antea legeretur *tunc*; accedunt H. Voss. quinque libri.

62. *Longa* ... *via*. Ante Scaligerum, editum erat ubique *longam viam*. Scaligeri emendatio firmatur Is. Vossii primo, et magis placet.

63. *Laurus* est in plurimis libris; atque hoc videntur Romani adamasse. Catull. carm. LXI, vs. 289: « tulit radicitus altas Fagos, ac recto proceras stipite laurus. » Virg. Eclog. VIII, vers. 13: « hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros; » ita hodie habemus; sed veteres grammatici legebant *laurus*. teste Sosipatro Charisio, I, p. 110; Hor. II, Od. VII, vs. 19: « Longaque fessum militia latus Depone sub lauru mea. » Laurum credebant habere quamdam futuri præsensionem, atque efficacis auxilii esse in adflatu Numinum. Hinc vates et poetæ lauri folia comedere dicebantur. Brouckh.

64. *Vescar*. Florent. apud Statium, unus Heinsii, Guarn. et Paris. *Noscar*. De *vescendi* verbo longam iniit dissertationem Brouckhusius, qui demonstrat veterum more illud plerumque cum quarto casu jungi. Virgil. Æneid. lib. III, vers. 339: « Quid puer Ascanius? Superatne, et vescitur auras? » Ita enim legi in antiquis plerisque codicibus, non *aura*, quod hodie obtinet, locuples testis est Pierius Valerian. Reperitur tamen et cum ablativo apud magnum magistrum. Brouck. verba refert, quæ Servii esse existimantur; per illum, si, quod minime puto, revera hæc verba scripsit, non licet *vescendi* verbum cum quarto casu construere. Sed Phædrus,

Jactavit fusas et caput ante comas.
Quidquid Amalthea, quidquid Marpesia dixit,

lib. I, fab. xxxi, 10, de Columbis et Milvio, « Illæ credentes, tradunt sese Milvio, Qui regnum adeptus, cœpit vesci singulas. » Justinus, de Atheniensibus, lib. II, cap. 6: « Serere frumenta glandem vescentibus monstrarunt. »

66. *Jactavit fusas et caput ante comas.* Scaliger emendaverat, *fusa sed caput ante coma*, ita ut *τὸ ante* absolute positum esset. H. Voss. eo audaciæ progressus est, ut etiam verbum *Jactavit* curtaret, scriberetque, *Jactat diffusa dum cuput ante coma.* Cur id fecerit, audi nunc, amice lector, et si potis es, risum teneas? Metuit doctus vir, ne forte *vocavit*, *Jactavit*, quorum exitus similes sunt, Gallicorum, vel saltem recentiorum versuum desinentiam (*les vers rimés*) in memoriam reducerent. Tum *τὸ et* iteratum illi displicet; deniqúe vulgatam confusionis atque perturbationis arguit, interpretationes omnes ordine referens. H. Voss. nobis postea ostendit, quomodo accidere potuerit, ut librarii paulatim textum imprudentes deformaverint. Sed eum nos per omnia quæcumque somniat, sequi minime juvat. — Sunt alii quidam, qui *fuscas comas* esse velint, aut qui adhuc pejora proferant, ne relatu quidem digna. Paucis ostendamus vulgatam incorruptam et sinceram esse scripturam. Præpositio est hic *τὸ ante*, nullo modo adverbium, quia uno ac eodem tempore et coma effunditur, et Deus vocatur. Proprium erat fanaticis *jactare comas*, vel simpliciter, vel adjecto nomine Dei cui jactabantur. Apuleius, lib. VIII, ait: « Proprium fuisse illis fundere comas ante caput, vel crines pendulos rotare in circulum. » Lucilius, Satir. lib. VII, nos docet, comas ante caput fusas a Latinis *capronas* vocari, quasi a *capite pronas*: « Aptari caput, atque comas fluitare capronas Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis. »

67. *Quidquid Amalthea* etc. De his Sibyllis alii aliter statuerunt; egit enim huc usque de Cumana, nunc videtur Amaltheam ab illa diversam facere, pariterque Herophilen secernere: sed Lactantius, Divin. Instit. lib. I, cap. 61: « Septimam Cumanam, nomine Amaltheam, quæ ab aliis Demophile, vel Herophile nominatur. » Si ad *Marpesiam* procedas, multa invenies quæ te premant. Hæc lectio codicum fere omnium est, et est sane cognomen a vico Troadis. Editores a Brouckhusio fere omnes *Mermessia* amplexi sunt, monente Statio propter vicum ejusdem agri Trojani, ubi Sibyllam Hellesponticam natam esse volunt. Ego equidem lectioni *Marpesia* valde faveo; nam se Herophile in carmine apud Pausaniam ipsa *Marpesiam*, vel *Marpessiam* venditat; unde credibile fit, conjunctim legendum esse, *quidquid Marpesia dixit Herophile.* Mihi insuper vox *Phœbo* valde displicet; nam quomodo fieri posset, ut poeta qui Phœbum etiam hoc loco invocat adloquiturque, eum nihilominus ut tertiam induceret personam? H. Voss. suspicatur olim *Demo* scriptum fuisse, quod est nomen Sibyllæ Cumanæ. Huschkius hanc opinionem referens addit: « Sed propius a *Phœbo* abesset *Phyto* Sibylla Samia. Auctor quæstionis: *Quot fuerunt Si-*

Herophile Phœbo grataque quod monuit;
Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit, sicco pertuleritque sinu:

byllæ? apud Montefalcon. Biblioth. Coislin. pag. 347: ἕκτη ἡ Σαμία, ἧς τὸ κύριον ὄνομα Φυτὼ φασίν. Hæc eodem jure nominatim citari potuit a Tibullo, quam Amalthea et Herophile.» Potuit sane, sed utrum revera nominata sit, necne, non liquet. Fatendum est, hoc integrum distichon Sibyllarum naturæ esse particeps, tantisque tenebris involutum esse, ut doctissimus quisque explicando locum adhuc obscuriorem reddiderit. At nobis, ne quoque fucum faciamus, Sibyllis jam abstinendum, quæ ipsam seriem Elegiæ ita turbavere, ut jam nemo habeat, quo hunc locum referat, aut unde sensum repetat. Heynius asteriscos, consuetam medicinam, interponit, lacunamque declarat: neque ab asteriscis illum facilius demoveas, quam celebrem illum Hispaniensem medicum a sanguinis detractionibus, et aqua tepida. Idem tamen Heynius in posterum sententiam mutavit, statuitque versus 67-70 referendos esse ad vers. 79; ita ut versus 71-79 sint ἐν παρενθέσει. Hanc sententiam et ipse sequor, nullo tamen detrimento explicationis Mureti, qui hæc pendere e superioribus, vers. 18, declarat, ubi: «ipse, precor, quid canat illa, doce.» Ita Tibullus dicit: Non tantum doce Messalinum quid canat Sibylla Cumana, verum etiam, quidquid Amalthea cæteræque dixerint, et quas sortes Tiburtina per flumina portarit. Nexus totius Elegiæ requirit, ut Mureti Heyniique sententiam simul recipias. Adest, non nego, aliquid contorti; sed Sibyllæ nobis in culpa sint.—Quidam legi volunt pro *grataque quod monuit*, *grata quod admonuit.* Ego in loco tam impedito nihil pronuntiare ausim, neque inter varias lectiones eligere, *Heriphile*, *Eryphyle*, *Herophile.*

69. *Quasque,* quod est in multis libris, recte revocavit Vulpius, quum Scaliger reposuisset *Quodque,* quod etsi in binis aliis libris est, nullum sensum hic efficit, nisi cum Heinsio et uno Florentino in *Quotque* mutes. Ludovic. Brassicanus legebat: «Quasque Albana sacras Tiburs per flumina sortes Portarit.» Unde Scaliger *Albuna* finxit, quod Brouckhusius amplexus est. Iidem Lactantii locum respicientes, *Anienem* fluvium subintelligebant; inquit enim ille: «Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur, ut Dea, juxta ripas amnis Anienis: cujus in gurgite simulacrum ejus dicitur inventum, tenens in manu librum, cujus sortes senatus in Capitolium transtulerit.» Excerpt. Lips. et duo Italici habent: «Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes.» Hanc autem lectionem commendat Heynius. H. Voss. Bach. et Huschkius eam suscepere; quorum ultimus hæc addit: «Etsi Excerpta Lips. non *Aniena*, sed *Aniana* habere videntur; tamen alii libri qui *Anlena* exhibent, satis confirmant *Aniena.*»

70. *Pertuleritque sinu.* Heynius ait: Docet ipsa res intelligendum esse, librum in quo sortes, sive vaticinia conscripta essent, et quem sinu, ut mos erat, illa portaret, siccum per-

Hæ fore dixerunt, belli mala signa, cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis.
Atque tubas, atque arma ferunt crepitantia cælo
Audita, et lucos præcinuisse fugam.
Ipsum etiam solem defectum lumine vidit

mansisse : *sicco sinu* igitur quo sicci libri servarentur ; ut El. VI, vers. 46, *occulto sinu*, quo tabellæ occultantur. Sunt libri, neque ii pauci, qui *perlueritque* habeant; sed quomodo fieri possit, ut *sicco sinu* librum *perluere* dicatur Tiburs, non adsequor. Nihil est quod impediat, quo minus poeta potuerit scribere *portarit* et *pertulerit* ; nam diversa omnino significant hæc verba : non omnia quæ portantur gestanturque, etiam perferuntur. Superest ut explicemus, unde pendeant conjunctivi *portarit pertuleritque*. Huschk. nobis adest, hæc dicens : « Nempe Tibullus fabulam de sibylla Tiburte, quæ sortes per fluvium sicco sinu *portarit* et *pertulerit*, hoc ipso modo, id est, ambigue et dubitanter, tanquam rem fictam, commemorat et designat. » Quod genus scribendi frequens est, v. gr. apud Ciceronem, Div. lib. II, 60 : « Sed hæc quoque in promptu fuerint, nunc interiora videamus. » Perperam itaque Heynius emendationem proposuit : *Portavit sicco pertulit inque sinu*.

71. *Belli mala signa*. Respicit Tibullus haud dubie prodigia et portenta, quibus belli civilis terrores per genus humanum illa ætate circumlati fuerant, in quorum commemoratione copiosi sunt et scriptores et poetæ, duobus maxime temporibus, primum sub initium belli inter Cæsarem et Pompeium gesti; v. Dion. XII, cap. 14, et duo amplissima poetarum loca, Lucani, lib. I, vers. 524, et Petron. Mutat. Reip. Rom. vs. 122 : tum sub Cæsaris necem ubi locus classicus est Virgil. Georg. lib. I, vs. 466 ; et Ovid. Met. lib. XV, vs. 782. Quæ loca conferant inter se poeticam copiam sitientes, conjuncto Ciceronis diserto loco de portentis sub an. U. C. 689 visis, et altero anno post, a se consule expiatis, de Div. lib. I, cap. 10. HEYN. Passim legitur *Hæc* ; vitiose.

72. *Multus ut*. Sic Statius e libris probavit, quum vulgo legeretur *et*; in uno Statiano *Plurimus*. Codicum maxima pars habet *depluerit*, unde refinxit Scaliger *deplueret*, quod nunc Vindob. Monach., Gothan. et Voss. 3, firmant. Cod. Askew *depulerit*, omnino falsum.

73. *Crepitantia*. Ita reposuit Brouckhusius e libris, quum jam Heinsius emendavisset. Vetus editionum lectio erat, *strepitantia* ; sed *crepare* et *crepitare* armorum proprium est. De similibus prodigiis vide Virgil. Georg. lib. II, vs. 473; Ovid. Met. lib. XV, vs. 683 ; Lucan. lib. I, vers. 578 ; Petron. de Mutat. Reip. Rom. vers. 134.

74. *Lucos præcinuisse fugam*. Virgilius Georg. lib. IV, vs. 476 : « Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes Ingens. » Adi quoque Apollon. Rhod. lib. IV, vs. 1280.—1288. Cod. Hamb. *concinuisse* : Duo Lips. et Askew. *pertimuisse*.

75. *Defectum lumine*. Brouckh. ex uno libro, suadente Heinsio, *lumi-*

Jungere pallentes nubilus annus equos;
Et simulacra Deûm lacrymas fudisse tepentes,
Fataque vocales præmonuisse boves.
Hæc fuerint olim : sed tu jam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge sub æquoribus;

na intulit, venustum græcismum esse existimans. Verum liceat Tibullo latine loqui, et nos librorum fere omnium lectionem servemus. Lucret. lib. V, vs. 756, dixit : « Corpus, quod cassum labatur lumine semper. » Videtur Tibullus de Solis deliquio hic referre, quod Cæsare interfecto, integrum ferme annum duravit, de quo etiam Plinius, lib II, cap. 30 : « Fiunt prodigiosi et longiores solis defectus; qualis occiso dictatore Cæsare, et Antoniano bello, totius pæne anni pallore continuo. »

76. *Nubilus... annus.* Edit. Lips. cum aliis apud Brouckh. etiam Corvin. *amnis* habent. Heynius putat Tiberim posse subintelligi, ego potius Oceanum, ποταμὸν crediderim editoribus ob oculos fuisse; sed retinenda est nostra lectio, licet Mitscherlichius *ortus* proponat. Sunt etiam qui *nubibus* habeant pro *nubilus.*

77. *Lacrymas fudisse tepentes.* Unus Heins. et Guarner. *repentes.* Heynius permixta fuisse inter se hoc et superius distichon ait, ita ut hoc superiore loco legendum esset; « Nam continuare orationem *annus vidit fudisse* importunum esset. » Nihil tamen hoc zeugmatis genere usitatius.

78. *Fataque vocales... boves.* Guelf. 4, *factaque.* Unus Statii *Deos* pro *boves*, perperam. Plin. Hist. Nat. lib. X, cap. 51 seu 72, de Æsopi patina : « In qua posuit aves cantu aliquo, aut sermone humano vocales. » HUSCHK.—Plin. lib. VIII, cap. 45, seu 70 : « Est frequens in prodigiis priscorum, bovem locutum : quo nuntiato, Senatum sub dio haberi solitum. »

79. *Hæc fuerint olim.* H. Vossii 4, et edit. Scaligeri *fuerunt*, unde Brouckhusius formavit *fuerint*, quod confirmant Monach. et ejusdem Vossii 5; cæteri *fuerant. Fuerint* nunc non eo sensu sumendum videtur, quo supra, vs. 70, *Portarit* cepimus; sed optative, ut apud Virgil. Æneid. lib. VI, vs. 62 : « Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta. » — *Sed tu jam mitis.* Servius ad Æn. III, vs. 138 : « Notandum sane, Apolline offenso pestem creari semper : quod etiam Homerus ostendit, quum eum armatum ostendit sagittis. Unde et Apollo dicitur, secundum aliquos, ἀπὸ τοῦ ἀπολλεῖν. Contra si citharam teneat, mitis est »; unde Horatius, Carm. sæc. « Condito mitis placidusque telo, Supplices audi pueros, Apollo. » Passim in inscriptionibus dicitur Apollo pacifer.

80. *Indomitis merge sub æquoribus.* Non modo monstrosi partus, expiationis causa, in mare projiciebantur, de quo vide Brouckh. et Vulp. sed et quæcumque prodigia et portenta aboleri poterant. Ita Apollinis simulacrum quod per tres dies fleverat, paulo ante mortem Scipionis Africani, concisum et in mare projectum (κατακοντωθὲν) memorat Dio, Exc. Peiresc. n. 98. Cf. Augustin. Civ. Dei, lib. III, cap. 11, jam a Vulpio laudatum.

Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix et sacer annus eat.
Laurus io bona signa dedit, gaudete coloni;
Distendet spicis horrea plena Ceres.
Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum magni deficientque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet : a stabulis tunc procul este, lupi.

81. *Et* reposuit e libris Brouckh. post Muretum et Statium. Cod. Paris. et Lips. cum paucis aliis *Ut*. Pendent hæc a superioribus.

82. *Et sacer annus eat.* Licet Brouckhusius et qui eum secuti sunt, *erit* e quibusdam libris sumpserint, nos *eat* ut antiquam genuinamque scripturam agnoscimus : est enim exquisitior, et poetis passim frequentatur locutio *annus eat*. Ovid. Fast. lib. I, vs. 26 : « Auspice te felix totus ut annus eat. » Nihil ad rem facit exemplum quod apud Propertium sumpsit Brouckh. : « Clamantque agricolæ, fertilis annus erit. » Aliud enim est præsagire, aliud vota facere. Nobis consentiunt Voss. Bauer et libri scripti multi, inter quos Reg. Corv. H. Voss. 2, Hamb.

83. *Laurus io bona signa dedit.* In libris legebatur *Laurus ubi*; quod quum Heinsius videret, effinxit *Laurus io*; Brouckh. nulla dubitatione suscepit *io*, et arridet etiam mihi; inest enim ei aliquid poeticæ perturbationis. Guelf. 1 et 4, *ut laurus*; non male. Bach. et Voss. edidere *Laurus uti*, quam lectionem litura tollendam esse declarat Huschkius. Nunquam enim latini in exclamatione præsertim læta *uti* pro *ut* usurpaverunt; neque facile postpositum *uti* mihi ostendere possis.

84. *Distendet.* Reg. *Descendet*; Ed. Lips. *Discendet*; liber Guarner. *Dissentet*, quasi velit, *Distentet*, quod libri quidam exhibent cum Ed. Rom. Lips., Venetis, et Ald. pr. Eædem cum aliis et Guelf. 1, in sequente versu *feriat*, sed vulgata recte. Notum illud Virgilii de apibus, Georg. IV, vs. 164, et Æn. lib. I, vs. 433 : « distendunt nectare cellas. » Manil. lib. I, vs. 845, *dolia procero distenta utero* dixit. Inde etiam *tumere*, *turgere* dicuntur res quæ multa intra se continent; tandem etiam *rumpi* ut Virg. Georg. lib. I, vs. 49 : « Illius immensæ ruperunt horrea messes. » HEYN.

86. *Deficientque lacus.* Paris. *deficiantque* quod tacite recepit Brouckh. Nostrum tuentur Reg. cum editione Lips. et aliis. Ipse sensus futurum postulat; *feriet* enim rusticus donec deficient dolia etc. Propert. lib. I, Eleg. XIV, vs. 14 : « Quæ maneant, dum me fata perire volent. »

87. *Palilia.* Sic scripsit Muretus; ante in Aldinis, etiam in Venetis, *Parilia* erat : utraque scriptura occurrit, utraque usu firmata. HEYN. Reg. cum aliis *Ac*; Guelf. 3, in margine *Et*.

88. *A stabulis tunc procul este, lupi.* Heynius ait : « Neminem in versu minore maluisse miror : *a stabulis hinc procul esse lupi.* » Miror et ego nulli editorum hoc in mentem ve-

Ille levis stipulæ solemnes potus acervos
  Accendet, flammas transilietque sacras;
Et fœtus matrona dabit, natusque parenti
  Oscula comprensis auribus eripiet;
Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti,
  Balbaque cum puero dicere verba senem.

nisse; nam non inficetum, dignumque est, quod interpreti placeat.

89. *Solemnes.* Vincent. *Ille levi stipulæ solemnis.* H. Voss. quinque habent *solemnis.*

90. *Flammas transilietque sacras.* Ovid. Fast. lib. IV, vs. 727: « Certe ego transilui positas ter in ordine flammas; » deinde vs. 781: « Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos, Trajicias celeri strenua membra pede. » Cohæret procul dubio hoc distichon cum versibus 95, 96, neque, ut serio fecit Heynius, censenda est Paliliorum religio etiam matronis lætum fœtum præparare. Est hic interposita, ex more veterum, precationum formula: conjungere enim solebant, ut præcipua bona, frugum ubertatem, feturam gregum, matronarum fecunditatem. Confer Herodot. lib. III, cap. 68; Sophocl. Œdip. R. vers. 172; Aristophanem, Pac. vs. 1320; Æschylum, Eumenid. vs. 905. Hic referre juvat quosdam versus cl. poetæ Delille, *Imagination*, *chant* VIII, vers. 524:

Il dit, et tout-à-coup un faisceau pétillant
S'allume, et dans les airs s'élève un feu brillant,
Que trois fois, dans sa vive et folâtre allégresse,
D'un pied léger franchit une ardente jeunesse.

91. *Natusque parenti.* Hamb. *petenti*, ridicula lectio.

92. *Comprensis auribus.* Vulgo legebatur olim *compressis*, quam Scaliger antiquam scribendi rationem esse dicit. Idem recepit Livineii, Gyraldi aliorumque emendationem *comprensis.* In quibusdam etiam aderat *naribus* pro *auribus.* Plutarchus de audiendo: Πολλοὶ τὰ μικρὰ παιδία καταφιλοῦντες, αὐτοί τι τῶν ὤτων ἅπτονται, καὶ τούτοις τοῦτο ποιεῖν κελεύουσι. Pollux, lib. X, cap. 100, de his osculis agens: Εἰδέναι δὲ οὐ φαῦλον, ὅτι χύτρα καὶ φιλήματος εἶδος ἦν, ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα. Brouckhusius addit: Itali *osculum florentinum* vocant, quum adprehensis utrinque puerorum auriculis, eos presse dissuaviantur.

93. *Advigilare nepoti.* Brouckh. e tribus malebat *vigilare*, sed aliud omnino est, vigilare cum tertio casu; vigilamus enim famæ, studiis; scilicet iis curam impendimus, vel operam damus.

94. *Balbaque.* Codex Regius *Bellaque*, quod falsum est; Brouckh. altius rem repetit: « *Balbus* latinis sæpe is dicitur, qui præ linguæ imbecillitate caninam literam, *r*, plene ac plane efferre nequit, ejusque loco *l* pronuntiat. Hoc nostri dicunt *lispen*; Galli vero *parler gras.* Atque hoc pueris ferme omnibus est familiare. » Ea mihi longius petita videntur; nihil enim simplicius Tibulli sententia, secundum quam parvus nepos qui in pronuntiandis verbis adhuc hæsitat, cum sene balba vocabula miscet. Perquam jucundus et dulcis est hic locus. Martial. lib. V, vers. 65: « Os blæsum tibi, etc. »

Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,
  Arboris antiquæ qua levis umbra cadit;
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
  Vincta: coronatus stabit et ante calix.
At sibi quisque dapes, et festas exstruet alte
  Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hic potus juvenis maledicta puellæ,
  Postmodo quæ votis irrita facta velit.

95. *Operata Deo.* Utitur verbo sacrorum; sic prima hujus libri elegia, vers. 9: « Omnia sint operata Deo; » Et Horat. lib. III, Od. xxv, vs. 6: « Unico gaudens mulier marito Prodeat justis operata divis. » —In excerptis Pocchi et Perrei *discumbet in umbra.* Sed cum vulgata faciunt Virgilius et Ovidius, quorum prior in Georg. lib. I, vs. 339: « Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis. » Alter in Fast. lib. III, vs. 525: « Plebs venit, ac virides passim disjecta per herbas. »

96. *Qua levis umbra cadit.* In iisdem Excerptis Pocchi et Perrei, ac Colot. erat *qua levis unda cadit. Cadit* pro *cadet* restituit Brouckh. post Statium e libris; et tamen suos libros habet lectio *cadet*, neque despiciendos, ita ut inter utrumque dubius hæreas.

97. *Aut e veste sua.* In editione Romana *Aut cum veste sua*, quod etiam in codicibus est, ut in Guelf. 1 et 4. Jam Cyllenius habuerat: « Aut cum veste sacris tendent umbracula sertis; » unde in editiones Venetas, quæ cum ejus commento excusæ sunt, venit, et inde in Ald. *e veste sacris.* Sed vulgata tot libris firmatur, notante Huschkio, ut convelli nullo modo possit. Lipsius III, Antiq. Lection. p. 387, eam ita interpretatur, ut verba *sertis vincta* ad *pubem* referenda sint: idem præfert *tendet*: sed ad umbracula spectant, procul dubio, verba *sertis vincta*, ut apud Virgil. Æn. lib. IV, vs. 506: « Intenditque locum sertis et fronde coronat Funera. » Ex falsa illa interpretatione nasci potuit lectio in cod. Paris. et Lips. *coronatus stabit et ipse calix*, cui Brouckhusius ex duobus Statianis totidemque Wittianis substituit *stabit et ante calix*, ut opinor, recte. *Ante* absolute positum sæpe fefellit librarios.

99. *Exstruet.* Edit. Romana cum aliis quæ inde fluxere, et codicum pars, habent *exstruat.* Mox pro *alte* in scriptis quibusdam esse *ante* Scaliger testatur. Heyn. *alte* Bauer mutari vult in *arte*, sibi habeat eximiam emendationem.

101. *Ingeret... maledicta puellæ.* Codex Marii Matii habebat *mala dicta* quomodo ferme Catullus Carm. XI, vers. 15: « Pauca nuntiate meæ puellæ Non bona dicta. » Brouckh. —Vulpius pariter *mala multa* mallet, sed libri contra faciunt: Quin et ipse Catullus, quem tamen Brouckhusius ut huic lectioni faventem induxerat, a nostra parte nunc erit, dicens Carm. CIV, 1: « Credis me potuisse meæ maledicere vitæ? » Ovid. Art. Amat. lib. II, vs. 533: « Ne male dicta puta, nec verbera

Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem,
  Et se jurabit mente fuisse mala.
Pace tua, pereantque arcus, pereantque sagittæ,
  Phœbe : modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona; sed postquam sumsit sibi tela Cupido,
  Heu! heu! quam multis ars dedit illa malum!
Et mihi præcipue, jaceo quum saucius annum,
  Et faveo morbo; tam juvat ipse dolor!

ferre puellæ Turpe.» Horat. Sat. I, v, 12, *ingerere convicia.*

103. *Suæ plorabit..* Regius *sevæ.* H.Voss. exclamat: « Ecce rursus vocabulum *nam* recurrit!» Cui, quum illi multum fastidii pariat, substituit *Jam* ex uno Statii: attamen *Nam* explicat versum superiorem.

104. *Et se jurabit mente fuisse mala.* Ex antiqua formula, qua ille qui alium aut re, aut verbo læserat, in satisfactione eum qui læsus esset, adjurabat indignum esse hac injuria, atque ei nolle factam; atque insuper malam se mentem habuisse. Prioris, de jurejurando illustre exemplum est apud Plautum, Amphitr. act. III, scen. 2; posterioris, de mala mente, utque id esset capiti suo, apud Senec. de Beneficiis, lib. III, cap. 27, quod opportune huc retulit venustissimus Douza Præcidan. cap. 8. Primus, opinor, hunc ritum illustravit noster Nannius, II, Miscell. cap. 7. Brouck.

105. *Pereantque arcus.* Particulam *que* restituit Brouckh. ita duo libri, Gothanus et Sfortianus.

107. *Sumpsit sibi tela.* H.Voss. proposuit *sumpsit sua tela* e duobus libris, ut Amoris tela designarentur, quæ propria huic Deo sunt, et a cæteris diversa. Non tamen concesserim otiosum esse *sumere sibi*, quod vir. cl. demonstrare conatur; Livius enim dixit, *quærere sibi honores; sumere sibi magistratus.*

108. *Quam multis dedit ars illa.* H. Voss. *ista* reposuit, septem Brouckh. libris fretus, duobus Guelf. et quinque suis.

109. *Jaceo quum saucius annum.* Ita Scaliger refinxit, quum antea legeretur *taceo.* Nunc Guelf. unus et tres H. Vossii firmant Scaligeri inventum. — *Annum;* intellige integrum annum, ut apud Propert. lib. I, Eleg. 1, vs. 7: « Et mihi jam toto furor hic non deficit anno.» Hunc sensum jam Heynius explicuit; sed Huschkio pœnas luit, sane ob levem culpam. Nihil enim refert utrum annum intelligas, an longum tempus. Cæterum Heynius conjecturam affert inutilem, *saucius arcu.*

110. *Tam juvat ipse dolor.* Multi Statiani habebant *tum*, unde Passeratius *tam* fecit, quod firmant nunc Monach. Gothanus et Is. Vossii primus. Ovid. lib. II, Am. Eleg. v, vs. 11: « Ferreus est, nimiumque suo favet ille dolori, Cui petitur victa palma cruenta rea.» Liber anglic. et *foveo morbum.* Cicero scripsit ad Atticum, lib. XII, Ep. 18: « Dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi fovebam dolores meos.» Sed *fovere dolores* est *lenire* eos ac *levare*, ut bene Manutius explicat, pulvillis ac fomentis. Con-

Vixque cano Nemesin, sine qua versus mihi nullus
Verba potest, justos aut reperire pedes.
At tu, nam Divûm servat tutela poetas,
Præmoneo, vati parce, puella, sacro :
Ut Messallinum celebrem, quum præmia belli
Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens laurus; lauro devinctus agresti

tra *favere morbo*, est *inhærere morbo*, *curationem refugere*, et quod Seneca scribit, *morbo suo morem gerere*. Est igitur τερπνὴ νόσος quam dicit Æschylus, Agam. vs. 553, comparatus a Boschio ad Anthol. Græc. p. 420: τερπνῆς ἄρ' ἦτε τῆσδ' ἐπήβολοι νόσου. Huschk.

111. *Vixque cano Nemesin*. In libris et in antiquis editionibus legitur *Usque*, quod H. Voss. recepit assentiente Bach., itemque Bauero, et Wunderlich. Perpaucis contra inest *Vixque cano*, quæ scriptura a Scaligero propagata est. H. Voss. putat τὸ *Vixque* e falsa lectione *taceo* superioris distichi natum esse; quinadeo fortasse etiam ex genuina *jaceo*; ita enim *jaceo* ut vix Nemesin canere possim. Huschk. contra, qui *Vixque* amplectitur, opinatur hinc natum esse falsum illud *taceo*. Brouckhusius *Usque* corruptum putat ex *Vixque*, more Italicæ scripturæ. Huschkius insuper quatuor libris Is. Vossii fretus est; quare in ejus sententiam esse eundum decrevimus et nos.

112. *Justos pedes*. Colbert. *junctos*; Guelf. 2, *reperisse* quod etiam alii tres habent. Voss. et Bach. hanc lectionem, ut exquisitiorem, amplexi sunt.

113. *At tu* etc. Suavis reditus ad argumenti, quod orsus erat, summam et caput. Heyn.

114. *Vati parce, puella, sacro*. Gothanus habet *tuo* pro *sacro* : hoc glossam olet.

115. *Præmia belli*. Pertinent hæc ad triumphi pompam.

116. *Oppida victa feret*. Quatuor H. Vossii libri *ferent*, unus *forent*, in aliis *geret*, *gerent*. Fercula intellige triumphalia; illustris est locus Ciceronis, Orat. in L. Pisonem, cap. 25. Nota est consuetudo gerendi ante currus triumphales simulacra devictarum urbium gentiumque. De hac re vide præclarissimos versus nostrorum Racine, *Mithridate*, act. III, sc. 1, et Crébillon, *Rhadamiste et Zénobie*, act. II, sc. 2.

117. *Ipse gerens laurus*. Messalinum designat *Ipse*, non Tibullum, ut falso opinatus est Scaliger, qui etiam sequenti versu *canam* intrusit, quo hanc suam opinionem defenderet. Heynius diu hæsit, dubius utrum Scaligero accederet, necne: convenire enim laurum agrestem poetæ rus amanti. Quinadeo Tibullus interfuerat pompæ Messalæ. Vid. supra lib. I, El. vii, vers. 7 : « At te victrices lauros.... Non sine me est tibi partus honos. » Nugari videtur hic doctus vir. *Ipse gerens laurus* superioribus jungamus ope verbi *feret*, ut H. Voss. et alii. At inauditum quidpiam ac prorsus novum affert H. Voss. quum dicat *laurus* plurali numero et nobiliori eloquendi modo dici, quia hic de duce sermo sit.

Miles, io, magna voce, Triumphe, canet.
Tum Messalla meus pia det spectacula turbæ,
Et plaudat curru prætereunte pater.
Adnue : sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli ;
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

Verum *laurus*, quæ confestim sequitur, singulari numero ac humiliori locutione usurpari, ut eo ipso, milites deteriores lauros habere dicerentur. Equidem acumen ingenii subtilissimum miror, et rideo, haud inficeti facti memoria excitatus. Miles quidam, non ex iis *quos æquus amavit Jupiter*, quum epistolam vellet amicæ mittere, ad diribitorium venit, jamjamque in hiatum prominentis capsulæ (*boîte aux lettres*) literas injecturus erat : « Cave, exclamat nasutus homo, tunc forte obvius; nonne vides hanc capsulam tribunorum esse et centurionum? en altera, inferius posita, quæ militum epistolas recipiat. » Et Noster statim exquisitum amoris sui pignus per spiraculum in vinariam caveam demittere. Ita nunc vir doctus ducibus centurionibusque *laurus*, militibus vero non nisi *laurum* dispensat.

118. *Miles io*. De Scaligeri *canam* quid sentiamus jam habes. Ovidius hunc locum ad verbum expressit, Am. I, El. II, vers. 34 : « Vulgus, io, magna voce, Triumphe, canet. »

119. *Pia det spectacula turba*. Horatius, lib. I, Od. XXVIII, vers. 17 : « Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti ; » Ovid. Art. Am. lib. II, vs. 581 : « præbent spectacula capti. »

120. *Et plaudat*. Cod. Lips. *placeat*, et in margine *plaudat*. Nescio quis conjecit *Et plaudat curru prætereunte patri*; ita ut turba sit quæ plaudat; sed imago patris plaudentis multo jucundior est.

121. *Adnue; sic tibi*. In Cod. Askew. subscriptum est *si tibi*. *Sic* in obtestationibus proprium, ubi demulcendi et impellendi causa, eas res memorant quas iis, quos obtestantur, gratissimas atque gravissimas esse norunt; lib. I, Eleg. IV, vers. 1 : « Sic umbrosa tibi contingant tecta, etc. » Horat. lib. I, Od. III, vers. 1 : « Sic te diva potens Cypri, Sic fratres Helenæ, lucida sidera. » Virgil. Eclog. X, vs. 4 : « Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos, Doris amara suam non intermisceat undam. »

122. *Perpetuo*. Cod. Paris. Lips. unus Is. Voss. Ed. Ald. 1502, *perpetua*.

ELEGIA VI.

CASTRA Macer sequitur : tenero quid fiet Amori?
Sit comes, et collo fortiter arma gerat?
Et, seu longa virum terræ via, seu vaga ducent
Æquora, cum telis ad latus ire volet?
Ure, puer, quæso, tua qui ferus otia liquit

1. *Macer.* Quis et qualis fuerit ille Macer, utrum Pompeius Macer, an Æmilius, quum ordinandis elegiis operam daremus, jam explicuimus; neque in Tibulli vita silentio prætermisimus : non juvat itaque poetarum et aliorum testimonia bis transcribere, et ipsam nunc elegiam aggrediamur.—In Colb. et Colot. *Castra Venus*; quod nihil aliud est, nisi depravatio ex corruptela orta; inest enim quibusdam *Mater*.

2. *Sit comes.* Hoc loco interpretes multum disserunt, sitne miles Amor, an calo. Brouck. reposuit, *Si comes, et collo fortiter arma geret?* ut *geret* respondeat verbo *volet*. Heynius, qui lectionem suspectam habet, proponit *Si comes e collo fortiter arma geret*; nam *si* et *sit* mutari non novum. Muretus aliam protulerat emendationem, secundum quam legendum esset versus 4; *ille* pro *ire*: et potuit sane *ille* in *ire* degenerare, perinde ut apud Propert. ex *illa ira* factum. Quædam editiones Muretum secutæ sunt. Nos conjecturas quascunque missas facimus; consentiunt enim libri in vulgata, nisi quod alii *ferat* exhibeant, alii *geret*. Signum interrogationis a Brouckh. profectum suscepimus.

3. *Terræ via.* Guelf. 2, et I. Voss. 4, *terret* pro *terræ*. Hinc nata altera lectio, edit. min. anni 1472; *ducunt* pro *ducent*; sed ut recte conjunguntur tempora *ducent* et *volet*, ita etiam recte dicitur *terræ longa via*. Pro *vaga*, Sfortiæ liber habet *mala*: *vaga æquora* dicuntur, translato epitheto a *nauta vago*, lib. I, El. III, vers. 39; vel *mercatore vago*, quem dicit Horatius, de Art. Poet. vers. 117. HUSCHK.

4. *Ad latus ire volet.* Heynius putat turbari phrasin a permutatione modorum, quum post *sit* et *gerat* sequatur *volet*: itaque monet ut legas *velit*. Heinsius jam conjecerat *ad latus usque volet*: ingeniosa profecto, sed auctoritate destituta emendatio. De Mureti depravatione supra, ad vs. 2, jam egimus; Ovidius, Rem. Am. vers. 217: « Sed quanto minus ire voles, magis ire memento. » *Ad latus ire*, ut apud Propert. lib. III, Eleg. XII, vs. 22: « Et licet in triviis ad latus esse suæ. »

5. *Ure, puer, quæso.* Bach. simpliciter intelligit *Ure* cruciatibus, cum ulciscere propter perfidiam.

Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
Ipse levem galea qui sibi portet aquam.
Castra peto; valeatque Venus, valeantque puellæ.
Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est.

At H. Voss. hic servi aufugientis meminit, qui uritur ob id ipsum quod aufugerit, et ferus fuerit. *Otium* hic per oppositionem cum belli laboribus dictum.

6. *Atque iterum erronem.* Pro *iterum*, unus Statii *verum*, unde Passeratius *veterem* effinxit: pro *erronem* unus Palati *extorrem*; tres Gebhardi *heroem*; pro *signa* Reg. *juga*, Guelf. 2, *lustra*. Heinsius et Brouckh., quasi hic versus varietate lectionum careret, novam e conjectura addidere, *sub sua signa*. H. Voss. existimat falsam omnino esse lectionem *iterum*, et nescio qua ratione *retro* scripsit; sed *iterum vocare* innumeris in locis pro *retro vocare* positum, perinde ac *rursus agere* pro *retro agere*: et Huschkius exempla inducit quædam, Ovid. Ib. vers. 429: « Atque aliquid facias a vespere rursus ad ortus Cur externati solis agantur equi. » Utrumque adverbium sæpe conjungitur cum verbis *reverti*, *redire*, *revocare*. Terentius, Adelph. act. IV, sc. I, vers. 9: « Prius nox oppressisset illic, quam huc reverti posset iterum. » Virgil. Georg. IV, 495: « en iterum crudelia retro Fata vocant. »

7. *Quod si militibus parces*; unus Statii *parcis*; Guelf. 3, *parcas*, adposita tamen syllaba *es*; Passeratius corrigebat *parsis* pro *peperceris*, ἀρχαϊκῶς. — *Hic quoque*, scilicet, ego miles ero.

8. *Ipse levem galea* etc. Statii unus cum Guelf. 2, habent *levi galea*, quod recepit Brouckh., et explicuit ut *galeam gregariam*, et nulla crista insignem, qualem in Pharsalica pugna Brutus gestabat, ne agnosceretur a Cæsarianis. Deinde ait Brouckhusius Tibullum in imis ordinibus militare velle; tum de velitibus et levis armaturæ militibus somniat: denique *leves aquas* declarat esse rapide fluentes ac celeres. Statius adhuc deteriora secutus, *levem aquam* interpretatur *vilem*, quod quidem apud Propert. convenit, lib. III, El. XIII, vers. 18: « Vilem jejunæ sæpe negavit aquam. » Sed nullo modo huic loco convenit. *Levem aquam* multi poetarum dixere; Ovid. Art. Am. I, vs. 761: « Utque *leves* Proteus modo se tenuabit in undas. » Horatius, Epod. XVI, 47: « Montibus altis *Levis* crepante Lympha desilit pede. » Culex, vers. 146: « His suberat gelidis manans e fontibus unda, Quæ *levibus* placidum rivis sonat acta liquorem. » Ovid. Fast. lib. V, vs. 662: « leves cursum sustinuistis aquæ. » Cyllenius in suo libro habuerat *potet*, ut apud Propert. lib. III, El. X, vs. 8: « Potabis galea fessus Araxis aquam. » Sed vulgata servanda est.

10. *Et mihi facta tuba est.* Quidam codices habent *Et mihi grata*; quod Mureto placuit. H. Voss. e consuetudine sua τὸ *est* delevit. Ovidius, Trist. I, El. III, vs. 83: « Et mihi facta via est, et me capit ultima tellus. » Cæterum hic loci in nullo codice τὸ *est* desideratur.

Magna loquor : sed magnifice mihi magna locuto
  Excutiunt clausæ fortia verba fores.
Juravi quoties rediturum ad limina nunquam!
  Quum bene juravi, pes tamen ipse redit.
Acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas

11. *Magna locuto.* Askew. cum aliis *loquenti.* Te ad lib. I, Eleg. v, refer, ubi : « Ure ferum, et torque, libeat ne dicere quidquam Magnificum posthac; horrida verba doma.»

12. *Excutiunt clausæ fortia verba fores.* Grave verbum est *excutere*, et validæ significationis, ut notat Brouckh. exempla afferens, e quibus elegimus Senecæ versum ex Troad. 579 : « Magnifica verba mors prope admota excutit. » Et alium Virgil. Æn. lib. IX, vs. 476 : « Excussi manibus radii, revolutaque pensa. » In Excerptis Heinsii Italicis, pro *fortia* adest *grandia ;* non omnino male. Ausonius enim epist. 24, vers. 51 : « Grande aliquod verbum nimirum diximus. » Et vs. 54 : « Grandia verba premens, ultrix dea medica belli. » Nihilominus vulgata præstat : accedit et Propert. lib. I, El. V, vers. 14 : « Quum tibi singultu fortia verba cadent. » Ovid. Cons. ad Liviam. vs. 10 : « Alterius luctu fortia verba loqui. »

13. *Rediturum ad limina nunquam.* H. Voss. hunc versum intelligit eodem modo, quo apud Plautum, Asin. Act. V, sc. II, vers. 80 : « Surrepturum pallam promisit tibi.» Terent. Andr. Act. II, sc. III, vs. 27 : «Pollicitus sum suscepturum.» Eun. Act. I, sc. II, vs. 125 : « Is hodie venturum ad me constituit domum. » Multaque alia exempla cumulat, ubi *se* omissum. Huschkius alia quædam addit; sed Vossium merito confutat, qui *rediturum* pro participio accepit, inauditumque loquendi genus constituit : nullum tamen exemplorum quæ H.Voss. congessit, subintellecto pronomine carere potest. *Juravi rediturum nunquam* Vossio idem est, ac si dixisset poeta, *promisi aliquem qui nunquam rediret.* Exemplis ab Huschkio citatis hic non opus est : sed unum Theocriti inducam, quia Tibullianæ locutionis perquam simile est, Idyll. XXI, vs. 59 : Ὤμοσα δ' οὐκέτι λοιπὸν ὑπὲρ πελάγους πόδα θεῖναι.

14. *Pes tamen ipse redit.* Propertius, lib. II, Eleg. XIX, vers. 59 : « Ultro contentus rogat, et peccasse fatetur Læsus, et invitis ipse redit pedibus. »

15. *Acer Amor.* Hoc, et quod sequitur distichon, Scaliger Elegiæ superiori inseruit; et quatuordecim disticha elegiæ tertiæ hic collocavit absque ulla auctoritate, neque alia ratione, quam quod Macer *castra* sequitur, et nunc his insertis *castra* memorantur in poetæ domo. Mira sane jungendi, vel potius conturbandi causa! Certe si cuicunque vocabulo eadem concedatur potestas, verbum sui simile attrahendi, nihil obstabit, quominus omnes versus omnium simul elegiarum sint. Aliud insuper commisit Scaliger; novam enim elegiam a versu 19 ad finem excogitavit. Brouckh. qui semper in illius juravit verba, nunc quoque magistrum sequitur. Miror H. Voss. huic loco pepercisse, cultrumque invagina reconditum servasse.

Ilicet, exstinctas adspiciamque faces!
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
Cogis, et insana mente nefanda loqui.
Jam mala finissem leto: sed credula vitam
Spes fovet, et fore cras semper ait melius.
Spes alit agricolas: spes sulcis credit aratis

16. *Ilicet.* Sic Brouckh. ex emendatione Heinsii, et uno libro reposuit; vulgo *Si licet*, vel *Scilicet*.

17. *Tu me dira precari.* Reg. et Corvinus cum aliis *dura*.

18. *Nefanda.* Cod. Colb. *pudenda*.

19. *Jam mala finissem leto.* Scaliger in excerptis suis invenerat: *Finirent multi leto mala*: quod ille cupide amplexus est, atque adeo novæ inde elegiæ initium fecit: sed excerpta ista, ut sunt alias egregia, multis locis vulgatæ lectioni *gnomen* substituunt, ut solemus facere in iis quæ vel memoriæ, vel usus causa ex libris excerpimus, et in sententias absolutas convertere malumus. Sic lib. III, El. III, vs. 11, ubi vulgo: «Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?» In illis: «Quid prodesse potest pondus mihi divitis auri?» Supra, lib. I, Eleg. IX, vs. 51; in vulgatis erat: «Tu procul hinc absis, formam cui vendere cura est.» Scaliger ex iisdem eclogis reposuerat: «Sit procul a nobis, formam cui vendere cura est.» Similia, lib. I, El. X, vs. 5; lib. III, El. III, vers. 11; El. VI, vers. 45. Hoc autem loco, etiamsi omnes ad unum codices præferrent illam unius libri lectionem, retinerem vulgatam, quippe poeta digniorem, cui sui animi sensus exponendi erant, non vulgaris sententia proferenda. Vitæ sic tædium etiam infra profitetur, lib. III, El. II, vs. 7, 8. Pro *finissem* in uno Heinsii *fovissem*, et in Guarneriano lectum *data finissem*; quæ aberrationes sunt manus librariæ. H.

20. *Et fore cras semper ait melius.* Editiones vulgatæ omnes a Romana, et Cylleniams, quas vocant, ita hunc versum struxerant, *et melius cras fore semper ait*. At libri scripti magno numero nostram firmant lectionem, quum alteri nullus omnino faveat. Theocritus, Idyll. 4, vers. 41: Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε· τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες. Χ' ὡ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει. Spes ap. nos duobus præstantissimis poetis carmina suppeditavit perquam jucunda. Prior, J.-B. de St.-Victor, ei integrum poema consecravit: alter J. Delille, in opere quod inscribitur *l'Imagination*, hæc cecinit:

Là, sur deux points divers notre cœur se balance;
La crainte d'un côté, de l'autre l'espérance;
L'espérance au front gai, qui, lorsque tous les dieux
Loin de ce globe impur s'enfuirent dans les cieux,
Nous resta la dernière, et console le monde.
Avec le nautonier elle vogue sur l'onde,
Veille dans les comptoirs, guide les bataillons,
Sourit au laboureur courbé sur ses sillons,
Du savant matinal voit grossir le volume,
Et tient le soc, la rame, et l'épée, et la plume.

21. *Spes sulcis credit aratis.* Huic verbo *credit* apte respondet proximum *reddat*, cum utriusque medio *fænore*. Ovid. Art. Amat. lib. II, 512: «Credita nec semper sulci cum fœnore reddunt.» Vide etiam Rem.

Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum;
Crura sonant ferro; sed canit inter opus.
Spes facilem Nemesin spondet mihi; sed negat illa.
Hei mihi! ne vincas, dura puella, Deam.

Am. vs. 174; ex Pont. lib. I, Epist. v, vs. 26; lib. IV, Ep. XII, vs. 18. B.

22. *Quæ magno fænore reddat ager.* Pompeius Festus: « Fœnus appellatur naturalis terræ fetus, ob quam causam et nummorum fetus fœnus est vocatum, et de ea re leges fœnebres. » Cod. Lips. *fænore reddit ager:* etiam Is. Voss. 5; *reddit.* Paris. *reddet.*

24. *Tenues hamos abdidit ante cibus.* Heinsius proponit, *Quum tenues hamis subdidit ante cibos*, cui tamen Ovidius obstat, Rem. Am. vs. 210: « Abdere supremis æra recurva cibis. » Et Metam. lib. XV, vs. 476: « Nec celate cibis uncos fallacibus hamos. » Burmann. et H. Voss. *arte* pro *ante* suscipiunt, quod otiosum H. Voss. declarat. Sed Huschk. et Bach. contra faciunt: nam ante spes abdit cibo hamos, quam captat arundine pisces.

25. *Compede vinctum.* Gothanus habet *victum.*

26. *Sed canit.* Reg. *et*; pro *crura* in Venet. ridicula aberratione *cornua*; idem in Guelf. 1; in aliis, *arma.*

28. *Dura puella.* Guelf. 2, et unus Statii, *bella.* Laudi liber *lenta* ex vs. 36. Eodem modo mox pro *parva* unus *sancta* ex vers. 31. HEYN. H. Voss. suscepit *lenta*; et vulgatam pro glossa in margine adscriptam putavit; sed non respexit vocem *facilem* doctus vir, cum qua amœnam oppositionem parit τὸ *dura*, quod perfrequens est. Livius, lib. XXVI, cap. 15: « Facilis impetrandæ veniæ Claudius; Fulvii durior sententia erat. » Antonius apud Ciceronem ad Attic. lib. XIV, Ep. 13, similem oppositionem facit — *Ne vincas Deam.* Dicunt Latini *spem alicujus vincere* pro *frustrari.* Cicero in Verr. act. I, cap, 6; Livius XXVII, cap. 49. Ergo *Deam Spem vincere, est promissa Deæ frustrari, spem fallere.* — Antequam ad cætera progrediamur, Huschkii annotatio referenda est ad voculam *Hei*; ait enim: « *Heu mihi*; nescio an primum Heynius intulerit; ego in nulla ante eum curata editione invenio; et, quod plus est, in nullo libro scripto. Paris., *Hey mihi*, id est, *Hei*, ut supra, Eleg. I, vers. 70: Lips. *Hei mihi!* Latini perpetuo scribunt *Hei mihi! Heu me!* Libri meliores non variant; quin omnes consentiunt apud Propert. lib. I, Eleg. III, vs. 38: « Languidus exactis hei mihi sideribus! » Et lib. IV, Eleg. I, vers. 58: « Hei mihi! quod nostro est parvus in ore sonus. » Lib. IV, El. VIII, vs. 48: « Lanuvii ad portas hei mihi solus eram! » « Iidem constanter alibi exhibent *heu*, exhibituri etiam, nisi fallor, *heu me*, si hac formula usus esset Propertius. In Tibullo eadem constantia librarii, et editores, lib. III, Eleg. VI, vers. 33, dederunt:

Parce, per immatura tuæ precor ossa sororis :
  Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est; illius dona sepulcro,
  Et madefacta meis serta feram lacrymis.
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
  Et mea cum muto fata querar cinere.

hei mihi! nisi quod unus et alter expressit vitiosam lectionem *si mihi:* at lib. II, El. I, vers. 70, quædam non magni momenti diversitas occurrit: nam recte scribit Santenius ad Balbi Eleg. III, *heu mihi!* pro *heu me!* unius Plautini loci auctoritate, an vitio niti videtur: nimirum in Milite Glor. act. IV, sc. VIII, vs. 32, aliquando lectum fuisse *heu mihi! nequeo quin flcam,* liquet ex Vossio de construct. c. 69, p. 272; Gesner. Thesaur. v. *heu*, nescio an propter mutilatum Cledonium, p. 1875, 12: sed audiendus Bentleius ad Horat. Epod. XI, vs. 7, et reddendum *hei* Balbo. »

29. *Per immatura ossa.* Cicero pro Quintio, cap. 31: *obsecravit per fratris sui mortui cinerem.*

30. *Sub tenera parva quiescat humo.* Commode hæc exposuit Kirchmann, lib. III, eruditi operis de funeribus Romanorum, cap. 9; nec semel legitur in lapidibus priscis; *ossa tibi bene quiescant.* Broucкн. — *Sub tenera humo;* in Bibl. critica, p. III, p. 87, conjicitur *sub tenui;* sed immutatione non opus est. Ovid. Amor. lib. II, Eleg. XVI, vers. 6: « in tenero fertilis herba solo. » Art. Am. lib. I, vers. 299; *prata tenerrima;* Am. lib. III, Eleg. V, vers. 16: « Cumque sua teneram conjuge pressit humum. » Ipse Tibullus, lib. I, El. VII, vs. 30: « Et teneram ferro sollicitavit humum. »

31. *Illa mihi sancta est.* Sancti vocantur piorum manes, eorumque qui de patria bene meriti, vita functi sunt. Cicero Philip. 14, cap. 12: « Actum igitur præclare vobiscum, fortissimi, dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites etc. » Cod. Lips. *Illa modo sancta est.*

32. *Madefacta meis serta feram.* Cod. Paris. *ferant.* Ovidius, Trist. lib. III, El. III, vers. 82: « Tu tamen exstincto feralia munera ferto; Deque tuis lacrymis humida serta dato. »

33. *Supplexque sedebo.* Ex ritu solemni; sedebant enim supplicantes et lugentes. Prop. lib. I, El. XV, vs. 11, de Calypsone: « Multos illa dies incomtis mœsta capillis Sederat, injusto multa locuta solo. » Hic tu Passeratium consule; et Lud. *de la Cerda* ad Æn. lib. IX, vs. 4. Broucкн.

34. *Et mea cum muto fata querar cinere.* Queri cum aliquo latini vulgo dicunt expostulare cum aliquo. Cicero ad Famil. lib. III, Ep. 10: « Quererer tecum atque expostularem ni... purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accusare mallem. » Sed Tibullus plane eodem modo hic locutus est, quo Sophocles in Electra, vs. 1127: « Ὅπως ἐμαυτὴν καὶ γένος τὸ πᾶν ὁμου Ξὺν τῇδε κλαύσω κἀποδύρωμαι σποδῷ. » Propert. lib. I, El. III, vs. 45: « Interdum graviter mecum deserta querebar Externo longas sæpe in amore moras. » Tibullus nunc eodem, quo Sophocles, modo ac sensu τὸ *queri* usurpavit.

Non feret usque suum te propter flere clientem ;
Illius ut verbis sis mihi lenta, veto :
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
Mœstaque sopitæ stet soror ante torum ;
Qualis, ab excelsa præceps delapsa fenestra,
Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominæ luctus renoventur acerbi:
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.

35. *Flere clientem.* Lips. *fere :* unus liber apud H. Voss. *ferre ;* item unus pro *clientem* habet *quietem.*

36. *Illius ut verbis.* Voss. intelligit : *tanquam illius verbis ;* alterum enim sensum *ut sis lenta veto* vix latine dici posse affirmat : ejusdem sententiæ particeps est Huschkius : ergo supplendum est, *veto ne sis mihi lenta.* Horat. lib. III, Od. II, vs. 26 : « *Vetabo* qui Cereris sacrum Volgarit arcanæ, sub isdem *Sit* trabibus. » In vetere Lips. editione glossa quædam explicat *lenta*, quasi esset *non dura*, *exorabilis*, et *veto* mutat in *peto ;* quod et Guyeto perperam placuit.

37. *Ne tibi...mala somnia.* Brouckh. *nova* præfert ; novum enim dicitur quod cum aliquo terrore animum percellit ; sed pluribus codd. inest *mala ;* duobus tantum *nova* apud Brouckh. et tribus apud H. Voss. qui id amplexus est, ut elegantius. — *Mala somnia* dicuntur, ut alibi *tristia* Virgil. Æn. lib. V, vers. 840. Homerus, Odys. lib. XX, vs. 87 : Αὐτὰρ ἐμοὶ καὶ ὀνείρατ' ἐπέσσευεν κακὰ δαίμων. » Ipse Tibul. lib. I, Eleg. v, vs. 13, *sæva somnia ;* et lib. III, El. IV, vs. 95, *crudelia somnia.*

38. *Stet soror ante torum.* Homero somnia dicuntur stare super caput dormientis, Iliad. X, 496 : « Κακὸν γὰρ ὄναρ κεφαλῆφιν ἐπέστη. » Ovidius, Fast. lib. IV, vers. 639 : « Nox erat, ante torum visa est adstare sororis Squallenti Dido sanguinolenta coma. »

39. *Qualis ab excelsa* etc. Gothanus et Statii unus *sagitta* pro *fenestra.* — Vulgaris superstitio erat, tales apparere Manes, quales vita excesserint : conf. Æneid. lib. II, vs. 268 ; Ovid. Metam. lib. XI, vers. 650. Talis et umbra Remi, confossa et sanguinolenta, stat ante lectum Faustuli atque Accæ, lib. V, Fast. vs. 451 ; et Laius apud Papinium, Theb. lib. II, vs. 120 ; et sic Medea, in tragœdia cognomine, de Absyrto fratre, vers. 952 : « cujus umbra dispersis venit Incerta membris ? frater est, pœnas petit, Dabimus. » Sic Athalia de matris umbra, apud RACINE, Act. II, sc. 5 :

Ma mère Jézabel devant moi s'est montrée,
Comme au jour de sa mort, pompeusement
parée, etc.

41. *Desino.* Quidam libri scripti, *desine*, male ; unus, *desinam.* — « Tibullus, ait Lennepius ad Ovidii Ep. XV, vs. 32, uno tantum in loco a ratione veterum deflexit, postremam in *desino* corripiens. » Sed jam supra, lib. I, El. VI, vs. 55, posuit *nescio* ultima correpta. HUSCHK.

42. *Non ego sum tanti.* Bach. explicat : non is ego, non tanto superior sum Nemesi, ut ipsam dolori-

ALBII TIBULLI
ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

ELEGIA PRIMA.

MARTIS Romani festæ venere kalendæ:
  Exoriens nostris hinc fuit annus avis.
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa

De Neæra et Lygdamo, qui et quales fuerint in Tibulli vita fuse disseruimus: ne itaque semper eadem recantemus, doctorum in præsentia opiniones missas faciamus; licet maximo nisu editores fere omnes poetam nostrum a Neæra abstinere jubeant, tantaque observationum mole hujus libri aditum obstruant, ut lector vix amœnissimis carminibus frui possit. Sunt etiam qui novum titulum adpingere conentur, epistolasque vocent, quas nos elegias: adesse enim tabellarias quæ eas perferant. Sane de lana caprina disputant illi, integramque disceptationem ne nauci faciendam censeo. Restat ut de Vossii temeritate referam, qui carmen in Messalam libro secundo submittens, reliqua ita miscet, ut nihil sit quod non loco moveat; quartum enim librum huc retrahit, tertium vero nomine Lygdami inscriptum in ultimam sedem relegat ex ingenio.

1. *Martis... festæ... kalendæ.* Ritum omnem moremque diligenter exposuerunt Lambinus et Torrentius ad Horat. lib. III, Od. 8; adi quoque Cyllenium. Kalendæ Martiæ, sub Matronalium nomine, celebrabantur præsertim a maritis et amantibus.

2. *Exoriens nostris hinc.* Vulgo legebatur *hic.* Scaliger e suo *hinc* revocavit, quod nunc duobus J. Vossii libris, Monac., Bern. et Askew. firmatur. Nihilominus Bachius *hic* scripsit, exemplo fretus quod minime huc pertinet, Propert. libro IV, Eleg. IV, vs. 73: « Urbi festus erat, dixere Palilia patres, Hic primus cœpit mœnibus esse dies. »

3. *Et vaga... pompa.* Voss. *Ut* pro *Et* e duobus Guelf. et edit. Romana recepit, exclamationis signo in di-

Perque vias urbis munera, perque domos.
Dicite, Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen?
Carmine formosæ, pretio capiuntur avaræ.
Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex cui canas tondeat ante comas;

tichi fine addito; sed hoc contra simplicitatem Tibulli fecit. Lachman. et Mitscherlich. *crebra* pro *certa* legi volunt, perperam: *certa* enim dicuntur quia destinata; opponitur τὸ *certa* epitheto *vaga*, perinde ac apud Apuleium asinus in mola *vagatur* errore *certo*.

4. *Perque vias...perque domos*. Eodem modo hæc distinxit Virgilius, Æn. lib. II, vers. 364.

6. *Neæra*. Hac, vel saltem hujus nomine usus est pro pellice Aurelius Prudentius, pariterque Georgius Fabricius; sed Brouckhus. illis puellam eripuit, eique nomen incontaminatum fuisse ostendit, teste Joviano Pontano. Quin adeo Neæra Martis uxor appellata est. Præterea Valerio Flacco memoratur Neæra quædam inter primarias Lemni mulieres. His et aliis argumentis confutat Brouckh. eos, qui castam puellam meretricio nomine dehonestant. —Heynius ait: « Si accurate agas, est *fallor* pro *si fallor*, est enim, *seu mea*, *seu tamen cara*. » Propius ad rem accessit H. Voss., *seu mea sit*, *seu non sit tamen cara*, quod germanice ita expressit: *Meine*, *wo nicht*, *dennoch liebe Neæra*.

7. *Carmine formosæ* etc. Muretus dialogum hic somniaverat adesse, ita ut nunc interroganti poetæ responsum daret Musa. H. Voss. pariter Pierides loquentes inducit; unde sequente versu *tuis* et duodecimo *tuum* legi vult, hoc librorum auctoritate, illud ex ingenio; quocirca ab Huschkio reprehenditur hoc modo: « Tu qui toties apud Homerum legisti, Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι. Num semel respondere vidisti Musas? Immo semper respondet Homerus ipse, fidus Musarum interpres. » Heynio videtur Mureti ratio in elegiæ genium non cadere.

8. *Gaudeat, ut digna est* etc. Digna est, quia formosa; nihil est quod sensum impediat; neque intelligo cur Huschkius novum interpungendi modum protulerit.

9. *Lutea... membrana*. Hæc de volumine convoluto intelligenda sunt. De ornamentis librorum docte egerunt Is. Vossius ad Catull. p. 52, et Schwartz. tribus dissertationibus; alii quidam rem illustravere, quos recenset doctissimus Barthius ad Statii Silv. IV, IX, vs. 7; adi quoque Turnebum, Adv. lib. XXII, cap. 10, denique Manutium in Cicer. lib. III, ad Famil. Epist. 7.

10. *Pumex... ante*. Librorum magna pars exhibet, *Pumicet, et canas tondeat ante comas*; in quibusdam *Punicet* legitur, nulla ratione habita τοῦ *lutea*, quod superiori versui inest. At Guelf. 2, Voss. 3 et 5, excerpt. Perreii præbent *Pumex et*; ita Muretus edidit. Heinsius primum

Summaque prætexat tenuis fastigia chartæ,
  Indicet ut nomen, litera facta, meum;
Atque inter geminas pingantur cornua frontes;

emendaverat *Pumice et incanas*; deinde *Pumice quæ canas*; qua in re H. Vossium consentientem habet. Nos Huschkio accedimus dicenti: «Guelf. 1, *Pumiceque et.* Hæc nos scriptura ad veram, nisi fallimur, lectionem ducet. Fuerunt qui pro *Pumex* scriberent *Pumix*, quam formam prætulit Scaliger. Fac igitur in vetere quodam libro exaratum fuisse obscure, *Pumix c*; in alio, *Pumix qu*. Hinc librarius fecit *Pumice que*, quod quum metro adversari videret, addidit commune illud supplementum *et*. Abjice hoc *et*, quod peperit alteram lectionem *Pumicet et*, mutansque *c* in *cui*, vel *qu* in *quoi*, (ut infra ad El. 2.) lege *Pumex cui canas tondeat ante comas*. Sic habes lectionem consuetudini Albianæ maxime convenientem. Sæpe de hac orationis structura dixi: unum locum adscribam quia est simillimus; lib. II, Eleg. 11, vers. 5: «Ipse suos genius adsit visurus honores, Cui decorent sanctas mollia serta comas.» — «Quidam libri, sed pauci, habent *arte* pro *ante*.

11. *Summaque prætexat tenuis* etc. Unus Statii habet *protexat*. Paris. *protexit*; sed vera lectio est *Prætexat*. Plin. H. N. præf. p. 3: «Argumentum hujus stomachi mei habebis, quod in his voluminibus auctorum nomina prætexui.» Cicero, Div. II, 54: «Atque in sibyllinis ex primis versuum cujusque sententiæ literis, illius sententiæ carmen omne prætexitur.» Hæc dicitur ἀκροστιχίς ut apud Tibullum designatur παραστιχίς. Suetonius Grammat. 6, de Aurelio Opilio: «Hujus cognomen in plerisque indicibus et titulis per unam literam scriptum animadverto; verum ipse id per duas affert in parastichide libelli qui inscribitur Pinax.» Hinc pereleganter auctor Ciris ad Musas, vs. 98: «nunc age, divæ, Præcipue nostro nunc adspirate labori, Atque novum æterno prætexite honore volumen.» Huschkius. — *Tenuis*; in *tenuitate* ac *teneritate* præstantia chartæ cernebatur, etiam in involucro; Martial. lib. III, Epigr. 11: «Te purpura delicata velet.» Heyn.

12. *Litera facta*. H. Voss. legit *litera pacta* existimatque τὸ *facta* languide dictum ab ignaris librariis profectum esse; sed Plautus, Asin. act. IV, sc. 1, vers. 22: «Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.» Ovidius, Epist. Her. V, vs. 1: «non est Ista Mycenæa litera facta manu.» Certo plus in hac re sapiunt Plautus et Ovidius, quam editio Basiliensis et H. Vossius: in versus fine *meum* lege non *tuum*; sic enim sermonis ratio postulat, sic quoque libri quidam inter quos duo vel tres anglici, tres item Voss. — Lectio *tuum* Muretum decepit, ut etiam, vs. 8, *meis* mutaret in *tuis*.

13. *Atque inter geminas* etc. Heynius legi velit *geminæ*; esse enim frontes inter bacilli cornua, non cornua inter frontes; sed frontes libri quæ sint disputatur inter doctos. Vossius et Schwarzius bases cylindri intelligunt; Burmann. ad Ovid. Trist. lib. I, El. 1, vs. 11, summam ipsius voluminis, partem interiorem et exteriorem inscriptione et titulo insignitam.

Sic etenim comptum mittere oportet opus.
Per vos, auctores hujus mihi carminis, oro,
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
Ite domum, cultumque illi donate libellum
Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,

14. *Sic etenim.* H. Voss. vult *tenero*, adfirmatque Tibullum comptum opus misisse, quia tenera puella esset, ut illi necessario causa adscribenda fuerit ope vocabuli *tenero*, quod paulatim culpa librariorum in *etenim* transierit. Nimis acuta conjectura.

15. *Per vos, auctores* etc. Junge *oro vos* (Pieridas) *auctores mihi hujus carminis per umbram Castaliam* (nemus circa fontem Castalium in monte Parnasso), *et per lacus Pierios* (fontes Pieriis his puellis in Parnasso et Helicone sacros). HEYN. — Quum in cod. N. Heinsii occurrat *ejus*, Huschkius locum corruptele suspectum habet, et *musas* legi desiderat pro *hujus*, ut in exemplari Lips. edit. regiæ adscriptum reperit: præstat tamen vulgata.

16. *Castaliamque umbram.* Is. Vossii 4, *Castalium numen*; Paris. *Castaliam ambrosiam*; Guelf. 2, pro *umbram* ab alia manu adscriptum habet *undam*; sed erant apud fontem lauri ingentes.

18. *Sicut erit.* Bach. præeuntibus H. Voss. et Bauero, scripsit *Sicut erat*, id est, eodem ornamento conspicuum date, quo a me accepistis: sed nostra lectio est veterum librorum testimonio innixa. Non eadem ratione loquitur poeta ac si epistolam scriberet; sermo est de opere nondum absoluto, quod ubi perfectum erit, tale puellæ tradendum, quale e manibus auctoris exierit; servanda igitur vulgata. Statius et Aldus etiam τὸ *erat* amplexi sunt.

19. *Illa mihi referet.* Ita Scaliger e libris restituit. Heynius *referat* prætulit, et editiones veteres in partes diversas discesserunt. Vossius, qua morositate est, duplex vitium in hujus versus fine adesse clamat. Neque enim *si* bene poni ante *an—an*; neque *est* ante *an* deciderim. Sed Propertius Tibullo adest; et ecce ambo ferulæ manum subducunt; ait enim ille, lib. III, El. v, vs. 39: « Sub terris si jura Deûm et tormenta gigantum, Tisiphones atro si furit angue caput: An ficta in miseras descendit fabula gentes. » Attamen quum passim occurrat *nostri si* pro *si nostri*, fateamur Vossii emendationem ingeniosam esse: *Illa mihi referet nostri sit mutua cura*, præsertim quum Virgilius, Georg. lib. II, vers. 227, dixerit: « Rara sit, an supra morem si densa, requiras. » Et Martialis, lib. XI, 60: « Sit Phlogis an Chione Veneri magis apta, requiris. » Quod ad aliam culpationem attinet, Huschk. ait: « In his facile nos falli possumus rationibus grammaticis. Quidni priorem propositionis partem definite, posteriorem, quam vel maxime abhorrebat, indefinite ac dubitanter efferre potuerit auctor? Quum præsertim in ejusmodi oratione modos variare soleant, et alii scriptores, et Propertius, loco quem paulo ante laudavimus. Cæterum cum Tibullo plane conspirat

An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primum Nympham longa donate salute,
Atque hæc submisso dicite verba sono:
Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra,

Horatius, lib. I, Epist. III, vs. 30: « Debes hoc etiam rescribere, si tibi curæ est, Quantæ conveniat, Munatius; an male etc. »

20. *An minor*. Pontanus legebat *An maneam*; Heinsius *Anne amer*; Statius *An minor, et toto*; Ayrmann. in vita Tibulli, p. 86, *Aut minor, an*. Heynius sese ipsum non intellexisse videtur. Laudi liber, et Askew. pro *pectore* habent *corpore*, satis ridicule. Vides, amice lector, quantum in loco luce clariori sudaverint viri docti.

21. *Nympham*. Scaliger *meritam* loco τοῦ *Nympham* reposuit, qua in re Brouckh. assentientem habuit. Nymphas enim a puellis ac mulieribus hominum filiabus diversas esse ostendit. Editio Romana, et quæ hinc fluxere, tum etiam magna pars librorum, cum illis faciunt; adsunt et aliæ lectiones, sed ne relatu quidem dignæ, ut *marathum, myrtum, myrcum*. Heynio et Huschkio consentio, nullam vim lectioni *meritam* inesse declarantibus: itaque *Nympham* amplector, more græco, pro nupta sponsa. Pro *longa* complures libri habent *larga*; sed Virgilius, Ecl. III, vs. 79: « Et longum formose vale, vale, inquit, Iola. »

22. *Submisso... sono*. Id est, sono precantis vocis, perinde ac apud Ovid. Met. lib. VII, vs. 90: « auxilium submissa voce rogavit. » Cave igitur ne explices quasi sonus exilis esset, qui vix aure percipi posset.

23. *Vir quondam, nunc frater*. Magnam hic insulsitatis ac stultitiæ impensam fecere eruditi, quum Tibullum et Neæram in eamdem familiam cogere voluerint, propter hunc versum. Præcipue sudat Muretus, ut propinquitatis nexum explicet, demonstretque illos fratre et sorore editos esse, et merito fratres vocari, quamvis legitimas nuptias inire possent. Lipsius adverbium *quondam* hoc loco non præteritum tempus, sed futurum designare adfirmat. Sed obstat τὸ *nunc*, quominus ita intelligi possit. Luce clarius est quod hic cecinit poeta; significat enim sese Neæræ maritum, amatorem fuisse olim, eaque usum esse ut propria uxore; nunc vero quum illa ipsum negligeret, nihilominus in amore permansurum, quamvis frater potius, quam maritus sit. Nescio cur Huschkius putat fratris appellationem in domibus meretriciis tantum usitatam esse. Licet Athenæum citet, lib. XIII, dicentem: Αὗται βιάζονται γὰρ, εἰσέλκουσί τε τοὺς μὲν γέροντας ὄντας ἐπικαλούμεναι Πατρίδια, τοὺς δ' ἀπφάρια τοὺς νεωτέρους. Nihilominus constat illam et pudicis adfectibus designandis adsumptam fuisse. Quintilianus, Decl. 321: « Certe quoties blandiri volumus bis, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quam ut fratres vocemus. » Horatius, Ep. lib. I, 6, vs. 54: « frater, pater, adde, Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta. » Propius ad rem accedit locus Plauti, Curc. act. I, sc. 1, vs. 52: « Tam a me pudica est, quasi soror mea sit, nisi Si est osculando quippiam impudicior. » Brouckh. denique Senecam laudat

Mittit et accipias, munera parva, rogat;
Teque suis jurat caram magis esse medullis,
  Sive sibi conjux, sive futura soror.
Sed potius conjux; hujus spem nominis illi
  Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

in Hippolyt. vs. 609: H. « Committe curas auribus, mater, meis. » P. « Matris superbum est nomen, et nimium potens; ... Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca. » Contarenus quoque suas nugas admovit; quippe qui Tibullo viam ad Neæram præcludat, ne forte epitheton *casta* amittat; quo tamen a codice Monac. orbatur, ubi *cara* legitur, non *casta*. Cæterum Huschkius solemni voce pronuntiat: « Ergo hoc libro fabula agitur eadem fere atque Orestis et Hermiones, quam epistola VIII celebravit Ovidius, primo statim disticho versum 23 ita exprimens, ut Mureti partim, partim nostram interpretationem penitus confirmet: « Adloquor Hermione nuper fratremque virumque; Nunc fratrem; nomen conjugis alter habet. » — Hæc omnia ne titivillitio quidem emerim.

24. *Et accipias*. Guelf. 1, 4, *ut accipias*; confer Pindari Pyth. II, 124-130; Nem. III, 132.

25. *Caram magis*. Dresd. *magis caram*. Lips. *jurat que caram*.

26. *Sive tibi conjux*. Is. Vossii quartus habet *sibi* perperam. Lips. *conjunx* itemque versu sequente.

28. *Pallida Ditis aqua*. Brouckh. explicat ut sit livida, lurida, obscœno limo turpis. Cæterum hoc epitheton ad quascunque res inferorum trahi potest, ut exemplis fuse docet vir doctus. Sic *Pallidus Orcus*, Virg. Georg. I, 277. In anthologia occurrit χλωρὸν χεῦμ' Ἀχέροντος, similis fere locutio.

ELEGIA II.

Qui primus caram juveni, carumque puellæ
  Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.

1. *Qui primus*. Ita scribendum auctoribus libris; vulgo ab Aldina ad Brouckh. usque legebatur *Qui primum*. Tibullus, lib. I, Eleg. x, eodem modo dixit: « Quis fuit horrendos primus qui protulit enses? » Et Eleg. IV, vs. 59: « At tibi qui Venerem docuisti vendere primus. » Ovidius, Amor. lib. II, Eleg. 3: « Qui primus pueris genitalia membra recidit. » Pro *carumque*, nonnulli habent *carumve*, quod H. Voss. et Bach. amplexi sunt, adesse duplex dissidii genus affirmantes; alii cum edit. Ven. pr. Reg. Lep. Vicent. *cæreque puellæ*; quod quidem ferri potest; sed præstat nostra lectio.

2. *Eripuit*. In Monac. *Arripuit*; Vos-

Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta conjuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc : non hæc patientia nostro
Ingenio ; frangit fortia corda dolor.
Nec mihi vera loqui pudor est, vitæque fateri
Tot mala perpessæ tædia nata meæ.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in umbram,

sii 4, *Erripuit.* BERTIN hoc distichon sic adumbravit :

Périsse le premier dont l'injuste rigueur
A séparé l'amant de sa jeune maîtresse !

3. *Durus et ille fuit.* Excerpta Perrei et Pocchi, cum nonnullis libris, repetunt superiora, *Ferreus ille fuit.* Sed particula *et* abesse nequit, nisi cum Hœufftio e conjectura legere malis, *Durior ille fuit :* scilicet ferreo durior; quod Huschkio valde placet, mihi vero minus.

4. *Erepta conjuge.* Conjux absque dubio dicitur hic puella amata, non, ut Servius ad Virg. Ecl. VIII, vs. 18, notat, quia fore sperabatur ; sed quia mutua consuetudo talis erat, ut alter altero pro conjuge frueretur : in Regio legitur *exempta*, quod e compendio scripturæ natum ; proprium est *eripiendi* verbum. Sic Propert. lib. II, El. XXXIV, vs. 2 : « Sic erepta mihi pæne puella mea est ; » lib. II, El. VII, vers. 1 : « Eripitur nobis jam pridem cara puella.» H. Voss. ut aliquid invertat, proponit *tantum qui ferre dolorem :* textu tamen abstinuit.

5. *Non ego firmus in hoc.* Excerpta Pocchi antiqua, et duo italici, *fortis.* —*Non hæc patientia.* Si Pocchi et Perrei opinionem sequaris, hæc verba a Joviano Pontano profecta sunt, et in antiquis libris legebatur, *non hoc patiemur et æquo Ingenio.* Quædam editiones sic habent ; in Vatican. legitur *non hoc nostro patiemur Ingenio* ; in Gothan. *non hæc nostro patientia Ingenio.* Nostram lectionem tuentur, cod. Paris. Brouckhusii unus, et editiones non despiciendæ. Pontanus potuit e mendosa librorum scriptura vulgatam formare; qua in re laudandus (Huschkii verba sunt), non reprehendendus est.

6. *Frangit fortia corda dolor.* Hinc in superiorem versum irrepsit lectio *fortis.* Cicero, lib. II, Tuscul. cap. 8 : « Sed videamus Herculem ipsum, qui tum dolore *frangebatur*, quum immortalitatem ipsa morte quæreret. » Virgil. Æn. lib. II, vs. 13 : « fracti bello fatisque repulsi. »

7. *Nec mihi.* Editiones principes statim discidium fecerunt ; nam major Ald. habet, *Hæc mihi verba loqui pudor est* (*verba* etiam in Is. Vossii quinto adest) ; minor contra Aldina, *Hæc mihi vera loqui pudor est.* *Nec* Brouckh. e libris repetiit.

8. *Tædia nata.* Scaliger e suo *tædia nota* posuit; sed Muretus, et post eum Brouckh. e potioribus genuinam scripturam restituerunt. Tædia enim nascuntur a malis quæ perpetimur. In editionibus inde ab Ald. vulgatum erat *perpessæ tot superesse meæ.*

9. *Ergo quum.* Romana et inde aliæ edit. cum Guelf. 1, 2, et aliis codicibus, *Ergo ego*, quod Brouckh.

Candidaque ossa super nigra favilla teget;
Ante meum veniat, longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.
Sed veniat caræ matris comitata dolore;
Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.
Præfatæ ante meos, manes animamque precatæ,

delendum putat propter dactylorum intempestivam celeritatem in re lugubri.—*Ego* ab iis insertum est qui putarent ultimam in *ergo* brevem esse. Correpta an corrupta demum est post Ovidium. Veteres semper produxerunt; vide Brouckh. ad Propert. III, VII, 1; Santenium ad Catulli Eleg. in Manl. 48. HUSCHK.

10. *Super... teget;* quibusdam inest *supra* quod videtur Huschkio e compendio *sup* processisse; pro *nigra*, duo Is. Vossii *magna*.

11. *Veniat, longos.* In Cod. Askew. *longos veniat;* in Is. Vossii quinto *veniet*.

12. *Mœsta Neæra.* Vindob. codex Neæram, velit nolit, *castam* declarat loco τοῦ *mœsta:* idem fecit Brouckhus. unus. Lacrymis et fletu carorum gaudere credebantur umbræ; vide Homer. Iliad. lib. XVIII, 339; lib. XXIII, vs. 9, 222, 252; Odyss. lib. IV, vs. 195; lib. XXIV, vs. 189.

13. *Caræ matris comitata dolore.* Hinc Ovidius, Am. lib. III, El. IX, vs. 51: « Hinc soror in partem misera cum matre doloris Venit, inornatas dilaniata comas. » Quem locum Huschkius prætulit, ut simpliciorem Tibulli versu: mihi vero secus visum est; neque temeritate caret qui Tibullum insolenter aliquid dixisse asserit.

14. *Mœreat hæc genero* etc. Brouckhusius ait: « *Gener* hic dicitur, et *vir*, non qui re ipsa, sed qui esse vult spe atque animo. » Ego qua sententia sum, opinor Tibullum re ipsa quidem, non vero jure maritum fuisse. Lipsius hunc locum multum vexat, orationi barbariem et sordes subesse declarans; itaque legi vult: « Mœreat hæc generum, mœreat illa virum. » Vulpius, qui diversam iniit opinionem, *genero* et *viro* pro tertio casu sumit, ut *mœrere alicui* significet, alicujus gratia. Cicero pro Sextio, cap. 14: « Quis unquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut sibi mœrere, aut cæteris supplicare? » Sed apud veteres sextus casus in hac re usitatior; Cicer. lib. V, Epist. ad fam. 16: « Si tuarum rerum cogitatione mœres. » Et Sulpicius apud eumdem, lib. IV, Ep. 5: « Da hoc familiaribus, qui tuo dolore mœrent. » MOLLEVAUT, poetæ nostri in hoc felix interpres sic vertit:

Que l'une pleure un gendre, et l'autre son époux.

Et accuratius adhuc germanice, H. Voss. qui versum latinum ad verbum expressit: *Trauere diese den Sohn, trauere jene den Mann.*

15. *Præfatæ ante meos manes.* Huschkius e conjectura *Præfatæque* in textum suscepit, et τὸ *ante* delevit, quasi esset e syllabis repetitis *atæ* verbi *præfatæ* natum; nimium audaciæ suæ confisus doctus ille vir τὸ *ante*, ut bis positum, et jam, vs. 11 et 12 occurrens, ejecit dicens: « Quorsum *præfatæ ante* quum *præfari* per se sit *ante fari* vel *affari?* » —*Animamque precatæ.* Scaliger *ani-*

Perfusæque pias ante liquore manus;
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant;
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent;
Post hæc carbaseis humorem tollere velis,

mamque connectebat cum *præfatæ;* deinde legebat, *rigatæ Perfusæque pias ante liquore manus.* Libri fere omnes exhibent *animamque rogatæ* vel *rogate.* Statius hinc faciebat *togatæ.* Lectio nostra Heynio placuit; non tamen sine dubitatione illam amplexus est, qui antea proposuerat: « Præfatæ ante meos Manes animamque vagantem; » tunc temporis autem dubius erat, quomodo *Præfatæ* in codicibus permultis in *rogatæ* abiisse potuerit, et *precatæ* habebat pro interpretatione vel correctione: in posterum idem sensit de *rogatæ.* Sunt qui *rogate* imperandi modo sumant. Huschkio videtur *animam precari* dictum pro *animam precando vocare*, quod alibi dicitur *voce precari.* Vide lib. II, El. 1, vs. 83. Locus similis apud Virgilium invenitur, Æn. V, vs. 98: « Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat Anchisæ magni, manesque Acheronte remissos; » qua in opinione acquiescendum censeo, licet H. Voss. *rogatam* vel *rogando* in notis prætulerit.

17. *Pars quæ.* In sex H. Vossii libris *Pars quoque;* Lips. *Pars quæque.* —Kirchmann. de Fun. Rom. III, 7; et Berger. Eclog. Corsic. II, 18, quærunt, quomodo ossa a reliquo cinere distingui potuerint.

18. *Incinctæ nigra... veste.* In quibusdam codicibus *legent*, et sequente versu *spargent* inest. Sed perperam; nam sequitur *parent.* Brouckh. hic notat Romanas mulieres in luctu nigro colore indutas esse, additque sub imperatoribus, luxu jam prævalido, colorem album adeo eviluisse, ut eum inducere luctus nota fuerit apud matronas; quod quibusdam doctis viris fucum fecit, ut etiam Plutarchi auctoritate declararint mulieres in luctu semper vestibus albis usas esse.

19. *Annoso collecta Lyæo.* Duo H. Vossii *perfusa Lyæo.* —Kirchmann. et Douza in Præcidan. male legem Numæ huc referunt. Agitur hic non de rogi, sed de cineris et ossium aspersione; edixerat rex ille, *rogum vino ne respergito.*

21. *Carbaseis humorem tollere velis.* Codex Paris. multique alii et edit. habent *ventis;* Vicent. *vinclis;* Colb. *vittis;* unus ital. et tres Vossii *velis*, quod Mureto, Passeratio, Pulmanno aliisque eximii ingenii viris placuit. H. Voss. nulla ratione fretus idonea, substituit *villis;* illi si confidas, e latinitate ecclesiastica fluxit hæc *velorum* significatio. Attamen Cicero, certo non monachus, scripsit: « Manicatis et talaribus tunicis, velis amictos, non togis. » Librorum maxima pars in *ventis* conspirat; sed venti carbasei quid sint, non liquet. Cyllenius de ventilatione carbaseæ vestis intelligit; Brouckhusius ait: « Sint igitur *venti carbasei* non ventilatio carbasi agitatæ, sed vestis ex carbaso fili tenuissimi. » Quum autem hoc ab Elegia pror-

Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illuc, quas mittit dives Panchaia merces,
Eoique Arabes, pinguis et Assyria,
Et nostrî memores lacrymæ fundantur eodem :
Sic ego componi, versus in ossa, velim.
Sed tristem mortis demonstret litera causam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet :

sus alienum sit, *velis* amplexus est, quod et nos facimus.

22. *In marmorea ponere sicca domo.* Domos autem vocabant ipsa monumenta, ut testantur lapides literati apud Gruterum, p. 760, n°. 5; p. 790, n°. 5; p. 803, n°. 6; p. 903, n°. 6; p. 913, n°. 6; quorum ultimum hic transcribimus:

D. M.
LVCIVS. GRATIVS. EVHTICHES
DOMVM. AETERNAM. SIBI.
VIVVS. CVRAVIT. NE HEREDEM
ROGARET.

23. *Dives Panchaia.* Quarum rerum dives fuerit vide apud Ovidium Met. lib. X, vers. 307. Guyetus hoc distichon pro spurio habebat et ejiciebat: quum enim illi *dives* bis occurreret, cultrum illico admovit. Brouckh. qui in sex libris *pinguis Assyriæ* adscriptum legerat in minore versu, utriusque epitheti sedes mutat, ut Panchaia *pinguis* sit, Assyria vero *dives*; hoc, libris non repugnantibus; illud, omnibus contra facientibus : nec Virgilio citando multum proficit; nam potuit eximio poetæ Panchaia dici *pinguis*; nihilominus eadem Ovidio *dives* est loco laudato. Temere itaque Brouckhusius a libris discessit.

26. *Componi, versus in ossa.* Componi proprie dicebantur cineres atque ossa, quum in monumento condebantur, vasculis suis inclusa; adi Catullum, Carm. LXV, vs. 98; Propertium, lib. II, El. XIX, vers. 21; Ovid. Fast. lib. V, vers. 426; Valer. Flacc. lib. VII, vs. 203. BROUCKH. —In duobus Statii *componi carmen*, quum ridiculo errore *versus* acceperat librarius pro στίχους.

27. *Sed tristem mortis demonstret litera causam.* Sic apud Theocrit. Idyll. 23, vs. 46: τοῦτον Ἔρως ἔκτεινεν, ὁδοιπόρε. Adi Ovid. Epistola Phyllid. in fine, Fast. lib. III, vers. 545, Kirchm. lib. III, de Fun. Rom. cap. 20.—Huschkius *casum* in textum invexit, ne ad fastidium usque iteraretur *causa*; tuentur *casum* libri Florent., Statii, Guelf. 1, 2. Nihilominus *causa* sensui multo magis apta videtur.

28. *In celebri...fronte.* Hæc longe aliter intelligo quam Brouckh. qui exclamat : « Voluit igitur sepeliri propter viam publicam, in celebritate hominum ac frequentia. » Hæc præfatus, illico Propertium Tibullo opponit; ait enim ille : « Non juvat in media nomen habere via. » At quæritur quis hanc interpretationem vocis *celebris* Brouckhusio suppeditaverit. Omnino diversam ineo viam, opinorque poetam hoc sensu illam vocem usurpasse, ut significaret *celebrem* fore *frontem* propter vatem ibi sepultum, vel propter infelicem defuncti casum; nequaquam vero propter frequentiam prætereuntium.

LYGDAMUS HIC SITUS EST; DOLOR HUIC ET CURA NEÆRÆ
CONJUGIS EREPTÆ CAUSA PERIRE FUIT.

29. *Dolor huic et cura Neæræ.* In libris non paucis legitur, *causa Neæræ;* quod Scaliger pro ipsa Neæra dictum putat; quocirca a Gronovio Obs. II, 9, merito reprehenditur. Sed *cura Neæræ*. quæ nostra lectio est, confirmatur cod. Ask. Voss. 1, 4; Gothan. Exc. Perrei et Pocchi. In Hamb. *ca Neæra*, e quo scripturæ compendio altera lectio orta est. In Guelf. 2, *cara Neæra*, superscripto *cura*. Cæterum de commutatione verborum *causa* et *cura* confer Ovid. Amor. II, El. XII, vs. 17; Burm. ad Heroid. VIII, vs. 15; Fast. lib. III, vs. 249. Huschk. Statium secutus, notat literas, H. S. E. in vetustis monumentis sæpe legi, et lepidum Senecæ locum transcribit: ait enim ille, Ep. 55, de Vatia, qui in villa consenuit, nulla alia re quam otio notus: «Nunquam aliter hanc villam Vatia vivo præteribam, quam ut dicerem: *Vatia hic situs est.*»

30. *Causa perire fuit. Perire* e græcismo pro *pereundi;* quæ locutio non poetis solum frequentatur; occurrit etiam in pedestri sermone; vide Corn. Nep. Lys. III, 1; alia exempla congessit Vulpius.

ELEGIA III.

QUID prodest cælum votis implesse, Neæra,
  Blandaque cum multa tura dedisse prece:
Non, ut marmorei prodirem e limine tecti,

1. *Cœlum votis implesse.* Cod. Dresd. et Vossii 3 *flammis* exhibent; *votis* servandum videtur eodem sensu, quo Livius, lib. V, c. 39, dixit: « Romani totam prope urbem lamentis impleverunt. » Virgilius, Æn. lib. IX, vs. 24: » Multa Deos orans oneravitque æthera votis. »

2. *Tura dedisse.* Statius nullo adhibito fidejussore *tulisse* edidit; exstat tamen hæc lectio in Cod. Paris. sed ipse noster Albius, lib. I, Eleg. VIII, vers. 70: « Nec prodest sanctis tura dedisse focis. » Et etiam Eleg. VII, vs. 53, legere potes, *tibi dem turis honores.* Nos autem lectionem ibi amplexi sumus *dum*, non *dem*.

3. *E limine tecti.* Douza legebat *templi*, ex uno libro. Brouckh. Senecam admovet, qui domos memorat *in quas per templa aditur.* Nihilominus Brouckh. hic vulgatæ sese fidum custodem præstitit, ipsam *tecti* vocem satis splendidam esse ostendens, et poetarum *tecta* omnia in unum apportans, ut facile urbem inde exstruxeris. — Cod. Dresd. *a limine;* Corvinus cod. præpositionem omisit, comprobantibus Heynio et H. Voss. Horatius, lib. I, Ep. XVIII,

Insignis clara conspicuusque domo;
Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,
Et magnas messes terra benigna daret:
Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ,
Inque tuo caderet nostra senecta sinu;
Tunc quum, permensæ defunctus tempore lucis,

vers. 73: « Intra marmoreum venerandi limen amici. »

4. *Clara... domo.* Cicero, Off. lib. I, cap. 39: « Cn. Octavio honori fuisse accepimus, quod præclaram ædificasset in Palatio et plenam dignitatis domum. »

5. *Aut ut multa mei* etc. Horat. Epod. I, vers. 25: « Non ut juvencis inligata pluribus Aratra nitantur mea. » Idem Od. IV, IV, 11, de Mœna Pompeii liberto: «Sectus flagellis hic triumviralibus Præconis ad fastidium, Arat Falerni mille fundi jugera Et Appiam mannis terit.» Propertius, lib. III, Eleg. V, vs. 5: «Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur.» Naso, Am. lib. I, El. III, vs. 9: « Nec meus innumeris renovatur campus aratris.» BROUCKH. —In cod. Ask. *renoventur* et in margine *renovarent*; cod. Hamb. *renovantur.*

7. *Ut longæ sociarem gaudia vitæ.* Scaliger e suo reposuerat *satiarem*, perperam; nam poeta præcipue docet, sibi, Neæra absente, nihil esse jucundum, nihil quod optet; hac vero socia, se omnia facile perpessurum. Prop. lib. II, El. XXXIV, vs. 15: « Te socium vitæ, te corporis esse licebit. » Cod. Paris. et edit. min. an. 1472, *sociarent.*

9. *Tunc quum permensæ* etc. Brouckhus. asserit veterem scripturam esse, *Tunc quum præmensæ defunctus tempora lucis*, et de Parcis meminit, quæ unicuique in ipso lucis exordio vitæ spatium præfiniunt. Hic adducit doctus ille vir fila omnia sororum sive longa, sive rupta quæcunque apud poetas memorantur: sed res ita percrebuit, ut etiam puerorum ore frequentetur; *præmensæ* in Aldinis editum, et permultis codicibus editionibusque inest. Huschkius tamen edidit *permensæ;* nec libri huic lectioni desunt: utriusque opinionis sectatores compendium scripturæ culpant; negat Huschkius recte dici posse Parcas hominibus *præmetiri* vitam, hoc est, certum ejus cursum ab initio præsignare; quæ opinio e nostra ætate in antiquitatem illata sit: ergo editionum antiquiorum scripturam restituit Huschkius, Romanæ principis videlicet, et Venetæ, iterum quærens quis veterum dixerit *præmetiri*, et auctoritatem impugnans libelli de *Re Agraria*, ubi c. XV, legitur: « Cultellandi autem ratio quæ sit, sæpe quæritur, cujus præmensi soli spatium consummamus. » Alia nunc lectio examinanda est: « Tunc quum permenso defunctus tempore lucis. » Ad quam Heynius notavit: « *Permensum esse vitæ tempora, spatia:* per se eleganter dici non neges; Nemesian. ecl. I, 20: «Quem nunc, emeritæ permensum tempora vitæ, Secreti pars orbis habet mundusque piorum. » Sed et *permensum* passive dici, et defunctum adeo addi juxta durum est. » Brouckh. dixit latinos aliter hoc verbo usos esse. In

Nudus Lethæa cogerer ire rate.
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Tænare, sive tuis, sive, Caryste, tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos?
Aurat æque trabes, marmoreumque solum?

multis editionibus codicibusque leges *defunctus tempora*, quod exemplis tuetur Brouckh. sed *tempore* magis placet, neque librorum auctoritate caret, quorum quatuor apud H. Voss. fulcro sunt nobis. Horatius quoque Epist. II, 1, vers. 21, sq.: « nisi quæ terris semota, suisque Temporibus defuncta videt, fastidit et odit. »

10. *Lethea cogerer ire rate*. Magna est soni scabrities in his *rer re ra*. Editiones priscæ habent fere *cogeret*; sed quid illo faciamus? BROUCKH. — Vulpius putat iterari literam caninam, propter indignationem umbrarum, quæ vitæ prioris dulcedine amissa, coguntur loca mortuorum adire, Charontis navicula transvectæ.

12. *Arvaque si findant*. Unus Angl. *scindant*; cod. Ask. 1, Voss. 3, et Monac. *fundant*, manifesta corruptela.

13. *Phrygiis innixa columnis*. Marmora, *Synnadicum* purpureis maculis distinctum, ex Phrygia, *Tænarium* ex Laconica, quod viride erat, *Carystium* ex Eubœa insula, etiam viride, valde isto tempore fuisse probata ostendit Brouckh. et res ex Plinio nota est. HEYN. — Unus Colbert. *subnixa*; I. Vossii 3, *immixta*.

14. *Tænare, sive tuis*. Plinius, lib. XXXVI, c. 7: « Pretiosissimi quidem generis Lacedæmoniorum viride, cunctisque hilarius. » *Sive, Caryste, tuis*; in hæc verba valde sæviunt librarii, quum passim legatur *Tharisce*, *Tharyste*, *Chariste*. Carystos oppidum fuit insulæ Eubœæ, marmore suo ac columnis nobilitatum; hoc marmor viride maculis distinguebatur. Seneca Troad. vers. 835: « An ferax varii lapidis Carystos. » De colore vid. Stat. lib. I, silv. II, vs. 149; ibidem silv. V, vs. 34; lib. II, silv. II, vers. 93, et Martial. lib. VII, Epig. 42.

15. *Et nemora in domibus*. Heynius et Bach. viridaria in impluvio intelligunt; Gebhardus hæc de pomariis et nemoribus interpretatur, quæ in summis domorum tectis erant, quasi pensiles quidam horti: utrumque satis ridicule; hic enim lucos in tecta tollit, illi silvas in cubicula cogunt. Verum scopum attigerat Brouckh. his verbis: « Amabant has delicias, intra domorum septa habere Quiritium lautiores, adeo ut rus in urbe possiderent. » Horatius quoque nostrarum partium est, qui lib. III, Od. X, dixerit: « Audis quo strepitu janua, quo nemus Inter pulchra satum tecta remugiat Ventis. » Possem et alia exempla referre; sed pudet in istiusmodi nugis refellendis operam et chartam impendere.

16. *Aurat æque trabes*. Totæ auro solido convestiebantur. Testis est

Quidve in Erythræo legitur quæ litore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat?
Et quæ præterea populus miratur? in illis
Invidia est; falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curæque levantur;
Nam Fortuna sua tempora lege regit.

Lucanus, lib. X, vers. 112: « crassumque trabes absconderat aurum. » —*Marmoreum solum*, aut simpliciter e marmore, aut pavimentum tessellatum opere musivo.

17. *Quidve in Erythræo*. H. Vos. odio præpositionis *in* emendat, vel potius depravat, *Quid vel Erythræo;* nititur ille Ovidio, Art. Am. lib. III, vers. 124: « Lectaque diverso litore concha venit; » et ibidem, II, vers. 519: « Litore quot conchæ, tot sunt in amore dolores. » Idem suum *vel* a verbo *juvat* desiderari asserit, quum superiora, ope τοῦ *Quidve*, sensum verbi *prodest* continuent. Hæc omnia contra librorum fidem fecit; quinadeo Paris. et Lips. præpositionem iterant post voculam *quæ*. Crebro iisdem verbis novas inchoat sententias Tibullus; nihil itaque offendit *Quidve* repetitum.

18. *Tinctaque Sidonio*. Lib. II, El. IV, vers. 28: « Et niveam Tyrio murice tinguit ovem. »

19. *Et quæ*. Scaliger in prima editione legendum putabat, *Est quæ;* Heynius corrigi vult *et illis;* sed hic et minorem versum deformat.

20. *Invidia est*. In pluribus legitur *Invida quæ*, scilicet etiam in Reg. Corvin. Guelf. 1, 3, 4 et in aliis H. Vossii; ad oram edit. Vicent. notatum: « *Invidia est falso* em. Pontanus. » Sic Excerp. Pocchi, Perrei et Scaligeri, codd. Vindob. et Voss. 3. Scaliger hanc lectionem restituit, quæ quomodo Heynio displicuerit, non intelligo; altera ab iis profecta videtur, qui verba *in illis* prave superioribus addebant. Nihil melius more latino quam locutio *invidiam* esse aliqua in re; Plin in Paneg. cap. 88: « An satius fuit *felicem* vocare? quod non moribus, sed fortunæ datum est: satius *magnum*? Cui plus invidiæ quam pulchritudinis inest. » Huschkius Aristotelem inducit quoque, Rhetor. I: ὅλως δὲ τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν ἐστιν ἀπὸ τύχης, ἐφ' οἷς ἐστιν ὁ φθόνος. Absit itaque distichon ab Heynio prolatum hunc in modum: « Et quæ præterea populus miratur, et illis Invidet; heu! falso plurima vulgus amat. »

21. *Non opibus mentes hominum*. Quatuor Gebhardi, duo Brouckh. *homini*, quod H. Voss. amplexus est, cui *hominum* pedestre nimium videbatur. Voss. 1, et Bernens. ejus sententiæ accedunt; in Ask. adest *hominis*. Huschkius Ciceronem citat, Tusc. lib. II, disp. 24: « His levabat omnem vulnerum metum nobilitas mortis et gloria. » Sed illi *mentes homini levantur* insolita constructio videtur.

22. *Sua tempora lege regit*. *Gerit* habent permulti libri scripti, et Brouckh. in textum recepit. In aliis numero paucis *regit*, quod Muretus, Scaliger, Heynius, Huschkius, H. Voss. amplectuntur; recte, ut opinor. Nec ad rem facit versus Publii Syri a Brouckh. laudatus: « Male geritur quidquid geritur Fortunæ

Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neæra;
At sine te regum munera nulla volo.
O niveam, quæ te poterit mihi reddere lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quæcumque voventur,
Audiat aversa non meus aure Deus;
Nec me regna juvent, nec Lydius aurifer amnis,
Nec, quas terrarum sustinet orbis, opes.
Hæc alii cupiant; liceat mihi paupere cultu,

fide. » Ibi enim non ipsa Fortuna gerere dicitur; aptius illa *regere* existimatur, quippe quæ dea sit. Hoc sensu Sallustius in Bell. Jug, 101; «Humanarum rerum Fortuna pleraque regit.» Et Virgil. Æn. lib. XII, vs. 405: «Nulla viam Fortuna regit.» *Gerendi* verbum humiliorem sensum præbet. Cæterum vide lib. I, Eleg. IX, vers. 80; et Heins. ad Claud. in Eutrop. II, 562.

24. *At sine te.* Plures *Et*; Heinsius *Si sine te*; pro *volo*, Col. et Hamb. *velim*, quod Voss. amplectitur, quasi exquisitius; sibi habeat.

25. *Quæ te poterit mihi reddere.* Omnia hic miscuit illustris Voss. *mihi te poterit quæ reddere* exhibens. Duo libri Witt. et Vossii 4, *poterit quæ te mihi.*

27. *At si.* Hamb, inest *At sibi*; et cod. Ask. *At mihi.*

28. *Aversa non meus aure Deus.* Perperam libri quidam *adversa*; oculos, aures, vultum avertere indignantium est atque iratorum. Hæc præfatus Brouckh. loca poetarum congerit, ubi Numina oculos vel faciem avertunt. — *Non meus deus*, inimicus, iratus, adversus; Æn. lib. II, vs. 396: «Vadimus immixti Danais haud numine nostro.» Contra *Dii sui* sunt propitii, Ovid. Met. lib. IV, vs. 373: «Vota suos habuere Deos.» Brouckh. putat Tibullum hic subintellexisse Genium suum. Varro, lib. XVI, ait: «Genium esse uniuscujusque animum rationalem, et ideo esse singulos singulorum; talem autem mundi animum Deum esse.» Terent. Phorm. act. I, scen. II, vs. 24: «Memini relinqui me, Deo irato meo.» Seneca, epistola 110; «Sepone in præsentia, quæ quibusdam placent: unicuique nostrum pædagogum, dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe Deos.» Crediderim tamen hæc ad locum nostrum minus pertinere, et poetam Deum dixisse quemcunque apud quem vota faceret.

29. *Nec me regna juvent.* Fere omnes *juvant*; Ald. sec. 1515, *juvant*; quod editoribus, ut exquisitius, placuit. Ego a doctorum virorum emendatione recedere non ausim, quamvis non videam, cur in libris aliquid mutandum sit. Vossii quinque tamen *juvent* firmant. Regius, *non — non*; duo Vossii priori loco *non.* — Pactolus qui sit, nullus ignorat; vid. Ovid. Met. lib. XI, vs. 90.

31. *Hæc alii cupiant.* Libri nonnulli cum Regio *capiant*; unde vir

Securo cara conjuge posse frui.
Adsis et timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas concha, Cypria, vecta tua.
Aut si fata negant reditum, tristesque sorores,
Stamina quæ ducunt, quæque futura canunt;

magnus apud Brouckhusium faciebat, « Hæc alios capiant. » Eamdem varietatem notavimus lib. I, Eleg. VIII, vers. 40, p. 92.

32. *Cara conjuge.* Unus Gebhardi *curva*; cur non *gibba?*

33. *Adsis et.* Vossii 4, *Adsisque et.*

34. *Concha, Cypria, vecta tua.* Brouckhusius hic Tiraquellum castigat, quod dixerit olim Veneris signum a Phidia Eleensibus ex ebore et auro factum, testudinem altero pede idcirco calcavisse, ut significaret mulierum esse munus ædium custodiam et silentium. Notissima fabula est de concha Veneris; Pompeius Festus ait: « Cytherea, Venus, ab urbe Cytherea, in quam primum devecta esse concha dicitur, quum in mari esset concepta. » Deinde Brouckh. Venerem interrogat quo consilio, apud Claudianum, itinere maritimo e Cypro in Liguriam profecta sit, et mox subjicit: « Dicat aliquis, propter celeritatem ita vehi voluisse deam: nam certe Triton, sub Carpathii maris fluctibus inventus subito nisu *ter pectora movit; Jam quarto Paphias tractu sulcabat arenas.* » Mihi nusquam tantam celeritatem videre contigit, nisi forte in narratiuncula gallica perantiqua, ubi monstrum ocreis utitur, quibus septem leucas unoquoque gradu conficit. Lucianus Tritones et concham simul deæ submittit: ἐπὶ πᾶσι τὴν Ἀφροδίτην δύο Τρίτωνες ἔφερον, ἐπὶ κόγχης κατακειμένην, ἄνθη παντοῖα ἐπιπάττουσαν τῇ νύμφῃ.

35. *Aut si fata negant reditum.* Nonnulli libri *At*, quod Heynius mavult; sed librariorum aberratio est a superiore *At si*, vers. 27, profecta. *Aut*, sensum vividiorem præbet. H. Voss. similem Ovidii locum profert, Heroid. III, vs. 137, 140: « Respice sollicitam Briseida... Aut si versus amor tuus est in tædia nostri, Quam sine te cogis vivere, coge mori. » Vulpius intelligit reditum in gratiam; quæ interpretatio falsa optime ab Horatii loco, Epod. XIII, vs. 15, confutatur: « Unde tibi reditum certo subtemine Parcæ Rupere. » Vossii 4, *reducem.*—*Tristesque sorores.* Heinsius malebat *Stygiæque sorores* vel *trinæque*, nullius libri auctoritate fretus. *Tristes* dicuntur qui sunt natura tetrica et severa, atque inexorabili. Donatus ad Terent. And. act. V, sc. II, vs. 16, notat τὸ *tristis* ad laudem sæpe sumi; apud Ciceronem dicitur Sulpicius *judex tristis et integer* in Verr. I, cap. 10; *tristes* dicuntur præterea Dii inferi et res omnes Inferorum; Virg. Æn. VI, vs. 315, de Charonte: « Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos. » Regius cum ed. Rom. et Brix. *reditus*; sed nulla apparet causa, cur pluralis ponatur.

36. *Quæque futura canunt.* In omnibus libris *neunt*, Monac. excepto, cui inest *canunt*, quod divinaverat Heinsius. Scaliger *neunt* pro *nent* esse dictum contendebat. Sed inter *stamina ducere, et nere* quid discriminis sit, mihi non liquet. Tu Hein-

Me vocet in vastos amnes nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

sium adeas ad Ovidii Epist. Helen. vers. 194.

37. *Me vocet in vastos amnes.* Præpositioni *in* rursus bellum indicit Voss., conaturque *ad* in illius sedem locare. Sed quid ad rem facit, quod Catullus dixerit *vocare ad cœlum* et Ovidius *mittere ad Styga, ad Stygias undas?* Sicut ipsi, quod placuit, scripsere, ita Tibullus; sed puerile est quod Vossius et Bach. monent morientes non *in*, sed *ad* Stygem descendere.

38. *Dives in ignava luridus Orcus aqua.* Pro *Dives* in nonnullis *Ditis*, *Dius*, *Divis*. Vindob. *et ignava*; Ask. *ignara*; Bern. *lividus*; Vossii 4, *Orchus*, quod etiam in utroque Witt. et in binis Brouckh. adest. Servius, Æn. VI, 4, ad verba, *dente tenaci Anchora*, notat: « *Ancora*, ut diximus, in Græco adspirationem non habet: nam ἄγκυρα dicitur; inde apud majores sine adspiratione proferebatur. Contra *Thus* et *Orchus* veteres dicebant et *Lurcho*, id est, vorax, quibus sequens ætas detraxit adspirationem. » Brouckh. quoque Jovianum Pontanum citat, lib. II, de adspiratione: « *Orcus* latinum esse nomen volunt, ac per mutationem literarum duci a verbo *urgeo*, ut sit Orcus quasi *urgus*, a quo verbo et *Urceus* dictus est. Sunt qui volunt Orcum dictum ex eo, quod dii jurabant per Stygem; est enim ὅρκος jusjurandum: Orcus apud Homerum est Thessaliæ fluvius, qui Peneum olei instar supernatat: itaque adspirationem nullo modo recipit. » Quinadeo, ait ipse Servius ad Georg. lib. I, vs. 277: « Probus *Orchus* legit; Cornutus vetat adspirationem addendam. » Cæterum Orcus est Dis pater, Pluto, non Charon, quod Brouckh. Ciceronis loco demonstrat (Accus. in Verrem, IV, cap. 50): « Hic dolor erat tantus, ut Verres, alter Orcus, venisse Ennam et non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. » *Ignava aqua* utrum ad Lethen referenda sit, an ad Cocytum, inter doctos parum constat; utrique sententiæ Brouckhusius exempla suppeditavit, quorum semper magnam copiam in promptu habet. Sed jam chartæ parcendum est: Orcus ipse eligat, vel etiam lector benevolus, ego non impedimento ero.

ELEGIA IV.

Dî meliora ferant, nec sint insomnia vera

1. *Nec sint insomnia vera.* Complures libri cum Paris. *nec sint mihi somnia vera.* Edit. maj. anni 1472: « Dii meliora ferant, nec sint mihi somnia vera. » Altera ejusdem anni: « Dii meliora ferant, mihi nec sint somnia vera. » Edit. Romana cum Cyllenii commentario: *nec sint mea*

Quæ tulit extrema pessima nocte quies.
Ite procul, vani, falsumque avertite visum;
Desinite in somnis quærere velle fidem.

somnia vera.—*Insomnia* mihi potior lectio videtur; codicibus enim non despiciendis fulta, sensum præbet magis idoneum; *insomnia* dormientis exagitant mentem, ita ut cura animi corporisve, sive fortunæ, qualis vigilantem fatigaverat, nunc quoque angat sopitum: *insomnium* Græcis vocatur ἐνύπνιον. Adi Macrob. lib. I, in Somn. Scipionis; Æn. lib. IV, vs. 9: « Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent; » et lib. VI, vs. 897: « Sed falsa ad cælum mittunt insomnia Manes.» Sil. Ital. lib. X, vers. 358: « Exercent rapidam truculenta insomnia mentem.»

2. *Extrema pessima nocte quies.* Vulgo ante Scaligerum legebatur *hesterna* natum ex *esterna* vel *externa*. Somnia sub diluculum esse vera statuebant. Ovid. Epist. Herus, vs. 195: « sub Auroram jam dormitante lucerna, Somnia quo cerni tempore vera solent. » Inest tamen τὸ *hesterna* quibusdam codicibus apud H. Vossium memoratis. Nonnulli libri habent *pexima* pro *pessima*; edit. an. 1472, *proxima*; ita etiam duo Voss. et Guelf. 3.

3. *Ite procul.* Hæc ab Heynio valde suspecta habentur, qui sententiam commodam inde expromi posse negat. Idem edidit: « Ite procul, vanum falsumque avertite visum; » ut in perpaucis legitur libris; sed plerique habent *Ite procul, vani*, quod Heynio displicet, *vanos* absolute poni pro *vatibus vanidicis* nullo modo concedenti. Nos illi Gellium opponamus, lib. XVIII, cap. 4: « Ex Apollinari didicimus vanos proprie dici, non ut vulgus diceret, desipientes, aut hebetes, aut ineptos, sed ut veterum doctissimi dixissent, mendaces et infidos, et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes.» Virgil. Æn. lib. I, vers. 392: « Ni frustra augurium vani docuere parentes. » Juvenalis, Satir. VI, vs. 638: *Nos utinam vani.* Waardenburg. reponit *falsum ne advertite visum.* H. Voss. ex ingenio narratiunculam profert; cui si fidei aliquid tribuas, vetus librarius *somni* e sede sua ejecit ut in minorem versum irreperet, idemque *vanis* in hunc versum retraxit; itaque legendum erit, Vossio si confidas, *Ite procul, somni*, et infra *Desinite in vanis.* Sunt qui Tibullum ipsa somnia adloqui putent, et *vanum* servent, ut in minore versu *vobis*, ubi apud nos *somnis*.

4. *In somnis quærere.* Mirum in modum variant hoc loco libri; quidam habent *in votis*, unde Scaliger *in vobis* effinxit. Statius conjiciebat *inventis*, vel *invitis*; Muretus *in vanis*; Guyetus *in nobis*; Heinsius *in veris*. Nostram vero lectionem Huschkius, uni codici italico confisus, in textum recepit, Ciceronis quædam subjiciens hoc modo (Div. II, 59): « Quod si ceteris temporibus, falsis visis credendum non est, non video quid præcipui somnus habeat, in quo valeant falsa pro veris... Quod si insanorum visis fides non est habenda, quia falsa sunt, cur credatur somniantium visis, quæ multo etiam perturbatiora sunt, non intelligo. » Ovid. Met. lib. XV, vs. 565: « Aut sua fluminea quum vidit Cipus in unda Cornua, vidit

Divi vera monent; venturæ nuntia sortis,
    Vera monent Tuscis exta probata viris.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
    Et pavidas mentes falsa timere jubent:
Et natum in curas hominum genus omina noctis
    Farre pio placant et saliente sale.
Sed tamen, utcunque est, sive illi vera monenti,

enim, falsamque in imagine credens Esse fidem.»

5. *Divi vera monent.* Recte suspenditur sententia post τὸ *monent*, ita ut *nuntia* extorum epitheton sit; similiter fere locutus est Noster, lib. II, El. I, vers. 25: « viden ut felicibus extis Significet placidos nuntia fibra Deos.» *Venturæ nuntia sortis.* Dresd. mendose *mortis.* Cicero de N. D. I, cap. 25: « Timuit Epicurus ne si unum visum esset falsum, nullum esset verum; omnes sensus veri nuntios dixit esse.»

6. *Tuscis.... viris.* Aruspicibus Etruscis.

7. *Somnia fallaci ludunt* etc. Somniorum adeo fides elevatur, comparatione oraculorum et extipicii. *Ludunt* apte de somniis Horat. lib. III, Od. XXVII, vs. 40. HEYN.

8. *Falsa timere.* H. Voss. *vana* intrusit, Tibullumque a *falsa* prohibet, propter vocem *fallaci* in superiore versu: miror illum infra Eleg. VII, vers. 14, nihil immutasse, ubi legitur: « Aut fallat blanda sordida lingua prece, Etsi perque suos fallax jurarit ocellos.»

9. *Et natum in curas.* Brouckh. agnoscit sic fuisse olim lectum, et tamen edidit *Et vanum ventura;* nullus fere in toto Tibullo locus est qui tanta lectionis varietate et corruptela laboret. Scaliger et Vulpius *vanum ventura* probavere, quod in duobus Ask. in Voss. 5, in duobus Brouckh. et Lips. adest. *Et natum in curas* exhibent duo libri Statii, cum nonnullis Brouckh., Heyn., et Voss. probante Mureto. Monac. et Vindob. *At natum in curas.*—Longissime aberrant ed. Rom. 1475, Venet. 1491, 1493, et Ald., *Et vanum metuens hominum genus;* quod in libris aliquot sic expressum, *Et tantum metuens, Et vatum metuens.* Huschkius opinatur omnem fere scripturæ varietatem ortam esse e lectione mendosa quam exhibent Paris. et Bern. *Et natum maturas.* Huic alius hoc, alius illud substituit. Unus Vatican. *nata in curas hominum gens.* Exc. Lipsii, Perreii, cum aliquot aliis *vanum in curas;* hinc deterius unus et alter *vatum, varium, tantum;* non omnia memorare possumus neque nostra refert. — *Omina noctis;* in Paris. *noctis* a recentiore manu additum est, erasa, quæ prius posita erat, voce.

10. *Placant.* Ed. Lips. *Farre pioque placent.* Turis et molæ salsæ in expiandis prodigiis, vel diis placandis solemnis est mentio. Conf. Horat. lib. III, Od. XXIII; Virg. Æn. lib. V, vers. 747. BACH.

11. *Sive illi vera monenti.* In inscriptionibus antiquis sæpe occurrit *somnio admonitus;* Juven. Sat. VI, vs. 530: « Credit enim ipsius dominæ se voce moneri.» In Aldinis, in

Mendaci somno credere sive volent,
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum prætimuisse velit,

Scalig. et in aliis quibusdam legitur *vera moneri*, non sine librorum auctoritate; sed nostra lectio vividiorem parit oppositionem. Duo Statii libri, Laudi et Pocchi excerpta nobis conspirant. In versus fronte variant libri in *sed* vel *et*; de confusione formularum, *et tamen*, et *sed tamen*, vide primam Bentleii annotationem ad Terentium.

12. *Volent*. Paris. Heins. Askew. Gothan. *velint*.

13. *Vanos noctis Lucina timores*. Veterum opinione sideribus annumeranda Juno; ad quam religionem alludit Euripides, Helen. vs. 1105: ἵν' οἰκεῖς ἀστέρων ποικίλματα. Eamdem doctrinam respicit Plotinus, qui postquam ostendit nihil aliud esse Venerem, nisi Jovis mentem, illico subjicit, πάλιν μαρτυρούντων τούτῳ τῷ λόγῳ ἱερέων τε καὶ θεολόγων, οἳ εἰς ταυτὸν Ἥραν καὶ Ἀφροδίτην ἄγουσι· καὶ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἀστέρα ἐν οὐρανῷ, Ἥρας λέγουσι. Accedit Timæi Sententia, huic consentanea. Fit igitur hoc modo Juno matutinæ et vespertinæ stellæ numen, ut facile Lucinæ Junonis commonefias, licet hoc cognomen duplici interpretationi locum fecerit: nam sunt qui Lucinæ nomen derivent a luce; adi Ovidium, Fast. lib. II, 449, et ibi interpretes. Huc sane pertinet *Juno* illa *Matuta* apud Aurelium Victorem et in cod. quibusdam Livii memorata: quod si minus illam appellationem consecuta sit (variant enim libri), nihilominus, ut stellæ matutinæ numen, luci præfuit. Lilium album Junonis sacrum erat, quin Junonis rosa dicebatur. Supercilia autem, quia oculos tutantur, quibus lucem percipimus, præcipue Junonis tutelæ commissa sunt, ut aiunt Varro, lib. IV, 10, et Festus. Eadem hominis oculos et aperit, et claudit, parturientibusque adstans mulieribus, forficulis natos a matre dividit, morientium quoque cincinnos abscindit. Utinam illust. Creutzerum in hac doctrina longius prosequi possem! Sed ne constitutos fines transgrediar, ad alteram vocis *Lucinæ* interpretationem accedo, secundum quam a luco derivatur, ut ait Plinius, lib. XVI, cap. 44: « Romæ vero lotos in Lucinæ area, anno qui fuit sine magistratibus, CCCLXIX urbis, æde condita, incertum ipsa quanto vetustior. Esse quidem vetustiorem non est dubium, quum ab eo luco Lucina nominetur. » Utramque interpretationem in idem reduci posse merito monet Brouckh. Lucum enim dici a luce luminum religionis causa ex arboribus suspensorum, Ovid. Fast. loco supra laudato: « Gratia Lucinæ dedit hæc tibi nomina lucus, Aut quia principium tu, Dea, lucis habes. » *Noctis timores* perinde ac apud Sophocl. Elect. vers. 412: δεῖμα νυκτερόν, et apud Apoll. lib. IV, vers. 685: « Ἠ δ' ὅτι δὴ νυχίων ἀπὸ δείματα πέμψεν ὀνείρων. » Insignis locus est Cicer. pro Cœl. 15: « Qui te amat plurimum, qui propter nescio quam timiditatem *et nocturnos quosdam inanes metus*, tecum semper pusio cum majore sorore cubitavit. »

14. *Prætimuisse*. Gebhardi conjectura quæ nunc Corvin. Dresd. Monac. Gothan. et Voss. vetustissimis

Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
  Nec læsit magnos impia lingua Deos.
Jam Nox, ætherium nigris emensa quadrigis
  Mundum, cæruleo laverat amne rotas:
Nec me sopierat menti Deus utilis ægræ;
  Somnus sollicitas deficit ante domos.
Tandem, quum summo Phœbus prospexit ab ortu,

duobus firmatur. Plautus, Amphit. Prol. vs. 28: « Humana matre natus, humano patre, Mirari non est æquum sibi si prætimet. » Seneca Epist. 98: « Nihil est nec miserius, nec stultius, quam prætimere, quæ ista dementia est, malum suum antecedere? » Ortum vitium e compendio literarum.

15. *Si mea*. Edit. Lips. *Sic* cum aliis, ut opinor, mendose; *Si* affirmandi sensu hoc loco positum.

17. *Jam nox ætherium* etc. Mundum etsi absolute pro cælo ponunt poetæ, tamen gaudent juncto ætherii epitheto quasi proprio ac solemni. Seneca Hippol. vers. 332: « qua terra salo Cingitur alto, quaque ætherio Candida mundo sidera currunt. » Auctor Culicis (Virg.) vs. 102: « Lucidaque ætherio ponit discrimina mundo. » Hæc præfatus exclamat Brouckh. « De curru noctis diximus, quod satis sit, ad lib. II, El. 1, vs. 87. » Hic loci iterum noctem a quadrigis prohibet, eique equos duos abjungit, ita ut ea bigis tantum utatur. — *Emensa*; confirmant hanc lectionem Anglicus unus, Guelf. 3, Monac. I. Voss. 2, Askew. et Laudi liber. Permultis inest *emersa*, quod minus aptum dixerim; præsertim quum de exeunte nocte agatur, utrumque interdum confusum.

18. *Cæruleo laverat amne rotas*. Brouckhusius edidit *cæruleas*, sed nobis assentiunt libri fere omnes. Heynio ea Scaligeri emendatio non valde displicet; agnoscit tamen præstare *cæruleo amne*, ut *amnis* habeat aliquid adjunctum, quod Oceani notionem propius adducat. In Guelf. 3, *lethæo* pro var. lect. Non tamen inficias iverim epitheton *cæruleas* noctis rotis aptum esse, ut apud Claudianum, Rapt. Proserp. lib. I, vers. 276: « sparso nox humida somno Languida cæruleis invexerat otia bigis. »

19. *Menti Deus utilis ægræ*. Editores plerumque interpunxerant, ut somnus retraheretur ad hunc versum, et hæc causa fuit cur Heinsius aliquid desideraret quo somnus iterum designaretur. Mala illa interpungendi ratio doctum virum ingeniosumque impulit, ut legeret *deficit ille*, vel *desit is ante domos*.

21. *Summo Phœbus prospexit ab ortu*. Heynio videntur *summo* et *ortu* inter se pugnare. « Nam si idem qui primus ortus esse debet, inde sol non prospicere tanquam ex altò dici potest. Si vero de sole jam altum tenente accipias, tum *ortus* non amplius est. Libri nil mutant: in nonnullis etiam Guelf. 1, 4, est *somno*. » Hæc præfatus, conjecturam Marklandii laudat Heynius; proposuit enim ille ad Statii Silv. lib. II, 11, 45: « Quum summo Phœbus prospexit ab Œta. » More veterum quo-

Pressit languentis lumina sera quies.
Hic juvenis, casta redimitus tempora lauro,
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quidquam formosius ulla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.

rumdam poetarum, qui ex antiquiore aliquo carmine (quod in tractibus illis qui sub Œta sunt, scriptum erat) retinuerant hanc formulam, ut ab Œta ortum Hesperi, mox etiam solis repeterent. Confer Virgil. Ecl. VIII, vs. 30; Culex, 202; Senec. Herc. Fur. vers. 132.» Sane erudite hæc dicta sunt: restat tamen, ut Heynius et Markland. ostendant Tibullo eadem placuisse.

22. *Lumina sera quies.* In nonnullis scriptis, etiam Regio, *fessa*, quod si recipias, ad lumina erit referendum, ut in lib. I, Eleg. VIII, vers. 68: « Et tua jam fletu lumina fessa tument; » et apud Ovid. Epist. XIX, vs. 56: « subit furtim lumina fessa sopor. » Sed *sera quies* præstat, quia tunc primum incipit, quum jam quisque ad sua munia consurrexit. Utrumque epitheton apud Valerium Flaccum, lib. I, vers. 48, occurrit: « serus fessos sopor alligat artus. »

23. *Casta redimitus tempora lauro.* Brouckh. edidit *lauru*, auctoritate Charisii commotus; qua in re H. Vossium consentientem habet: de hac variatione quid sentiamus jam declaravimus. Cur casta dicatur *laurus* docet Ovidius, Metam. lib. I, vers. 555.

24. *Est visus.* Multa huc comportat exempla Brouckhusius, ut demonstret hanc locutionem esse in re somniorum solemnem.

25. *Non illo quidquam formosius.* Heynius hoc distichon pro supposititio habet; Grainger. doctus Britannus, transpositum esse putat hunc locum, eumque post lyræ descriptionem relegat. Heinsius conjicit *Nec dedit hoc*; neque in conjecturis deest H. Voss. qui τὸ *quidquam* expungens, hæc effutiit: « Non illo vidit formosius ulla priorum Ætas (humanum nec fuit illud) opus. » Huschkius ultro huic disticho medetur; neque minimam ingenii impensam fecit, qua id sanare conetur. « Veteres, ait, vel *ætatem priorum*, vel *ætatem priorem* scribunt; non *ætates* majorum *plures* commemorant, nisi ubi de aurea, argentea et ferrea loquuntur. Vid. Ovid. Fast. lib. I, vs. 329; ex Pont. II, Eleg. VI, vers. 27. Sic alibi simpliciter *priores* ponuntur, ut græce ἄνδρες, vel ἄνθρωποι πρότεροι, vel etiam οἱ πάρος. » Heynius proposuit: « Non vidit quidquam formosius ulla priorum Ætas: humanum nec fuit illud opus; » quod H. Vossii conjecturæ præferrem, si in re tam impedita aliquid esset cui confidere possemus. Bach. Heynii emendationem in textum recepit: facile quidem potuit τὸ *vidit* a glossa *illo* extrudi. Nihil subsidii afferunt libri in priori versu consentientes. Quamobrem vulgatam servavi, licet in Heynii partes lubenter discesserim: poterit quisque eligere.

26. *Nec videt.* In Vatic. et Gothan. *fuit*, quod mirum in modum Heynii conjecturam firmat. Ber. 4, et Brouckh. unus *valet*. — *Opus* re-

Intonsi crines longa cervice fluebant;
Stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus :
Ut juveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras, ore rubente, genas :

spicit ad singularem formæ pulchritudinem, qua Apollinis apparent imagines in artis monumentis. Melius autem videtur *opus* ad naturam referri, tanquam homine natus. Sic Drusus dicitur *Cæsaris opus*, Albinov. in morte Drusi, 39. Meo quidem sensu, hoc disticho sublato, nihil desideratur. Bach. — Balbus hunc locum pæne ad verbum descripsit, sine ullo versuum illorum indicio, tom. I, pag. 128 : « En Phœbus viridi redimitus tempora lauro Est visus nostra ponere sede pedem, etc. »

27. *Intonsi crines*. De Apollinis coma semper intonsa ac prolixa, passim poetæ. Hinc et cognomine non uno insigniebatur, ακερσεκόμης, ἀκειροκόμας, κουροτρόφος, et *crinitus* latinis audiebat. Brouckh.

28. *Stillabat Syrio*. In Brouckh. uno legitur *Spirabat* : ita etiam e scriptis Georg. Fabricius ad Ter. Adelph. Act. II, sc. 2; pariter locutus est Valerius Flaccus, lib. VI, vers. 129 : « Hic et odorato spirantes crine Micelæ Cessææque manus. » Brouckhusius tamen merito monet non tam de odore hic agi, quam de profusa copia pretiosissimi unguenti. Vide Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Apoll. vs. 38. — Cod. Askew. Bern. et Vindob. habent *Syrio*; reliqui fere *Tyrio*. — Τὸ *myrtea* Cyllenio valde displicuit. « Scimus ab omnibus, quot legi, auctoribus scriptum esse, Apollinem cingi laurea, non myrto, etc. » In edit. Ven. expressum *myrrhea*. Heynius exclamat : « Cui non in animum veniat *myrrhea* legere, vel ex Horatio? Inhibui tamen impetum. » Non reputavit Heyn. hic de coma, non de corona sermonem esse. Imo vero, hoc ipsum docto viro minus arridet; memorat enim Apollini tribui fere *flavum* et *aureum* capillum, non facile *fuscum* et *nigricantem*. Vide præclaram disputationem Sophoclis cum grammatista Eretrio, apud Athenæum, lib. XIII, p. 603 : οὐδ' ὁ ποιητὴς ἔφη (σοὶ ἀρέσκει) λέγων χρυσοκόμαν Ἀπόλλωνα; χρυσέας γὰρ εἰ ἐποίησεν ὁ ζωγράφος τὰς τοῦ θεοῦ κόμας, καὶ μὴ μελαίνας, χεῖρον ἂν ἦν τὸ ζωγράφημα.

29. *Qualem præfert*. Nonnulli libri *perfert*, *profert*; mendose. *Præferre candorem*, ut *imaginem modestiæ præ se ferre*, apud Tacitum. Catullus, LXIV, 194 : « Frons exspirantes præportat pectoris iras. » Huschk.

30. *In niveo corpore*. Apud Musæum, vers. 58 : χιονέαι παρειαί.

32. *Ore rubente*. Vir doctus in actis societatis Traj. pag. 193, conjecit *flore rubente*; quod quorsum spectet non video. Voss. *igne rubente* non male dici putat, præsertim quum jam Claudianus, XXXI, vers. 51, dixerit : « niveas infecerat igni Solque pudorque genas. » Agnoscit tamen ipse nullibi occurrere *igne rubente* hoc sensu; quamobrem *tota rubore* scripsit, quasi

Ut, quum contexunt amarantis alba puellæ
 Lilia; ut autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla;
 Namque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ, fulgens testudine et auro,
 Pendebat læva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,

ore, ut vestigium τοῦ *rubore* supersit. Quæritur quomodo non senserit ingeniosus vir hoc omnino discrepare ab Ovidii exemplo, Her. XXI, vers. 112: « Sensi me totis erubuisse genis. » Ennius apud Nonnium, cap. VIII, 4: « Etsi mulier erubuit ceu lacte et purpura mista. » Idem sensus in nostro versu adest.

33. *Amarantis*. Editiones veteres *amaranthis*; cod. Lips. *Et* ... *adamantis*. Etiam vers. 34, vulgo *Et* legebatur, cui Brouckh. substituit *Ut* confirmantibus id Monac. Bern. Hamb. et Voss. 2.

34. *Ut autumno*. Theocriti hæc comparatio est, Idyll. VII, vers. 117: Ὦ μάλοισιν Ἔρωτες ἐρευθομένοισιν ὁμοῖοι.

35. *Ima* ... *palla*. Hic est cantoris Phœbi ornatus ap. Nasonem, Met. lib. XI, vs. 165: « Ille, caput flavum lauro Parnasside vinctus, Verrit humum Tyrio saturata murice palla. » Propert. lib. II, Eleg. XXXI, vs. 16: « Pythius in longa carmina veste sonat. » Talis palla et vatum fuit, et musicorum, qui sunt utrique in hujus Dei tutela: conf. Virg. Æn. lib. VI, vs. 645; Val. Flacc. Argon. lib. I, vers. 383. — Cyllenius *alludere* in suo habuerat, quod explicat talos percutere spiris crispulosis, ut apud Stat. Theb. lib. IX, vs. 334: « extremis alludunt æquora plantis. »

36. *Namque hæc* etc. « Pentameter saltem friget vel maxime. » Hæc Heynius; at illustris Voss. longius procedit, Tibulloque hunc versum abjudicat. Verba *in nitido corpore* illi videntur ad effigiem vs. 30 adumbrata esse. Idem, quum in Gryph. editione legatur *hoc* pro *hæc*, genuina scripturæ vestigia odoratur, existimatque sic restituendum esse hunc locum: « Quæ cocco nitido corpora vestierat. » At in libris nulla prorsus diversitas est; neque ullus miram vocis *cocco* elegantiam nobis concedit servandam. Hymn Hom. in Solem, vs. 13: καλὸν δὲ περὶ χροῒ λάμπεται ἔσθος.

37. *Testudine et auro*. Brouckhusius hic multa coacervavit de ornatu lyræ, de testudine, quo tempore præcipue ad res adfabre exornandas eam adhibuerint. Adi Stat. Silv. lib. II, IV, vs. 11; Juven. Sat. VI, vs. 80; Sat. XI, vs. 93; Senec. de Benef. lib. VII, cap. 9; Plin. lib. IX, cap. 11.

39. *Hanc* ... *plectro modulatus eburno*. Heyn. cui hoc eloquendi genus insolitum videtur, proponit *Hac*, scilicet *lyra*, ut apud Ovidium *arundine*, Met. lib. XI, vers. 154: « Et leve cerata modulatur arundine carmen. » Conjicit idem *moderatus*; dicimus enim moderari lyram; Horat. lib. I, Od. XXIV, vers. 13. H. Voss. priorem Heynii emendationem, ut parum latinam, rejicit. Et

Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc dulci tristia verba modo :
Salve, cura Deum ; casto nam rite poetæ
Phœbusque et Bacchus Pieridesque favent.
Sed proles Semelæ Bacchus, doctæque sorores

videtur ei pariter rejicienda altera immutatio quam ille profert, *moderatus*. Claudianus, lib. XXXIV, vs. 15 : « modulatus pectine nervos ; » Senec. Med. vers. 626 : « Cujus ad chordas, modulante plectro, Restitit torrens. » — Libri Laudi et Bodlei pro *veniens*, habent *Veneri*, unde Burmann. formabat *feriens*, Schraderus *verrens* ; male ; nam ut recte monet H. Vossius, *primum veniens* idem significat ac si dixisset, in primo statim congressu. Sic Plaut. in Pœn. Act. III, scen. III, vers. 59 : « extemplo exiens ; » Cicero pro Domo, II, § 4 : « Tune es ille, inquit, ... quo restituto, senatus auctoritatem restitutam putabamus, quam primum adveniens prodidisti ? »

40. *Ore sonante*. Ed. Rom. cum Venetis et scriptis nonnullis, in quibus Guelf. 1, 4, *ore canente*. Est hoc quod Propert. lib. II, El. XXXI, vers. 5, in signo Apollinis Palatini : « visus Marmoreus tacita carmen hiare lyra. » HEYN.

41. *Sed postquam fuerant digiti*. H. Voss. ex uno Anglico verba invertit, et scribit, *postquam digiti fuerant*.

42. *Dulci tristia verba modo*. Ante Brouckh. legebatur vulgo *tristi dulcia*, et in quibusdam, *dulci dulcia* ; in aliis *sono* pro *modo* ; sed verba quibus Phœbus amoris discidium nuntiabat, certo non *dulcia* dici poterant.

43. *Casto nam rite poetæ*. Proprie *castus* in sacris parandis et obeundis, purum corpus servans ; sic sacerdos castus : hinc omnino religiosus, pius ; etiam res sunt *castæ*, ut sup. lib. II, Eleg. I, vs. 13 : « Casta placent superis. » Nunc castus poeta, ut alias, sacer, sanctus, pius ; qui se addixit sacris Musarum, et rite ea colit, in studiis poeticis occupatus. Aliis in locis accedit notio vitæ puræ a violentia et rapinis alienæ.

45. *Proles Semelæ*. Non *Semeles* quod tamen libris plerisque nititur, sed Brouckh. e quibusdam *Semelæ* reposuit. Horat. lib. I, Od. XIX, vs. 2 : « Thebanæque jubet me Semelæ puer. » Ita istic libri meliores magno numero, non ut vulgo editur *Semeles* ; sic *Andromedæ*, *Penelopæ*, *Circæ*, apud eumdem poetam aliis locis reperire est. Notat Brouckhus. ex hisce Albii verbis adparere, solos Deos fatidicos eventura præscivisse ; non etiam alios quamvis primi ordinis ac loci ; de qua re excursum vide nostrum.—Pro *sorores* Cod. Lips. *puellæ* ex interpretatione, ni fallor. *Sorores* sæpe dicuntur simpliciter ; Prop. lib. II, El. XXX, vs. 27 : « Illic adspicies scopulis hærere Sorores. » Virgil. Ecl. VI, vs. 65 : « Aonas in montes ut duxerit una Sororum. » Ovid. Met. V, vers. 268 : « quam sic affata est una Sororum. » Propert. lib. III, Eleg. III, vers. 33, *novem puellæ* ; at statim subjicitur : « E quarum numero me contigit una Sororum. »

Dicere non norunt quid ferat hora sequens :
At mihi fatorum leges, ævique futuri
Eventura pater posse videre dedit.
Quare ego, quæ dico non fallax, accipe vates
Quodque Deus vero Cynthius ore feram.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro :
Pro qua sollicitas cælestia numina votis;
Quæ tibi securos non sinit ire dies :
Et quum te fusco somnus velavit amictu
Vanum nocturnis fallit imaginibus :

46. *Quid ferat hora sequens.* Versus in participium exeuntes reprehendit Servius, ad Æn. lib. III, vs. 300. Sed ipsius Virgilii, tum etiam Propertii, et Ovidii carmina affert Brouckh. ad Servium confutandum, qui jam a Nic. Erythræo, de licentia et diligentia carminis Virgiliani, a Jac. Pontano, Inst. poet. lib. II, cap. 11, et a Vossio, Inst. poet. cap. 7, §. 6, castigatus, temerariæ observationis pœnas dederat. Nihilominus adfirmat Bach. ejusmodi versus in operibus perfectioris generis raro occurrere. Exemplis a Brouckhusio laudatis addam illud Horatii in lib. I, Od. xv, quod certo carmen perfectioris generis est : « Urgent impavidi te Salaminius Teucer, te Sthenelus sciens Pugnæ. » Possem et alia innumera congerere.

47. *Ævique futuri.* Guelf. 2, *cujusque*; Paris. *cuicunque futuri.*

48. *Pater posse videre dedit.* I. Vossii 5, *dedit posse videre pater.*

49. *Quæ dico non fallax.* Bach. ex uno Angl. *qui dicor* in textum admisit; H. Vossius *quid dicam.* Sensus est, tu et hoc, quod quum maxime dico, et ea, quæ deinceps dicturus sum, ut vera accipe. Vates enim sum *non fallax*; Prop. lib. IV, El. VIII, vs. 74 : « Accipe, quæ nostræ formula legis erit. »

50. *Quodque... feram.* Ed. maj. an. 1472, Vicent et Reg. Lep. *Quidque... ferat.* Ed. Min. Venet. 1491, 1493, Ald. *Quodque..ferat.* Sed Brouckhus. recte substituit *feram.*

51. *Tantum cara tibi.* In Vossii 3, *cura* legitur; apud Catul. c. LXVIII, vers. 119, et Propert. lib. I, Eleg. XI, vers. 21, similes comparationes a cognatorum caritate desumtæ inveniuntur.

54. *Non sinit ire dies.* Tres Angl., Witt. et Lips. *esse dies*; sic etiam edit. min. an. 1472. HUSCHK.

55. *Te fusco somnus velavit amictu.* *Amictus* vocabulo Cyllenius et Vulpius Somni alas intelligebant; sed Heynio videtur secus; *alæ* enim amictus Somni vix dici possunt; antiquissima imagine Somnus dicitur amictu suo obnubere oculos; Somnus ipse apud Hom. Il. lib. XIV, vs. 359 : Αὐτῷ ἐγὼ μαλακὸν περὶ κῶμ' ἐκάλυψα.

56. *Fallit imaginibus.* Nonnulli scripti, et pro var. lect. Guelf. 3,

Carminibus celebrata tuis, formosa Neæra
 Alterius mavult esse puella viri :
Diversasque tuis agitat mens impia curas,
 Nec gaudet casta nupta Neæra domo.
Ah! crudele genus, nec fidum femina nomen!
 Ah! pereat, didicit fallere si qua virum!
Sed flecti poterit; mens est mutabilis illis.
 Tu modo cum multa brachia tende prece.

ludit. H. Voss. suam opellam hic impendit; reponens *vanis nocturnum* ita ut Tibullus *nocturnus* dicatur, vel potius Lygdamus ille cui hunc librum condonat integrum. Ego vero opinor ipsum Vossium, etsi interdiu hæc somniaverit, tunc fuisse *nocturnum*, aut saltem tenebrosum: *vanus* est non modo is qui fallit, sed etiam is qui fallitur; nihil itaque mutandum.

57. *Carminibus celebrata tuis.* Heynius ait: « videntur adeo plura a Tibullo in Neæram scripta intercidisse. » At ille si nihil aliud habet ex quo demonstrationem hauriat, timeo ut sententiam tueri possit; nam adsunt sane carmina de quibus hunc versum intelligas.

59. *Diversasque tuis.* Sic ex emendatione Lipsii reposuit Brouckh. vulgo legebatur *suas; τὸ suas* vero otiosum. Muretus et Douza legebant *diversasque suis*, ut esset *diversas* a propinquis ac gentilibus. Gebhardus Tibullo *diversoque suas* obtrudit; at nostram lectionem firmat liber Vindob. Simili eloquendi genere utitur Velleius Paterc. lib. II, 80, 2: « In id furoris processerat ut... semper diversa *his* quæ aliis placebant *dicendo* totam victoriam, ut suam, interpretaretur. » — Edit. Rom. et aliæ *mens anxia*. Ayrmann. vita Tibulli, § 85, legebat: *Diversasque tuis agitat minus anxia curas;* ut esset *promissi mutui immemor.*

60. *Casta... domo.* A simplicitate vitæ dicitur casta, ut apud Silium Ital. lib. I, vs. 609: « castaque beatos Paupertate patres. »

61. *Ah! crudele genus.* Is. Vossii 3, *Ah! crudelis gens.*

63. *Mens est mutabilis illis.* Legebatur olim *illi;* sed pronomen melius ad feminarum universum genus trahitur: quocirca lectioni faveo, quam in tribus libris invenerat Georg. Fabricius, quamque reduxit Brouckhus. post Scaligerum, suffragantibus nunc aliis quoque libris.

64. *Cum multa brachia tende prece. Prece* legitur in excerptis Pocchi, Perreii et Lipsii: ita quoque in binis Vaticanis reperit Heinsius, quibus consentiunt Guelf. 2, Monac. et Hamb. Vulgo legebatur *fide*, quod exposuit Achilles Statius: « Supplex ora, crediturus si quid pollicebitur. » Vel: « In fide permanens puellæ, nec ab ejus amore discedens. » At Douza interpretabatur: « Multum obtestando et implorando ipsius fidem. » Sed hæc omnia frigent, ut procul dubio anteponenda sit lectio *prece*. De victis brachia porrigentibus Brouckhusium disserentem non impedio: verum ad exempla transeo quibus veram scripturam defendit. In hac ipsa Elegia, vers. 76:

Sævus Amor docuit validos tentare labores,
  Sævus Amor docuit verbera posse pati.
Me quondam Admeti niveos pavisse juvencos,
  Non est in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
  Nec similes chordis reddere voce sonos;

« Vincuntur molli pectora dura prece. » Senec. Med. vs. 845 : « Ite, ite, nati, matris infaustæ genus, Placate vobis munere et multa prece Dominam et novercam. » Græci dicunt χεῖρας ἀνάσχειν θεοῖς, αἴρειν θεοῖς.

65. *Sævus amor docuit* etc. Ita refinxit e Cujacii libro Scaliger, cui accedebant Pocchi et Perreii vetusta excerpta, et nunc Corvin. et Is. Vossii primus. Ante Scaligerum legebatur : *domina fera verba minantis;* duo anglicani habent *fera bella minantis;* fatendum itaque hunc versum valde corruptela laborare. Ejus loco duo Brouckh. præbent : « Te victum placidumque tuæ monstrato puellæ ; » et duo Heinsii cum Guelf. 2 : « Flere nec ante pedes pudeat, dominamque vocare. » Perreius vero, monet hoc esse a Pontano profectum. Heynius putat defuisse ei exemplari, unde manuscripti libri fluxere, hemistichium hexametri et varie esse suppletum. H. Voss. fabellam de libris ex unico codice fluentibus cum irrisione dimittendam censet, ut jam alibi notavimus.—Huschkius ait : « *validos tentare labores* qui scripserit, neminem novi. Ferrem si scripsisset auctor, *Sævus Amor docuit validos tentare leones.* Propert. lib. II, El. XIX, vers. 21 : Non tamen ut vastos ausim tentare leones. » Mira sane consecutio. Num quia Propertius *leones* celebrat, idcirco Tibullus a laboribus prohibendus? Cæterum asteriscis intercludit Huschk. hexametrum.

66. *Docuit verbera posse pati.* Brouckhus. edidit *verbera sæva* e Cujacii libro, et tribus Vossianis; sed prorsus Tibulliana est nostra lectio, quam exprimunt editiones veteres sine exceptione; sic lib. III, El. VII, vers. 12 : *disces posse carere;* lib. I, El. II, vers. 20, *docet ponere posse.*

67. *Admeti niveos pavisse juvencos.* Lib. II, El. III, vers. 11 : « Pavit et Admeti tauros formosus Apollo. » Nostram scripturam tuentur Brouckhusii aliquot libri, Regius, Guelf. 1, 3, e corr. 4, et edit. Rom. cum Ven. Cæteræ editiones et libri quidam *niveas...juvencas.*—Adde quod Græcorum hic potius mos est, de grege femininum genus usurpandi (v. Homer. Il. II, 763; Odyss. XII, vs. 127), quam latinorum; quare Propertius etiam Solis *juvencas*, quas dicit Homerus, mutavit in *juvencos*, lib. III, Eleg. XII, vers. 19. HUSCHK. Virgilius tamen Eclog. I, vs. 9, dixit *meas boves.*

68. *Fabula ficta.* Duo apud Brouckhus. *facta.*

69. *Cithara... sonora.* Velint, nolint libri, *sonora* migrare jubet H. Voss. quasi non nisi de sono vehemente usurpari posset; et *canora* substituit, quod in margine edit. Gryph. adscriptum est; tum idem loca citat, ubi *canora* dicitur lyra; denique asserit corruptum esse *sonora* e voce *sonos* minoris versus,

Sed perlucenti cantus meditabar avena
 Ille ego Latonæ filius atque Jovis.
Nescis quid sit amor, juvenis, si ferre recusas
 Immitem dominam conjugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas :
 Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod si vera canant sacris oracula templis,
 Hæc illi nostro nomine dicta refer :

idque eo facilius fieri potuisse, quod in recentioribus linguis epitheton *sonorum* de jucundo dulcique sono sumatur; latine vero idem epitheton non aliter intelligi, quam de voce terribili ac tonitrua fragore suo imitante : dolendum tamen quod non ante Lucretium vixerit H. Voss.; sane si ille meliora edoctus fuisset ab illustri Germano, nunquam scripsisset, lib. V, vs. 335 : « organici melicos peperere sonores. » Quin ipsum Claudiani exemplum, quo utitur Voss., eum refellit (XL, 5): « cautes ubi sæpe sonoræ Præbuerant dulci mira theatra lyræ; » nam *cautes sonoræ* manifesto sunt dulci lyræ sono resonantes; cithara *sonora* Græcis est φόρμιγξ λιγεῖα.

71. *Sed perlucenti.* Velio Longo si auscultamus, non hic *perlucenti*, sed *pellucenti* scribemus. Ille enim *per* præpositionem ait omnibus integram præponi, nisi quum incidit in *l* literam. BROUCKH. Priscianus, lib. II, cap. 1, de syllaba, p. 571 : « R, quacunque consonante sequente, excepta K, potest terminare priorem syllabam, ut *morbus*, *parcus*, *ordo*, *perficio*, *Corfinium*, *margo*. *perhibeo*. *perlego*, *perluceo* etc. In compositis tamen quibusdam invenio R in L converti ut *intelligo* et *pellicio* pro *interlego* et *perlicio*, *pellego* pro *perlego*, *pelluceo* pro *perluceo*. Plaut. in Asin., *ita pellucet quasi laterna punica*. Huschkius dubitat an *perlucenti avena* scripserit auctor, desideratque *permulcenti*, quia Ovidius de Apolline, Metam. lib. II, vs. 683, dixerit : « Dumque amor est curæ, dum te tua fistula mulcet. » Satis temerarie!... multi libri et Guelf. 2, habent *cantum*.

73. *Nescis quid sit Amor.* Confer, nec pigebit, quæ Virgilius Ecl. VIII, vers. 43, et Theocrit. Idyll. III, vs. 15, cecinerunt.

74. *Immitem dominam.* Brouckh. correxit *dominum*, ut Heinsius in codice antiquo bibliothecæ Bodleianæ invenerat. Sed, ut notat Heynius : « qui dominum dixerat, debebat *servitium* subjungere, non *conjugium*. »

75. *Blandas adhibere querelas.* Ovid. Met. lib. III, vers. 376 : « O quoties voluit blandis accedere dictis, Et molles adhibere preces. »

76. *Vincuntur.* Brouckh. in scriptis conjecit; *Vincentur;* sed sententiæ communes præsenti tempore verbi melius exprimuntur. Cæterum *mollis* et *durus* opponuntur, ut apud Ovid. Fast. VI, 120 : « Ad *duram* verbis *mollibus* usus erat. » BACH.

78. *Nostro nomine.* Hoc reduxit Statius ex edit. principe. Edit. min. an. 1472, Venet. 1491, 1493, et Ald. *nomina*. Regius *tempore*, vitiose.

Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse :
  Felix hoc, alium desine velle virum.
Dixit, et ignavus defluxit corpore somnus.
  Ah ! ego ne possim tanta videre mala !
Nec tibi crediderim votis contraria vota,

79. *Promittit.* Langerman. maluit *permittit.* Muretus falsam omnino interpunctionem protulit de qua sequente versu agemus.

80. *Felix hoc.* Voculam *hoc* e vetere libro hausit Muretus, et eam habent Cujacii liber et Vossii quintus; in aliis legebatur *ac;* in Vossii 4° *at;* in 3° *et;* in nonnullis *ergo;* distinxit Muretus : « Felix. Hoc alium desine velle virum. » Sed ita perit omnis hujus loci gratia. Quis est enim qui non sentiat quanta oppositionis vis iterato *hoc* subsit? Salmasius jam hanc repetitionem notavit, probante Brouckhusio, qui etiam subjicit : « Sane vocula *felix* sæpenumero jungitur cum ablativo rei. » Licet adferat exempla, malim *hoc* nominandi casu ad *conjugium* referre. Eadem repetitione usus est Propert. lib. II, Eleg. III, vers. 25 : « Hæc tibi contulerunt cælestia munera divi, Hæc tibi ; ne matrem forte dedisse putas. » De Scaligeri sensu, *ipse, Felix hoc : alium* etc. ut ad formulam veterem in conditione conventa nuptiarum alludatur, *feliciter! felix hoc sit,* tacendum censeo : habeat sibi et omen et verba.

81. *Defluxit corpore somnus.* Hæc est plurimorum librorum scriptura, quæ sponsores habet Muretum, Statium, Passeratium, contradicentibus Scaligero, Brouckh. Vulpio et Heynio, qui *pectore* amplectuntur : videtur hoc e vers. 76 et 84, repetitum, ut recte monet H. Voss. Somnus nunc pectora occupat, nunc corpora; vid. Virgil. Æn. lib. IV, vs. 522; Cul. vs. 92.

82. *Ah! ego ne possim.* Codd. Lips. et Voss. tres *Hæc ego;* ille etiam *non possum,* pro *possim,* quod cum aliis libris exhibent etiam edit. maj. an. 1472, Venet. 1475, Reg. Lep. Venet. 1491, 93, Ald. 1502. Alii *ne possem.* Vicent. *non possim.* Sed jam edit. min. an. 1472, et Rom. 1475, *Ah ego ne possim.* Lib. II, Eleg. IV, vs. 7 : « O ego ne possim tales sentire dolores. » HUSCHK. — Placuit quoque Heynio nostra lectio.

83. *Votis contraria vota.* Heynius conjicit, *nostris contraria vota.* H. Voss. favente Heynio et sequente Bachio edidit, *Non ego crediderim,* e Statianis duobus cum uno Angl. et Thuaneo : sed cur in vulgata hæserint viri docti non liquet; similiter loquitur poeta, lib. II, El. II, vs. 13 : *Nec tibi malueris.* Colb. *Hæc ego,* id est *Nec ego;* nam eodem modo in libris exaratum reperias *Nec* et *Hæc.* At viri docti constructionem impugnant, *Nec tibi...pectore tuo :* impugnent si placet; nihilominus latina manebit. Prop. lib. III, El. XII, vs. 10 : « Hæc tua ne virtus fiat amara tibi. » Lib. IV, El. I, vs. 139 : « Nam tibi victrices quascunque labore parasti, Eludet palmas una puella tuas. » Huschkio non displicet illa Heynii emendatio, quia in simili Propert. versu voces *nostris* et *votis* etiam permutantur, lib. I, Eleg. V, vs. 9 : « Quod si forte tuis non est contraria votis. »

Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti,
Nec flammam volvens ore Chimæra fero;
Nec canis anguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguæ tergeminumque caput;
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram:
Nec te conceptam sæva leæna tulit,

84. *Pectore inesse tuo. Pectori* tuentur duo Angl. Berol. 4, Hamb. Guelf. 1, et alii quidam. Scaliger, Brouckh., Voss., Bauer., et Bach. ita reposuerunt; sed Vulpius, Heynius, Huschkius, diversam inierunt sententiam. Huschk. lectionem contra grammaticæ doctores defendit, Quintiliani loco fretus, lib. VIII, 3, 68: « At si aperias hæc, quæ verbo uno inclusa erant, apparebunt. » *Pectore inesse* itaque Huschkio idem est quod *in pectore esse*. Eodem modo Terent. Phorm. act. I, sc. IV, vs. 2: « Ita nunc imparatum subito tanta me impendent mala; » quum nusquam alibi *impendere* reperias, nisi aut dativo junctum, aut cum præpositione et accusativo. Vide Ruhnken. ad hunc locum et Cortium ad Sallustii Catil. II, 9: « Aliquo negotio intentus: » denique Burmannum ad Suetonii Cæs. 66: « Vetustissima nave impositos, quocunque vento, in quascunque terras, jubebo avehi. »

85. *Nam te nec vasti* etc. Confer. Hom. Il. lib. XVI, vs. 34; Catul. carm. LXI, vs. 154; Virg. Æn. lib. IV, vs. 365; Ovid. Epist. Didus, vs. 37; Met. lib. VIII, vs. 120. Thuan. et Colb. *Nam te non*.

86. *Nec flammam*. Hamb. *flammas*, et loco τοῦ *fero* exhibet *suo*; Bern. pro *volvens*, *vomens*.

87. *Nec canis anguinea*. Cyllenius, Passeratius, Brouckh. Heynius et Bach. ediderunt: « Nec consanguinea redimitus, » ex Typhone enim et Echidna natum esse Cerberum aiunt; ejus in collo, et juba, et tergo centum hærebant serpentes, eodem satu editi... Nec tamen desunt libri qui nostram lectionem expresserunt *canis anguinea*; duo Witt. Ask. Monac. Voss. 4, editiones principes Rom. et Venet. 1475, Vicent. Reg. Lep.—Is. Vossio ad Catul. p. 215, et Brouckhusio ad Propert. lib. IV, VIII, 10, forma *anguineus* suspecta visa est; sed ut notat Huschkius, hoc nihil ad *canem*: « Quidni ut a sanguis fit *sanguineus*, ita ab anguis fiat *anguineus*? Nec damnavit hanc formam Heinsius ad Ovid. lib. IV, Trist. El. VII, vers. 12: nec delevit Ruhnken. in Lexico Schelleriano. Paris. cum paucis *cathena* pro *caterva*. »

89. *Canibus succincta figuram*. Notum illud Virgilii, Ecl. VI, 75: « Candida succinctam latrantibus inguina monstris. » Pro *succincta*, Paris. Lips. *submixta*; alii *subnixa*. Colb. *commixta*; unde Heinsius fecit *commissa*. Nostram vero confirmant Scaligeri codices, Statii duo, unus Brouckhusii Vindob. Bern. Gothan. Heynius *Scyllave* substituit, quod habent tres ad summum libri.

90. *Conceptam... tulit*. Ask. *Correptam* Hamb. *dedit*. Simile quid ce-

Barbara nec Scythiæ tellus, horrendave Syrtis;
Sed culta, et duris non habitanda domus,
Et longe ante alias omnes mitissima mater,
Isque pater, quo non alter amabilior.
Hæc Deus in melius crudelia somnia vertat,
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

cinit poetarum nostrorum princeps, RACINE, *Phèdre*, Act. II, scen. 2 :

Croit-on que dans ses flancs un monstre m'ait porté ?

91. *Horrendave Syrtis*. Regius *Syrtes*. Duæ sunt *Syrtes* apud Leptim, oppidum Africæ extremæ, impares magnitudine, pari natura. Vide Sallust. Jugurth. 78; Mel. lib. I, c. 7; Plin. lib. V, cap. 4; adi quoque Statium, Silv. lib. IV, v, vs. 29.

92. *Culta, et duris*. Vossii 3, *culta et diris*; sed ex antiquioribus Scaliger reduxit *duris*.

93. *Ante alias omnes mitissima mater*. Goth. Hamb. et Vossii 5, *omnes alias*, quod friget. Libri omnes *alias*; editiones partim *alios*, partim *alias* habent. Nempe qui *alias* legerunt, ad unam respexerunt mitissimam matrem, qui *alios*, ad patrem simul amabilissimum. Hæc ratio an verior illa sit nescio. Conf. ad III, VI, 32; Livius, lib. I, cap. 9: « Unam longe *ante alias* specie ac pulchritudine insignem a globo Talasii cujusdam raptam ferunt. » Tibul. lib. II, El. IV, vers. 24 : « Sed Venus ante alios est violanda mihi. » Pæne oblitus eram monere pro *et* Lips. et Gothan. habere *sed*. Sic Latinus Latinius *sed* substituit Catullo, El. ad Manl. vs. 159, ubi rectius legitur : « Et longe ante omnes mihi quæ me carior ipso est. » HUSCHK. — Bach. τὸ *sed* recepit.

95. *Crudelia somnia*. Lips. *Crudelis*. Vossii 3, *Nec* pro *Hæc*, de qua variatione jam supra monuimus.

96. *Irrita ferre notos*. Hanc scripturam agnoscunt Monac. et Vossii tres; in reliquis fere est *impia*. Tibullus, El. VII, vs. 18, hujus libri, *et ventos irrita ferre jubet*. Catullus, Carm. XXX, vers. 9 et 10 : « Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque Ventos irrita ferre et nebulas aerias sinis. » Et carm. LXIV, Nupt. Pel. et Thet. vers. 142 : « Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti. » Brouckhusius Robert. Titium castigat, qui non potuit hic ferre *tepidos notos*, sed *trepidos* reposuit : exclamat lepide doctus ille vir : « Igitur misero noto tepere non licebit per frigus Titianum ! » At Ovidius et Lucanus præsto sunt, quorum prior Am. lib. I, Eleg. IV, vers. 12, et El. VIII, vs. 20, *Notos tepidos* dixit; alter vero Notum etiam *flagrantem* fecit Phars. lib. X, vers. 50. Accedit et Plinii locus, lib. II, cap. 47 : « Grandines Septemtrio importat et Corus; æstuosus Auster. »

ELEGIA V.

Vos tenet, Etruscis manat quæ fontibus unda,
Unda sub æstivum non adeunda Canem,

1. *Vos.* Passim legitur *Nos*, quoniam male suppletum erat spatium vacuum, ut solet in libris in fronte relictum. Unus Statii et unus Brouckh., pro varia lectione *montibus*.— Fuere viri docti, qui Tibullum de ipsis Campaniæ Baiis loqui contenderent. Hi adeo *fontes etruscos* inde dictos poetæ arbitrati sunt, quod Etrusci olim omnem istam oram Campaniæ tenuisse feruntur, ut ex Dionys. Halic. aliisque satis constat. Enimvero vix ea sententia commode defendi potest; nam nimis longe petita ea esset Baiarum in Campania designatio, eaque obscura et incerta, quum multo magis animum ad Etruriam revocaret, et redit infra *Tusca lympha*; tandem et illud quis ferat, Baias dici *maximam Baiarum*? Quum Campaniæ illæ Baiæ uno et proprio nomine Baiæ sint, non communi et appellativo. Laudarunt pro sua sententia locum Lucretii, lib. VI, vers. 747, ubi de Avernis agit: « Is lacus est Cumas apud etruscos et montes. » Sed qui bonam Lucretii editionem inspexerit, non lectionem sed interpolationem esse videbit. Heyn. Strabo, lib. V: Πολλὴ δὲ καὶ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀφθονία κατὰ τὴν Τυῤῥηνίαν. Τῷ δὲ πλησίον εἶναι τῆς Ῥώμης, οὐχ ἧττον εὐανδρεῖ τῶν ἐν Βαίαις, ἃ διωνόμασται πολὺ πάντων μάλιστα. Sunt qui præpositionem hoc loco desiderent et inest Lips. *manat e fontibus*; in Voss. tertio *manatque e fontibus una*; in quinto *manatque e fontibus unda*. Sic apud Virgilium, Cul. vs. 146: « His suberat gelidis manans e fontibus unda. » Non igitur verendum ne in locutione *unda fontibus manat* fontes superfluant, ut propterea legendum sit *montibus*. Edit. Vicent. sola, quod sciam, habet: « Os tenet ætruscis manat quæ fluctibus unda. » Qui præpositionem perire nolunt, possunt, per me licet, legere: « Vos tenet e Tuscis manat quæ fontibus unda. » Huschk.

2. *Sub æstivum non adeunda canem.* Heynius de Martiale meminit, eadem fere locuto, et exclamat: « In Martiale hoc commode memorari poterat; non æque in hoc Tibulli loco; in quo æstuans ex febri et ex metu instantis mortis, poeta vix huic observationi vacare poterat. » Nimis arguta observatio!

3. *Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis.* Tot fere sunt hoc loco doctorum dissensiones, quot arenæ in maris litore; ita ut lectorem multum premat interpretatio, quin adeo ipsa verborum lectio. Nullum est enim quod certa ratione sibi constare possit, nullum quod non inter somnia hic vel ille exsulare jusserit. Libri tamen duobus tantum in vocibus variant; Voss. 4 pro *Nunc* habet *Tunc*, vix relatu dignum; sed in majore varietate versatur τὸ *maxima*: Excerpta Perreii et Pocchi

Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,

et Colotii offerunt *munia*, *mœnia*, *numina;* unus liber *munera*. Consentiunt in *maxima* libri Brouckusii, Statii, Heynii, Vossiani omnes, Lips. Paris. et editiones veteres. In tanto consensu vocem loco movere non ausim : sed Heynius, acerbissimus omnium correctorum, cultro et hunc et superiorem versum excindere conatur, itaque legit: «Vos tenet Etruscis manat quæ fontibus unda, Dum se purpureo vere remittit hiems.» Illi, « Unda sub æstivum non adeunda canem, » prorsus absurde dictum videtur, et quod ad tertium hunc versum attinet, si eidem Heynio confidas, interpolatoris manum redolet, eamque indoctam. At emendatorem ipsa confutat audacia. Scioppius et Heinsius emendaverunt : *Baiarum proxima lymphis*, ut esset : salubritate sacris Baiarum aquis hoc verno tempore proxime accedens unda. Vulp. *proxima* textui inseruit et ad idem amplectendum proclives erant Brouckhusius, Wunderl. Bauer. et alii. Docet Heynius, in Observationibus, sæpenumero permutari *maximus* et *proximus*, quod exemplis firmat, Lucan. lib. X, vers. 408 ; Ovid. Met. lib. II, vers. 323; Vell. Paterc. lib. II, cap. 127 ; Justin. lib. XIV, cap. 4. Quin demonstrat insuper locutionem poetis frequentatam esse. Adi Ovid. Met. lib. XII, vers. 398 ; Propert. lib. I, Eleg. XX, vers. 6 ; Virgil. Ecl. VII, vers. 22 ; Cic. ad Attic. lib. II, Ep. VI. — His perlectis parum abfuit, quin et ego *proxima* amplecterer ; sed ei desunt omnino libri, et si semel ab illorum auctoritate recesseris, haud video cur non æque admittantur somnia H. Vossii Bachiique, quorum prior τῷ *munia* unius libri confisus, pro *autem* dedit *æquans*, particulamque ut parum usitatam poetis ablegat. Bachius vero meliori ratione conjecturam profert; sed conjecturam tamen, « Nunc autem ante sacras Baiarum maxima lymphas, » et subjicit : « Præpositio *ante* propter similitudinem antecedentis *autem* postquam exciderat, corrigebant accusativum in ablativum, ut qualiscunque sensus loco redderetur. De usu loquendi confer Virgil. Æneid. lib. VII, vers. 55, et Tibull. lib. III, Eleg. IV, vers. 93. Huschkius, qui textui pepercit, nihilominus suam conjecturam cæteris addidit : «Nunc augens sacris Baiarum munera lymphis, » ut *augere dona venatibus* apud Virgilium, lib. IX, vers. 407. Attamen agnoscit rejiciendas esse omnes emendationes. Superest itaque ut verum loci sensum exponamus. Inter tot diversos, quos omnes referre non lubet, duo præcipue placent. Prior ita construit : « unda maxima sacris lymphis Baiarum, » id est, quæ propter lymphas salubres maxime celebratur. Huic constructioni ac lectioni simillima est, quamvis neget Heynius, Virgilii Æneid. lib. VII, vers. 85 : « Albunea nemorum quæ maxima sacro Fonte sonat, sævamque exhalat opaca mephitim. » Sic dicitur quoque vir *factis maximus*. Alter sensus est, quem proposuit magnus vir BOISSONADE ad Gregor. Corinth. p. 114 : scilicet ut *maxima* pro comparativo sit major, præstantior. Weichert. ad Pomp. Melam idem statuit ; timet Bach. ut exemplis latinis locutio firmari possit, et Huschkius eam prorsus falsam esse declarat. Brouckhusius ostendit, Scaligerum se-

Quum se purpureo vere remittit humus.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam :
Immerito juveni parce nocere, Dea.
Non ego tentavi, nulli temeranda virorum,

cutus, omnia θερμὰ ὕδατα vocari Baias, a Baiis illis Campaniæ. Si tibi hæc omnia minus satisfaciunt, Heynium adi in notis, qui etiam majoribus tenebris rem obscurat.

4. *Vere remittit humus.* Brouckh. edidit *hiems* ex uno Statiano et Excerpt. Lips. citatque Horatium, Od. I, IV, 1 : « Solvitur acris hiems. » Verum *humus* librorum auctoritate gaudet ; et quod ad exempla attinet, Ovidium habemus, Fast. lib. IV, vers. 126 : « Vere nitent terræ, vere remissus ager. »

5. *At.* In scriptis et veter. edit. *Ah ... horam ;* in Hamb. *iram.*

7. *Nulli temeranda. Temerare*, ut Festi verbis utar, universe est *violare sacra et contaminare; dictum videlicet a temeritate.* Ovidius, de incestu Vestalium, Fast. VI, vs. 457 : « Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos ; » et de Ponto, lib. IV, El. X, vers. 82 : « Quis labor est puram non temerasse fidem? » Temerat igitur etiam sacra *arcani prodigus*, qui sacra occulta vulgat ; et nimis in angustum ursit hujus verbi sensum Brouckhus. quum scribat : « *Temerare* sacra illi dicuntur, qui irrumpunt quo iis ire non licet, et vident quæ videre nefas est. » Constituto nunc *temerandi* sensu, quod verbum nulla variatione in libris adest, reliqua huic accommodanda erunt. Ante Scaligerum legebatur vulgo *Deorum*, lectio perquam ridicula e vicinis *Dea*, *Deæ* manifesto orta. Ille codicem laudat cui librarius adscripserat *virorum*, deleta voce *Deorum*. Nunc illam scripturam expressam vidit H. Voss. in ipso contextu librorum Vindob. Got. Hamb. Vossii 1, 5, et Askew. Wunderlichius in Zwick. 2. Nescio cur Huschkius, quem ad verbum fere hic refero, tanto consensu non permotus sit ; prætulit ille *piorum* ex Excerptis Colotii, ut de initiatis sermo sit, qui pii eximie dicuntur. Fortasse id eadem ratione fecit, qua H. Voss. qui minori versui *cernere* obtrusit, tanquam inepte poeta diceretur docere ea, quæ ipse non viderit. — Discrepant hic Brouckh. et Heynius. Prior ait : « Hæc Albiana ad evulgata initiorum solemnia nihil pertinent ; potius ad alia quædam Cereris sacra, viris penitus interdicta, omni illis aditu occluso ; » et paulo post : « Hæc sunt Thesmophoria, quibus solæ mulieres admittebantur. Tu vero cave istam Cererem confundas cum Bona Dea. » Heynius contra : « At debent hic sacra, quæ apud Romanos in usu fuere, et omnino aliquid notæ religionis notari ; itaque de sacris sive Vestæ non adeundis viro, ut ait Ov. Fast. lib. VI, vers. 450 ; sive Bonæ Deæ, quæ *maribus non adeunda*, sup. lib. I, Eleg. VI, vers. 22, vocabat, accipienda hæc sunt ; quæ qui violasset, non modo oculis orbabatur, sed etiam ut omnino sacrilegi aliis corporis animique pœnis afficiebatur. ». Sed integram dissensionem ne titivillitii facio; potest enim æque de utrisque sacris intelligi hic locus.

Audax laudandæ sacra docere Deæ;
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit;
Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes;
Nec cor sollicitant facta nefanda meum;
Nec nos insanæ meditantes jurgia linguæ,

8. *Laudandæ sacra docere Deæ.* Brouckhusio ob superiora valde arridet lectio *celandæ*, quæ in Exc. Perreii et in uno Vaticano legitur; sed, ut notat Heynius, verendum ne a docta interpolatione illud sit. Heinsius mallet *sacra subire*, quod H. Vossio vix latinum videtur. At ipse aliquid in Tibullum commisit, reponens *cernere sacra* loco τοῦ *docere sacra*, idque ex ingenio. Non operæ pretium est argumenta referre quibus inventum tueri vult. Merum scripturæ mendum est, quod habet Dresd. *nocere*; liber Vossii secundus *movere*.— *Sacra docere* de eo intelligendum, qui, quæ impie vidit, mox etiam evulgat, vel de illo qui initiatus, nefanda et arcana prodit. Huschkius Livii, Ciceronis, Horatii, plura loca congerens, ait: « Patet esse optimam omnium *docere.* » Nobis sat erit ex his exemplis unum eligere Livii, lib. IX, cap. 29: « Eodem Appio auctore Potitia gens, cujus ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos ministerii delegandi causa solemnia ejus sacri docuerat. »

9. *Infecit pocula.* Virgil. Georg. lib. II, vs. 128: « Pocula si quando sævæ infecere novercæ. » Poculum sæpe de veneno sumi ostendit Brouckhusius.

10. *Tetra venena.* H. Voss. *certa venena* edidit e septem libris, ut esset eodem sensu dictum quo *certa sagitta*. Et erat olim *certa* in vulgatis edit. Scaliger in antiquo libro invenerat *trita*, probatum Heinsio: ipse tamen reposuit *tetra*, quod est etiam in uno Statii Sfortiano et binis aliis, et pro varia lectione in Guelf. 2. Brouckh. ad Propert. lib. II, Eleg. XVII, vers. 14, immensa exemplorum copia absolvit frequentasse veteres *tetra venena*. Ad oram edit. Reg. corrigitur *tecta*. Unus Statii *non unquam*, pro *nec cuiquam*. Colb. *dedi*, pro *dedit*.

11. *Sacrilegos templis admovimus ignes.* Hæc antiqua scriptura fuit, cui Scaliger substituit *Nec nos sacrilegi templis admovimus ergo.* In Guelf. 4, et Venetis legitur *sacrilegos ægros*; in libro Cyllenii, *sacrilegis templis*; Vulpius multum sudat ut *ægros* interpretetur. Pro *admovimus* quidam *amovimus*; duo *damnavimus*.

12. *Facta nefanda.* H. Voss. *ulla nefanda* e libro uno; *nefanda* enim substantive sumi apud Nostrum, lib. I, Eleg. V, vers. 42, *nefanda mea*; et apud Ovidium, Trist. lib. III, Eleg. IX, vers. 16, *multa nefanda*.

13. *Insanæ meditantes jurgia linguæ.* Libri scripti magno numero habent *mentis*; unde Lipsius *insana mente* faciebat, quod Brouckhusio verum ac germanum visum est; sed lites, jurgia, rixæ, linguæ non mentis propria sunt; unde Huschkius negat commode potuisse dici *jurgia*

Impia in adversos solvimus ora Deos.
Et nondum cani nigros læsere capillos,
Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem nostri primum videre parentes,
Quum cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis?
Et modo nata mala vellere poma manu?

mentis. Idem arbitratur hanc lectionem ortam esse e verbo *meditantes*. Propert. lib. III, El. VIII, vs. 2: « Vocis et insanæ tot maledicta meæ. »

14. *In adversos solvimus*. Brouckh. intulit *aversos*, scilicet iratos. *Adversos* servandum est: nam tunc præcipue insani Deos maledictis petunt, quum eos infestos, *adversos* habuerint. Reg. a prima manu, *movimus*, quod non placet, præsertim quum *solvere ora* frequens locutio sit.

15. *Læsere capillos*. Unus bonæ notæ liber Witt. *capilli*.

17. *Natalem nostri primum*. Ita Brouckh. e libris. Vulgo, etiam Guelf. a Romana inde, *primo nostrum*. Regius cum aliis, *primo nostri*; edit. Basil. *prima nostrum*. HEYN.

18. *Quum cecidit fato consul uterque pari*. Hic versus maxime doctos exercuit. Brouckhusio si confidas, obtrusit nobis eum sinistra liberalitas cujusdam tenebrionis. Idem Heinsium culpat, qui in notis ad Ovid. Trist. lib. II, vs. 464, « legiturque Tibullus, Et placet, et jam, te principe, notus erat, » reposuit *natus* pro *notus*: sed de his omnibus copiose in Tibulli vita agimus, ubi hunc versum maxime illustramus. At Nasonianus est hic pentameter; scripsit enim Ovidius, Trist. lib. IV, x, vs. 6: « Editus hic ego sum; nec non, ut tempora noris, Quum cecidit fato consul uterque pari. » Quum autem Naso aliis in locis sæpius Nostrum imitatus sit, multaque ejus verba sibi sumpserit, cur non hoc æque secutus sit, non video? nec refert quod notat Heynius ab Ovid. alibi Tibullum *se majorem* appellari, qui potuit major esse aliquot mensibus, et tamen ejusdem anni die quocunque natus. Cæterum Heynio totum distichon a mala manu processisse videtur: quin adeo illi si accredas, ipsam sententiam interrumpit. Ayrmannus, in Vita Tibulli, § 97, 98, emendabat: « Quum cessit fato consul uterque pari, » ut rem ad annum U. C. 705 referret, quo Claudius Marcellus et Cornelius Lentulus ex urbe Italiaque cedere, adventu Cæsaris, coacti sunt. Ovidius, Art. Amat. lib. II, vers. 670; Am. lib. II, Eleg. IV, vers. 23, hujus elegiæ versus 16, 19 et 20 adumbravit; ut certo etiam hunc versum Tristium libris inferre potuerit.

19. *Crescentibus uvis*. Ovid. Am. lib. II, loc. cit. « Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis? Pomaque crudeli vellis acerba manu. » Auctor epigrammatis 98, Anthol. græc. tom. II, pag. 791 ed. Jacobs. Δακρυχαρὴς Πλούτων, οὐ πνεύματα πάντα βρότεια Σοὶ νέμεται; τί τρυγᾷς ὄμφακας ἡλικίης;

20. *Mala vellere poma manu*. Si-

Parcite, pallentes undas quicunque tenetis,
  Duraque sortiti tertia regna Dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
  Lethæamque ratem, Cimmeriosque lacus;
Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
  Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequidquam terrear æstu!
  Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Tuscæ celebrantur numina lymphæ,

gnanter dixit *mala manu.* Plautus, Amphitryo, Act. II, scen. 1, vers. 58: « Huic homini nescio quid est mali mala objectum manu. » Virgil. Eclog. III, vers. 11: « Atque mala vites incidere falce novellas. » Calpurnius, Ecl. III, vs. 73: « Ut mala nocturni religavit brachia Mopsi Tityrus. » BROUCKH.

21. *Pallentes undas.* Sic habent libri ferme triginta; sic supra Eleg. II, fin. *pallida ditis aqua;* sed Rom. 1475; Venet. 1491, 1493; Ald. habent *umbras*, quod exhibent Guelf. 1, 4; Dresd. quatuor H. Vossii.

22. *Duraque sortiti tertia regna Dei.* Brouckhusius hic non parvam ingenii impensam fecit, ut demonstraret, contra Servii auctoritatem, bene jungi cum uno substantivo bina epitheta : sed, ut notat Bach. exempla male disposita dedit ille. Nova affert Bach. cujus sententia non difficile cum Heynii opinione conciliari potest: ambo enim in id consentiunt, esse alterum epitheton ad claram plenamque substantivi notionem reddendam necessarium, ut cum hoc ipso unum tanquam verbum efficiat. Sic ipse Tibull. sup. Eleg. III, vers. 38: « Dives in ignava luridus Orcus aqua. » Nepos in Dat. III: « Agresti duplici amiculo circumdatus. » In his substantivum præcedit vox adjectiva quæ ei quasi inhæret, in sequentibus vero statim et nullo vocabulo intercedente sequitur; Ovid. Fast. I, vs. 637: « Candida ... lux proxima ; » Senec. Med. vers. 110: « Candida Thyrsigeri proles generosa Lyæi. »

24. *Lethæamque ratem.* Male scribebatur *Letheam;* est Ληθαῖος; Callimach. in Del. vers. 234: ὅτι οἱ Ληθαῖον ἐπὶ πτερὸν ὕπνος ἐρείδει. HEYN.

25. *Rugosa pallebunt.* Brouckhus. olim conjecerat *squalebunt*, idemque Heinsio in mentem venerat. Ille tamen in posterum ab immutatione recessit: pallor enim et rugæ sunt senectutis comites.

26. *Et referam* etc. Supra lib. I, El. X, vs. 44: « Sic ego sim, liceatque caput candescere canis, Temporis et prisci facta referre senem. »

27. *Vano nequidquam terrear æstu.* Unus Statii cum Guelf. 3, *torrear*, quod Heynio placet propter Ovidii locutionem, Epist. XX, vers. 169, *torrentur febribus artus:* eadem lectio H. Vossii quatuor inest. Longe præstat scriptura recepta; terrent enim minæ quæ *nigram* denuntiant *horam*.

28. *Ter quinos.* Regius *bis quinos;* H. Voss. quum in quibusdam *jam* legatur, ubi nunc *sed*, illud prætulit; in textu tamen *sed* retinuit.

29. *Numina lymphæ.* Apud Brou-

Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, memores et vivite nostri,
Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mixta mero.

ckhusium editur *gramina Nymphæ*; *Nymphæ* quidem e duobus libris; sed *gramina* e conjectura, quia in Colbert. *carmine*; in Thuaneo *carmina*, sub quo putat Brouckh. latere lectionem *cramina*, hoc est, *gramina*. Idem doctus vir intelligit campum, in quo exercebantur ante lavationem et natationem, illicoque Horatium et Nasonem arcessit sibi sponsores, qui tamen nil ad rem faciunt. *Numina* fere omnes exhibent codices; nullus *gramina*. In Regio *munera*, non male. Pro *At vobis*, quod Muretus correxit et libri habent, vulgatæ ante eum editiones legebant *Atque mihi*, male. Guyetus bene conjecit *At vos quois*.

30. *Lenta pellitur unda manu*. Confer lib. I, El. IV, vs. 12: « Hic placidam niveo pectore pellit aquam. » Auson. Mosell. vs. 344: « mox amne refotos Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu. » *Facilis unda*, ut Propert. lib. I, Eleg. XI, vers. 12: « Alternæ facilis cedere lympha manu. » — *Lenta manu* pulchre luctantia brachia exprimit. Ovid. Epist. XIX, vers. 48: « Lentaque dimotis brachia jactat aquis. » Conf. Epist. XVIII, vs. 96, et ibi Burm. HEYN.

31. *Memores et vivite*. Excerpta Lips. *sed*, quod exstat etiam in ed. min. anni 1472.

32. *Seu nos fata fuisse volent*. Vulgo edebatur *velint*; Brouckh. tacite ex uno Statii *volent* revocavit, quod nunc Vossii compluribus firmatur. Huschk. pronuntiat: « Non ita vacillant invictæ fatorum leges, ut adstringi se patiantur incertis temporum modis, præsertim falsis. Recte dicas, *sive ero*, *sive fuero*: recte etiam, *sive ero*, *sive fata voluerint* me fuisse; at nemo vivus vidensque dixerit, *sive ero*, *sive fata velint me fuisse*. Propertius, lib. I, El. XIV, vers. 14: « Quæ maneant, dum me fata perire volent. » Verum Brouckh. etsi *perire* temere mutatum volebat in *venire*; intactum tamen reliquit *volent*, eamque formam recte restituit Tibullo. » Vide lib. II, Eleg. IV, vers. 43; lib. II, El. VI, vers. 3. Cyllenius in suo legerat *non velint*.

33. *Nigras pecudes promittite Diti*. Perquam ridiculum est, quod adscripsit Heynius, compensationem esse pro meliore anima hominis. Quæri potest quot ovium ad quamque hominum animam sufficiant? Cæterum nullus est fere quin sciat victimas Diti atras cum lacte et mero oblatas fuisse; Senec. Œdip. vs. 563: « sanguinem libat focis, Solidasque pecudes urit, et multo specum Saturat cruore, libat et niveum insuper Lactis liquorem, fundit et Bacchum manu Læva. »

34. *Pocula mixta mero*. Heynius ait, *mixta*, a Brouckhusio. Vulgo *mista*, præter Aldin. primam: hoc falsum. Ut notat Huschkius, omnes edit. veteres, quas vel ipse habuit, aut ab aliis collatas secutus est, libri etiam Paris. et Lips. *mixta* habent.

ELEGIA VI.

CANDIDE Liber, ades; sic sit tibi mystica vitis
  Semper, sic hedera tempora vincta geras.
Aufer et ipse meum pariter medicande dolorem :

1. *Sic sit tibi mystica vitis.* Edit. maj. an. 1472, et Vicent. *Candida;* sic Zwick. 2; at Lips. *mustica.* Hinc ortum est *rustica*, quod duo libri Brouckh. habent. Ita lib. I, El. 1, vs. 23, pro *rustica pubes*, cod. Guarn. habet *mystica pubes*, et I, x, 26, pro *hostia rustica*, complures libri scripti et editi *hostia mystica*, quod scribi solebat *mustica*. HUSCHK. Bacchus unde Liber dicatur, multiplici ratione disquirit Lilius Gregorius Gyraldus, Histor. Deorum syntagm. 8. Tu egregiam Gailii junioris dissertationem consule, quam merita palma ornavit elegantiorum literarum Academia. Quod ad vitem attinet, videtur mystica dici non solum quod initiis cum Cerere Liber et Libera colerentur, sed etiam a mysteriis atque orgiis Bacchi, quibus qui operabantur pampineas coronas gestabant.

2. *Semper.* Non parum dubitationis interpretibus hæc vocula attulit, quum alii eam ad majorem versum, alii ad minorem referrent. Hinc ante Scaligerum lectum : *Sic hedera semper*, paucis tamen libris adsentientibus. Nostram vero adverbii collocationem confirmat distichon, lib. I, El. v, 51, 52 : « Hanc volitent animæ circum, sua fata querentes Semper, et e tectis strix violenta canat. » Virgil. Ecl. VII, vs. 49 : « Hic focus et tædæ pingues, hic plurimus ignis Semper, et assidua postes fuligine nigri. » H. Vossius quia olim Statius in suis libris *cornua* legerat, id nunc amplexus est : olim legebatur *feras ;* Brouckh. e tribus libris reposuit *geras*, et mole exemplorum rem expediit ; accedunt tres Vossii.

3. *Pariter medicande dolorem.* Heynius qua tetricitate est, in hunc quoque locum stylum stringit, multifariaque excogitat, ut lacunam impleat, itaque proponit : « Aufer et indomitum succo medicante dolorem ; » et addit : Sin propius insistendum est verborum ac literarum vestigiis, legere præstat : « Aufer et ipse meum, pater, et medicare dolorem. » Hæc Heynii ingeniosa lucubratio tamen non omnibus satisfecit. Wacker. Amœn. p. 72, enim emendavit : « Adfer et ipse merum, pater, et medicare dolorem. » Wassenbergius : « Aufer et ipse meum patera medicante dolorem. » Huschkius *medicate* legi vult ; subjicit autem : Bacchum ætate Lygdami ab amore in Ariadnen certo liberatus erat, ut nulla jam medicina indigeret. Acuta sane observatio ! Cæterum noli mirari quod Germanorum doctissimus quisque facile literam *d*, in *t*, mutaverit. Nihil est omnino hic, quod lectorem premat, præsertim quum Is. Vossii codex an-

Sæpe tuo cecidit munere victus Amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho;
Et nobis prona funde Falerna manu.

tiquissimus τὸ *medicande* habeat. Vulgata *medicando* Cyllenium offenderat; is demonstravit finale *o* perperam corripi. Brouckh. eidem sententiæ exemplorum auctoritatem addidit; at Statius ex ingenio veram scripturam restituit, quæ, ut notat H. Voss. voce *ipse* indicari mihi videtur.

4. *Sæpe tuo cecidit munere victus Amor*. Brouckh. hic tralationem a luctatoribus desumptam videt; sed obstat τὸ *munere*, quod satis declarat vinum frequenter amatorias curas sopivisse. Eadem falsa opinione permotus, τὸ *cecidit* suspectum habuit: « Cadendi verbum enim, pro eo quod est victum abire, poni solere vix arbitrer; *cedere* et *recedere*, et *exire* et *discedere* in hoc negotio libenter dixerunt poetæ. » Hæc præfatus integram paginam exemplis onerat; dolendum tamen quod nullo modo huc pertineant, nihilque præsidii emendationi illius *cessit* adferant. Heinsius *cedit* conjecit; Guelf. 3, *numine* pro *munere*.

5. *Care puer*. Edit. princeps et cod. Lips. *Chare;* Schæfferi MS. *Carpe puer;* Mitscherlich ad Horat. lib. II, Od. 11, vs. 18, corrigit: *Larga, puer, madeant*. Verum enimvero solebant veteres deligere pueros ad vina infundenda; quinadeo Brouckh. vernam, absolute vernam intelligit, venalitiosque abesse jubet.

6. *Et nobis prona*. Scaliger malebat *I*, *nobis*, quod habent Perreii Excerpta et cod. Vindob. Vulgo legebatur *Et* consensu librorum scriptorum et editorum. Huschkius propter sequentia *ite*, *ite* ridiculum esse hoc loco illud *I* statuit; qua in re me quoque consentientem habebit: sed idem *Tu* reposuit, quo consilio? audi, amice lector, fabellam quam enarrat: « Versus qui sexagesimus secundus occurrit in hac Elegia vulgo editur: « Tu puer, et liquidum fortius adde merum. » Hic Scaliger iterum pro *Et* reposuit I, quod nunc in libro Vindob. repertum, in Monac. et Voss. quinto; at illud nemini in mentem venit, quod in oculos incurrit, hic iterum accidisse quod supra El. v, vers. 3 et 29, accidit, ut duo ejusdem carminis versus confunderentur a librariis et corrumperentur. Male pronomen *Tu* e vs. 6, translatum in vs. 62, sede sua expulit verbum; male vicissim copula *Et* e vs. 62, translata in vs. 6, sede sua expulit pronomen *Tu*. » Huic narratiunculæ exempla subjicit Huschkius quibus ostendat in exhortatione plerumque Tibullum pronomine *Tu* usum esse; sane nemo hæc infitiari conatur: at isti librarii, de quibus refert, certo non lippi erant, qui uno ac eodem intuitu remotissima disticha complectebantur, tantaque oculorum acie præditi erant, ut, interpositis fere sexaginta versibus, hunc cum illo confunderent. Cur copula *Et* non ferenda sit non liquet; potuit procul dubio Tibullus, postquam puerum vocaverat modo conjunctivo, vel potius optandi modo, votum aliquid proferre, et tamen in pentametro imperandi modum usurpare; nihil est quod impediat sensum.—*Prona manu* pueri actum melius exprimit, quam ridiculum illud *plena*, quod Statius ex uno suo

Ite procul, durum, curæ, genus, ite labores;
  Fulserit hic niveis Delius alitibus.
Vos modo proposito, dulces, faveatis amici,
  Neve neget quisquam me duce se comitem;
Aut si quis vini certamen mite recusat,
  Fallat eum tecto cara puella dolo.

probabat, quasi vino manus pro poculo vel lagena esset.

7. *Durum, curæ, genus.* Regius dat *curæ, durum genus;* unus Statii cum Guelf. 2, *dirum*, quod H. Vossius textui immisit, ut imprecationibus aptius, simulque ad κακοφωνίαν vitandam; sed *durum* de laboribus proprie dicitur, qui hoc loco confestim subsequuntur, non ad solas curas pertinet.

8. *Fulserit hic niveis... alitibus.* Dred. Guelf. 2, 3; Monac. *Fulxerit;* ex quo factum est in uno Statii *Fluxerit;* Askew. *Pulserat;* Paris. *Pulserit.* Ab his mendis procul discedit Lips. qui versum ita exhibet: « Luserit hic niveis Delius altilibus.» Scripturam mendosam *altilibus* communem habet cum Voss. quinto; *Luserit* solus et sine æmulo: sic ed. min. an. 1472, sola habet, nullo alio neque scripto, neque edito libro, confirmatam lectionem: « Fulserit hic juvenis Delius alitibus. E quibus aberrationibus an nova sit concinnanda lectio, a vulgata discedens, viderint alii; ego hac contentus sum. Pro *niveis*, Excerpt. Lips. *nitidis.* Voci *Delius* in ora Ed. Reg. adscriptum est *sol, dies*, quæ Heynii etiam interpretatio est. Hoc sensu, nisi fallor, Delium Apollinem invocant nautæ Salaminii, felicem in patriam reditum exoptantes, apud Sophoclem Ajac. vs. 712: « Ἰκαρίων δ' ὑπὲρ πελαγίων Μολὼν ἄναξ Ἀπόλλων, Ὁ Δάλιος εὔγνωστος, Ἐμοὶ ξυνείης διὰ παν- Τὸς εὔφρων.» Huschk. H. Voss. verba *niveis alitibus* de cycnis niveis ad currum Phœbi junctis intelligit.

9. *Vos modo proposito.* Plinius in Paneg. c. 95: « Vos modo favete huic proposito.»

10. *Neve neget... se comitem.* Schrader nimiam audaciam professus est, immutans: « Neve neget quisquam mi dare se comitem.» De loquendi ratione confer Hor. I, Od. xxxv, vs. 22, *nec comitem abnegat;* Sil. It. lib. III, vs. 110: *Abnuis inceptis comitem.* Dux est convivii, rex, vel arbiter, qui Græcis ἡγεμών, στρατηγὸς dicitur, Romanis nonnunquam *modimperator;* vide Lipsium ad Plaut. Pers. Act. V, sc. 1, vs. 18.

11. *Aut si quis.* Nonnulli libri cum edit. Ald. secunda et quæ hinc fluxere *At si quis*, quod probat Heynius. Paris., complures Statii et Brouckh. edit. Rom. et Venet. 1491, 93, nostræ lectioni accedunt: *certamen mite* Schrader in *certamen inire* mutat; in duobus pro *mite* legitur *dulce*, quod Heynio displicet, qui existimat *mite* dici illud certamen, ut ab illo feroci cum scyphis quod Thracum est, distinguatur: acute!—*Recusat* pro *recuset* e libris tacite reduxit Brouckh.

12. *Fallat eum* etc. Confer carmen 47 in Priap. « Illius uxor aut amica rivalem Lasciviendo languidum precor reddat.» *Tecto dolo;* in Vossii tertio *cepto modo.*

Ille facit dites animos Deus : ille ferocem
Contudit, et dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres et fulvas ille leænas
Vicit, et indomitis mollia corda dedit.

13. *Ille facit dites animos Deus.* Hic rursus non habent quo se vertant critici; nam Amor non *dites* facit *animos*, et Bacchus non in *dominæ arbitrium* mittit : quod ad tigres et leænas adtinet, parum refert utrum eas Amori mitigandas dederis, an Baccho domandas. Oportet tamen ut vel hunc vel illum eligas. Heynius, ut sibi viam ad Amorem aperiret, τῷ *dites* substituit *mites*; textu tamen abstinuit. H. Vossius ita edidit. Bachius inter utrumque Deum similitudinem creat, ut *dites* etiam Amori conveniat; quippe qui in statua quadam poculum teneat, et totum ebrii vultum atque corporis habitum præ se ferat. Huschk. ditandos Baccho animos dat, reliqua vero ad Amorem spectare vult; hoc modo *Ille*, *ille* idem erunt atque *alter*, *alter*. Terent. Phorm. Act. II, sc. II, vers. 16: « Non rete accipitri tenditur neque milvo Qui male faciunt nobis: *illis* qui nil faciunt tenditur, Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur. » Quintilianus Inst. lib. II, cap. 8: « In *illo* lentiore tarditatem, aut in *illo* pæne præcipiti concitationem adjuvandam docendo existimavit? » Lib. XI, c. 3, 168, de Demosthene et Æschine: « Nam neque *ille* per Marathonis et Platæarum et Salaminis propugnatores recto sono juravit, nec *ille* Thebas sermone deflevit. » Possis etiam cum Huschkio adserere nondum nominatum esse Amorem, quem occulte tantum poeta, vs. 12, indicaverit. Nobis vero secus visum est; aperte illum Deum nominavit Tibullus, vs. 4, qui etsi aliquantum justo remotior est, nihilominus adest; neque id offensioni Huschkio esse debet, qui oculis lynceis a quinto versu ad sexagesimum secundum usque prospicit; quinadeo, quæ nostra sententia est, ad trigesimum proximæ Elegiæ, ut infra ostendemus. Cæterum duobus hisce Diis, tria pronomina *ille* quocunque modo placuerit, dispensa; sin vero omnia ad Amorem referas, emendationes *mites* et *certamen inire*, vs. 11, missas facias; non enim omnia mutanda sunt, quæ nobis primo aspectu aliquid dubitationis adferunt.

14. *Contudit.* Brouckh. ait: « grave verbum de domino gravi, » et illico omnes convocat scriptores, quicumque aliquid contuderunt.

15. *Armenias tigres.* Hic a Brouckhusio castigatur poeta, quod non æque leænis patriam adsignasset; cui vitio ut mederetur, illico e conjectura *Armeniæ tigres* scripsit, ut genitivus *Armeniæ* etiam leænis patriam daret. Heynius mavult *Armenias*, ut unicuique belluarum epitheton sit proprium. H. Voss. edidit *fulvos leones* e quibusdam libris. Bach. idem fecit, et vult *Armeniasque tigres*, his verbis: « Exturbarunt *que*, quibus prior syllaba vocis *tigres* producenda videbatur. Correptam autem habemus apud Ovid. Met. VIII, vs. 121; XV, vs. 86; Hor. Art. poet. 393. *Que* sequente *et* prorsus Tibullianum. » Pauci tamen libri particulam *que* exhibent, ut tutius sit cæteros sequi.

Hæc Amor et majora valet; sed poscite Bacchi
Munera; quem vestrûm pocula sicca juvant?
Convenit ex æquo, nec torvus Liber in illis
Qui se, quique una vina jocosa colunt.
Nam venit iratus nimium nimiumque severis;
Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his pœnas, qualis quantusque minetur,

17. *Hæc Amor, et majora valet.* Tacite hoc Broukhus. ex uno Statiano reposuit, cui nunc adstipulantur I. Vossii, 1, 2, et Askew. Olim *volet*, nullo sensu idoneo. Gothan. et Heinsii unus, *poscite Bacchum Munera*, quod H. Voss. valde doctum esse dicit.

18. *Quem vestrum.* Ursin. et Vossii 3, *nostrum*, quod H. Voss. amplexus est. Husckhio cur displiceat hæc lectio, non adsequor.

19. *Nec torvus Liber in illis.* Heynius ait: « Distichon hoc ab interpolatore profectum, qui, quæ sentiebat, rite verbis reddere haud pollebat. »Olim vulgo legebatur *in illos;* Brouckh. e viginti libris reposuit *in illis:* accedunt nunc et alii. Heynio atque H. Vossio si confidas, *Convenit ex æquo* idem erit, atque si dixisset poeta: convenit inter utrumque Deum; ita ut de fœdere inter eos inito sermo sit. In Huschkii sententiam eundum censeo; convivæ sunt qui *ex æquo*, id est, æqua lege bibunt; illo sensu nihil contortius, hoc nihil facilius procedit.

20. *Quique una.* Regius *quisque*, cum aliis apud Statium; at ed. Rom. *Qui se cumque una;* H. Voss. ait, possis conjicere: « Qui sua securi vina jocosa colunt.» Sunt sane multa quæ conjicere possis, si a vera scriptura discedere velis. At, ut bene notat Huschkius, non mirum est immutasse hic aliquid, qui formulam *convenit ex æquo* in alium sensum prorsus falsum torserant. Optime dicuntur colere *se* amici bene convenientes, qui mutua benevolentia se complectuntur atque reverentur.

21. Brouckh. consentiente Vulpio, interpunxit *iratus nimium, nimiumque severis;* perperam. Ovid. Ep. 1, vs. 41: « Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum. » Livineius veram scripturam ex ingenio reduxit, scribens *severis*, id est, siccis, sobriis, abstemiis: olim vulgatum erat *severus*. Conspirant cum illa emendatione nunc Bern. et Goth.

22. *Irati numina magna.* Majores solito adparuisse deos, spectra, umbras, ostendit Brouckh. exemplis quibusdam insignibus; sed quod addit esse hoc iræ indicium, crederem si de felis dorso sermo esset. Solemniter Deorum causam defendit Heynius. Venus sese Æneæ ea specie offert, *qualis videri Cælicolis et quanta solet;* an ut terreret? ut iram minis ostenderet? — Lips. in quo trajectus hic versus est post vs. 24, habet *bibit;* Zwick. 2, *bibet.*

23. *Quales his pœnas, qualis quantusque minetur.* Sic e Cujacii libro reposuit Scaliger; sic etiam habent Voss. 3 et Vindob. *Quales qualis, qualis quantusque*, sunt locutiones, ut notat Huschkius, elegantissimæ. Græci easdem frequentant. Longus

Cadmeæ matris præda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor; illaque si qua est
Quid valeat læsi, sentiat, ira Dei.
Quid precor, ah demens! venti temeraria vota
Aeriæ et nubes diripienda ferant!
Quamvis nulla mei, superest tibi cura, Neæra,
Sis felix, et sint candida fata tua.

ait, *οἷος ὢν οἵων ἔρξ*. Fatendum tamen est, omnes libros exhibere *Deus hic*, ubi nunc *qualis*. Ed. maj. ann. 1472 (Venet. 1475) et Vicent. « Quales iis pœnas Deus hic : quantumque minetur. » Sic etiam Reg. Lep. nisi quod pro *iis*, habet *his*, ut cod. Guarn. Paris. Lips. tres Brouckh. Colb. Stat. in cæteris cum edit. principe consentientes. Unus Statii *is*. Aliam lectionem expressit ed. min. ann. 1472, quam sequitur Ald. 1502 : « Quales his pœnas Deus hic, quantasque minetur. » Ita legitur in septem scriptis citatis a Brouckh.; neque hæc lectio deterior est vulgata. Huschk. — Hæc præfatus doctus vir, de conjectura refert, quam in margine ed. Reg. Lep. adscriptam invenit : « Quas læsus pœnas Deus hic; » addit ille *læsus* plerumque in libris exarari *lesus*, et ed. princ. habere *iis*, ita ut parum intersit inter *Qualesiis* et *Qualesus*.

24. *Cadmeæ matris præda*. Pentheus a matre Agave et Bacchis furentibus discerptus. Schœferi liber *turba cruenta*; id. in Voss. 5; Ovid. Met. lib. III, vs. 715 : « ruit omnis in unum Turba furens. » Cadmea mater si diceretur de Cadmi matre, locutio nihil insoliti haberet. Nunc autem *Cadmea mater* dicitur Agave, mater Penthei, quatenus est filia Cadmi; sicut apud Theocritum, Id. XXVI, vs. 35 : *ἀδελφεαὶ Καδμεῖαι*, sorores sunt Cadmo prognatæ. Hus.

25. *Illaque, si qua est*. Achilles Statius hæc ad Cadmeam matrem refert; Brouckh. ad Neæram, et *si qua est* accipit; si modo nata est, scilicet si inter mortales referenda est. Heynius eadem verba interpretatur, si quidem vivit Neæra, si superat et vescitur aura : ut contra *nulla est*, pro *periit*. Muretus perquam ridicule correxit *sicca*; H. Voss. Livineio duce, *τὸ illa* ad Neæram retraxit, *τὸ qua* autem ad iram. Sed ne hoc quidem contentus fuit H. Voss. qui e Gryph. edit. *impia, si qua est* edidit consueto more fabellam de librariis addens. Huschkio videtur locus emendatione egere; proponit ille trajectionem vocularum *illa* et *ira*, hoc modo : « iraque si qua est, Quid valeat læsi, sentiat illa Dei. » Eadem verborum consecutione scribit Propert. lib. II, El. x, vers. 17 : « Et si qua extremis tellus se subtrahit oris, Sentiat illa tuas postmodo capta manus. » Ut ut est, nil mutandum : sensus enim idem est, rejecta illa trajectione.

26. *Sentiat*. Guelf. 1, 2, *sentiet*.

29. *Nulla mei*. H. Vossii duo exhibent *meis*.

30. *Sis felix* etc. Elegans formula cujus Brouckhus. exempla quædam contulit. — *Fata tua*. Ed. Rom. cum aliis perpetuo errore, *facta*; nonnullæ *vota*; unus Stat. *tibi*.

At nos securæ reddamus tempora mensæ ;
Venit post multos una serena dies.

31. *Reddamus tempora.* Duo Anglic. *corpora*, natum ex compendio *tpa;* unus Colb. *pocula.* HEYN.

32. *Post multos una serena dies.* Complures libri, in quo numero est Lips. pro *multos*, habent *multas*. Nihil est quod impedire possit verborum structuram : sic lib. II, Eleg. IV, vers. 24 : « Sed Venus ante alios est violanda mihi. » *Dies* plurali numero masculini generis est, licet H. Vossius in hac re cavilletur. Virgil. Georg. lib. I, vers. 276 : « Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna Felices operum. Quintam fuge. » Santen. legi vult, *venit post nimbos.* Libri scripti et editi ante Muretum et Scaligerum, hic septimæ Elegiæ initium faciebant, et sequentibus argumentum præfixum legebatur, ut in ed. maj. ann. 1472, et Reg. Lep. *Conqueritur de Neæra;* in altera principe, *Conquestio amatoria ;* in Vicent. *Conqueritur de Neæra et tentat depellere curas*, (ex lib. I, Eleg. V, vs. 37.) Satis audaciæ professi sunt doctissimi editores, qui contra librorum omnium fidem duas elegias in unam consuerunt. Quod ad me attinet, opinor optime disjungi posse superiora a sequentibus. Quin adeo formula *At nos* ipsum carminis finiti indicium est. Postquam enim de infida Neæra conquestus est, ad propositum redit de quo prius egerat, ad vinum scilicet, Bacchumque, quorum munere miseriarum oblitus, nunc tandem fruitur una die serena. Tu si similem concludendi rationem conferre lubet, adi lib. I, Eleg. II, vs. 99 : *At mihi parce, Venus ;* Eleg. V, vs. 69, *At tu, qui potior;* Eleg. VII, vs. 63, *At tu, Natalis ;* Eleg. VIII, vs. 77, *At te, pœna manet ;* Eleg. IX, vs. 81, *At tua tunc me pœna juvet;* El. X, vs. 67, *At nobis, Pax alma, veni;* lib. III, El. V, vs. 29, *At vobis Tuscæ celebrantur numina lymphæ ;* lib. IV, Carm. III, vs. 23, *At tu venandi studium concede parenti.* Et hoc concludendi genus Tibullo in deliciis esse ex hisce locis patet, et merito quidem; nam poeta ubi maxime permoti animi documenta dedit, subita ac jucundissima conversione ægram mentem reficit. Hæc me impulerunt ut priscum rerum statum reducerem ; fateor tamen me hoc timide facere, multumque timere ne audaculus esse videar, qui contra Muretos Scaligerosque arma movere ausim : sed σύμμαχος est ipse Tibullus, cujus scripta opera qualia fuerint, non aliter adsequi possumus, quam ope librorum; nam nullus fuit in tot sæculis, qui elegias numerando, nos edoceret quot et quantas unicuique libro inessent. Itaque audaces sunt, non qui libris firmiter adhærent, sed potius illi, quamvis doctissimi, qui conjectura freti, somniis suis confidunt et librorum auctoritatem deserunt.

ELEGIA VII.

Hei mihi! difficile est imitari gaudia falsa;
Difficile est tristi fingere mente jocum;
Nec bene mendaci risus componitur ore;
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes, discedite, curæ;
Odit Lenæus tristia verba pater.
Gnosia, Theseæ quondam perjuria linguæ
Flevisti, ignoto sola relicta mari:
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: Felix quicumque dolore

Hei mihi! Cur e sequentibus separatam et superiore diversam Elegiam constituerim, supra exposui: Cod. Paris. et Guarn. *Si mihi*; Hamb. *sic mihi*. Ovid. Met. lib. II, 447: « Heu, quam difficile est crimen non prodere vultu! »

3. *Nec bene componitur ore*. Voss. 4, *Non bene*. Mollevaut mirum in modum hujus versus adsecutus est elegantiam:

La bouche arrange mal un sourire imposteur.

4. *Ebria verba*. Scilicet liberiora, procacia, petulantia; conf. Ovid. Epist. XVI, vs. 245; supra lib. II, El. 1, 32: « Nomen et absentis singula verba sonent. »

5. *Queror*. Unus Stat. *loquor*. — *Turpes curæ*. Heynius putat idcirco *turpes* dici, quod convivatorem non deceant. Nempe adhuc de mensa cogitat doctus vir, qui superiorem Elegiam continuando, nondum sivit ut adsurgeret Tibullus: at in aperto sensus est; *turpes* dicuntur curæ, quia in seipsum indignatur poeta, quod amorem in infidam puellam nondum excusserit pectore.

6. *Lenæus*. In Is. Voss. primo *Lemneus*; ed. min. an. 1472, *Leneus*.

7. *Gnosia*. Si pueris scriberemus, nota Heynii nullo modo prætereunda esset, qua Ariadnen hic indicat, eamque rursus vers. 9 designatam ostendit.

8. *Ignoto sola relicta mari*. Bach. hæc tertio casu accipit; cui etiam Catullus sponsor est: « Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris? » Cæterum Bach. locum sic interpretatur: « Communem ego cum Ariadne sortem expertus sum; quam ob causam idem, quod Catullus de virorum perfidia, ipse de puellarum levitate monere possum. »

11. *Vos ego nunc moneo*. Paris.

Alterius disces posse carere tuo.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blanda sordida lingua prece.
Etsi perque suos audax jurabit ocellos,

Vos quoque. At pro *dolore* Lips. habet *dolorē*, hoc est *dolorem;* quod legitur etiam in duobus Palatin. Hamburg. et duobus Vossii ; qui libri tamen versu minore *cavere tuo* exprimunt, ut etiam Bernens. quamvis offerens *dolores*. Hæc lectionis diversitas hinc orta est, quod fuerant, qui legerent *carere*, ut Palat. 5, sed, si Gebhardum audiamus, a manu emendatoris. Quæ annotatio repetita est in ora edit. Reg. Lep. At ista scriptura quam alienum a mente scriptoris sensum inferat, quis non videt? Guyetus substituit : « Felix quicumque dolore Alterius disces posse cavere tuo. » Hoc latinum esse negat H. Voss. qui *cavere malum*, non *malo*, desiderat : itaque hoc loco emendat *cavere tuum*. Huschkius autem duo exempla τοῦ *cavere malo* affert; prius Plauti, Bacchid. Act. I, sc. II, vs. 39 : « Omitte, Lyde, ac cave malo; » alterum Petronii, cap. 82 : « Quum deinde vultu atque ipsa trepidatione mendacium prodidissem, ponere jussit arma et *malo cavere*. » Præstat tamen vulgatam retinere ; quæ tot librorum testimonio firmata, insuper ipsius Tibulli exemplo gaudet, lib. I, Eleg. II, vers. 66 : « nec te Posse carere velim ; » Ovid. Rem. Am. vs. 540 : « Jam quoque quum credas posse carere, mane. »

13. *Nec vos aut capiant.* Heynius *Ne* legi vult, ut rem ad verba, *Vos ego nunc moneo*, retrahat, interposita parenthesi; ait enim aliter non apparere quid sit illud quod moneat poeta. Huic adstipulatur I. Vossii 3 ; sed nos vulgatæ scripturæ confisi, nihil mutandum censemus.

14. *Aut fallat blanda sordida lingua prece.* Heinsius, probante Brouckhusio, malebat *subdola*, nullo libro consentiente ; sed, ut bene monet Scaliger, *sordida* avaram notat ac petacem. — *Prece* plerumque in *fide* corruptum invenitur ; sed Scaliger ex Excerptis suis *prece* revocavit, quod etiam in Vindob. legitur. Ant. Perreius, edit. Aldinæ, 1515, adscripsit : « Nec vos *decipiant* pendentia brachia collo, *Nec capiat* blanda sordida lingua *prece*. »

15. *Audax jurabit.* Huschk. e conjectura proposuerat *pellax*, quum vulgo editum esset *fallax*, quod propter superioris versus *fallat* valde suspectum. Eamdem varietatem notaverat illustris vir apud Virgilium, Æn. lib. II, vers. 90 : « invidia postquam pellacis Ulyxi, » ubi multi codices habent *fallacis* ; sed subito sententiam mutavit perlecto uno bibliothecæ Berolinensis codice Ovidiano ; ibi enim Art. Amat. lib. I, vers. 633 et 634, adposuit librarius hæc : « Tibullus : Perque suos amās *audax* jurabit ocellos. » Sequuntur tres versus ad verbum expressi. Hoc codice fretus Huschkius non dubitavit *audax* in textum recipere. Τὸ *jurabit* vero etiam aliis libris firmatur, Paris. Colb. Corvin. et tribus apud H. Voss. Idem Passeratio placuit. Ante Douzam vulgo *juravit* editum ; hic *jurarit* ex ingenio reposuit, quam conjecturam postea Vind. et Guelf. 3 auctoritate sua comprobaverunt. Ferrem, si hoc

Junonemque suam, perque suam Venerem:
Nulla fides inerit; perjuria ridet amantum
Juppiter, et ventos irrita ferre jubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellæ
Conqueror? ite a me, seria verba, procul.
Quam vellem longas tecum requiescere noctes,
Et tecum longos pervigilare dies!
Perfida nec merito nobis, nec amica merenti!

distichon superiori cohæreret; sed melius jungitur cum sqq.

16. *Perque suam Venerem.* Brouckh. mallet, *per Veneremque suam.* Idem multa congessit disticha, ut demonstraret particulæ *que* plerumque apud Tibullum fuisse hanc sedem.

17. *Nulla fides inerit.* Edit. Rom. et Brix. cum Venet. Guelf. 1, et unus Eboracensis vetustissimus a manu secunda, *Nulla fides Veneri.* Cæterum cum hoc disticho confer quod legitur lib. I, Eleg. IV, vs. 21. H. Voss. cui hæc frigere videntur, emendat *fuerit*, eodem modo quo dicitur *sit*; ut superiore Elegia, vs. 8, *fulserit*, pro *fulgeat* legitur. Idem Propertii duo exempla inducit, lib. I, El. XIX, vs. 15: « Nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma Gratior; » et lib. II, El. XIII, vs. 28: « Nec fueris nomen lassa vocare meum. » Nos vero codicum auctoritatem servandam esse censemus.

19. *Ergo quid toties fallacis verba puellæ.* Unus Brouckh. et Voss. 4, *Ergo ego*; Lips. *q tociens*, pro *qui*; nam *quid* plene exarare solebat librarius. Paris. *qui tociens*; ed. principes Vicent. Reg. Lep. *qui totiens*; Monac. ed. Rom. *quid*; Venet. *quid totiens*; H. Vossius edidit: « Ergo quid totiens fallacis vota puellæ, » neglecta librorum fide, quorum nullus *vota*, omnes *verba* habent. Propert. lib. I, Eleg. XV, vs. 25; et lib. IV, Eleg. VII, vs. 21, pariter lectioni *verba* favet, quæ non, ad vitandam repetitionem, mutari debebat.

20. *Ite a me, seria verba, procul.* Vulgo editum erat *precor.* — *Seria verba* Heynio sunt tristia, Huschkio vero *solemnia*, ut ad fidem puellæ pertineat locus, et significet verba quibus se ipsam obligaverat: sed hæc interpretatio prorsus falsa est; non enim puellæ promissa valere jubet poeta, sed conquerendi finem facere statuit.

21. *Quam vellem longas tecum.* Ed. maj. anni 1472, et Vicent. *Quam mallem.* Hanc lectionem unus habet Zwic. 1. Cæterum longa hic est doctorum disputatio quærentium, scripseritne Tibullus *longas tecum*, an *tecum longas*, quod equidem parum rei literariæ interesse arbitror.

22. *Et tecum longos.* Unus Brouckhusii *multos.* Fortasse ne idem adjectivum bis occurrat; sed apud Horatium, lib. I, Ep. 1, vers. 21: « Ut nox longa quibus mentitur amica: diesque Longa videtur opus debentibus; » ubi item unus liber habet secundo loco *lenta.* Vulgata vero et apud Nostrum, et apud Horatium multo expressior.

23. *Perfida nec merito nobis, nec amica merenti.* Brouckhus. Scaligerum secutus ediderat: « Perfida nec

Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen.
Naida Bacchus amat; cessas, o lente minister!
Temperet annosum Marcia lympha merum.
Non ego, si fugiat nostræ convivia mensæ
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.

merito nobis inimica merenti, » ut archaismus sit *nobis merenti*. Libri Statiani ita interpungunt, « Perfida, nec merito nobis inimica: merenti Perfida; » neque Brouckhusio, neque nobis probatum. At Heynius ex ed. Venet. 1475, Reg. Lep. Vicent. et Pocchi Excerptis restituit *nec amica*, hoc modo: « Perfida, nec merito, nobis; nec amica merenti. » Addit Heynius: « Mihi haud ex merito perfida; alteri viro, non merenti, amica; nam deserto Tibullo alii se junxit. » Scripturam nostram confirmant unus Stat. et Vindob.

24. *Sed quamvis perfida*. Excerpta Lips. Is. Voss. 2, et Bern. *quamvis tu mihi*.

25. *Naida Bacchus amat*. Aqua misceri vinum postulat. Respicitur ad fabulam, qua Bacchus a Nymphis Naiadibus educatus fuisse perhibetur. Bach.

26. *Marcia lympha*. Vulgo *Martia limpha*. Brouckh. e binis Witt. scripturam revocavit, quam postulabant usus et ratio. Bern. et ed. min. ann. 1472, *temperat*.

27. *Si fugiat nostræ convivia mensæ*. Brouckh. ait: Non quod negasset vocanti, sed quod inter ipsas epulas furtim se proripuisset e convivio. Quis hæc Brouckhusio revelavit? Nonne quia apud Terentium simile quid se facturam promittit Bacchis, aut quia apud Horatium de Cynaræ fuga mentio fit, idcirco idem hoc loco esse debet? Regius *Num*; edit. Roman. *Nonne ego*; unus Brouckh. cum Corvin. *fugiet*; duo, *nostræ fugiat*; unus Anglic. *nostræ fugit*. — *Convivia mensæ*, ut apud Ovidium, Met. lib. I, vers. 165: « Fœda Lycaoniæ referens convivia mensæ; » ubi tamen de voce *mensæ* non constat: legitur etiam *cœnæ*. Huschkius ait: « Non autem hæc de Neæra accipienda sunt, sed quod cum Brouckh. demonstrat H. Voss. de puella universe, e convivio fugiente ad alium amatorem. » Heynius contra: « Ex tota elegia et ex superioribus apparet, iras et discidium inter utrumque amantem, aliquo jam inde tempore, intercessisse, et Neæram peregre abiisse; et est ideo accipiendum, si non vult interesse meo convivio, sed cum alio potius vivere. » Eligat ipse lector; ego non ausim *tantas componere lites*.

28. *Vana puella*. Inconstans, levis, mendax. Antiqui habuerunt verbum *vanare*; quo verbo usus est L. Accius in Alcmæone: « Tanta ut frustrando lactans vanans protrahit. » H. Voss. *Ignotum torum* interpretatur, ut sit obscuri, ignoti hominis; malo simpliciter intelligere alienum.

29. *Sollicitus repetam... suspiria*. Ovid. Met. lib. II, vs. 125: « Pectore sollicito repetens suspiria. »

I puer, et liquidum fortius adde merum.
Jamdudum, syrio madefactus tempora nardo,
Debueram sertis implicuisse comas.

30. *I puer, et liquidum fortius adde merum.* *Fortius* potest esse adverbium : nisi malis duo epitheta jungi uno nomini. Heyn. — Paris. *Tu puer es*, addita nota ab eadem manu ; alii *et*. Sic hunc versum exhibent codices omnes, exceptis Vindob. Monac. Voss. 5, in quibus est quod Scaliger intulit, *Tu puer i*, ex libro Cujac. qui tamen habuisse videtur *Tu puer et*, quum addat Scaliger : « Nam, ut supra dixi, scribebant EI pro I. » Editores alii alio modo hunc locum vexant ; Statius, *Tu puer i;* oblitus lectionis, quam simpliciter posuerat ad lib. I, Eleg. II, vers. 1 : « I puer et liquidum fortius adde merum. » Hanc ego lectionem occupavi. Exempla in promptu sunt. Propert. lib. III, Eleg. XXIII, vers. 23; Horat. Serm. lib. I, X, vs. 92 ; Pers. Sat. V, 126. Huschkius fortius pro adjectivo sumit, quod augeat et explicet notionem *liquidi* meri ; rem exemplis confecit. Homerus, Il. IX, 202 : Μείζονα δὴ κρητῆρα, Μενοιτίου υἱέ, καθίστα· Ζωρότερον, δὲ κέραιρε δέπας δ' ἔντυνον ἑκάστῳ. « Hic idem ludus luditur atque apud Tibullum ; nam, ut Tibulli interpretes inde ab Achille Statio, excepto tamen Scaligero, dubitarunt, *fortius* essetne adjectivum an adverbium, adhæseruntque huic interpretationi, non illi ; ita critici Homerici inde ab Aristotele Poet. c. XLVI, ζωρότερον maluerunt sumere pro adverbio quam adjectivo. » Huschk.

31. *Jamdudum.* Brouckhus. explicat : formula venusta de tempore non longo in re præsente, quod quis est qui non intelligat? non opus est itaque exemplis quæ subjicit. — *Syrio madefactus tempora nardo.* Ita Brouckh. ex nonnullis Statianis, Exc. Lips. et Heinsii ; accedunt Askew. Vindob. et Vossii 5.—H. Voss. Guyetum Heinsiumque secutus, reposuit *syria ;* nam sciendum veteres et *hæc nardus* dixisse, et *hoc nardum.* Vide Horat. lib. II, Od. XI, vs. 16. *Syrium nardum* est a Syriis mercatoribus advectum. Plin. lib. XII, cap. 26 : « In nostro orbe proxime laudatur Syriacum. » Cæterum Brouckh. alia quædam loca congessit, ut demonstraret Romanos a Syria potissimum petiisse suas pretiosas delicias.

32. *Debueram.* Heynius ait : « Ad finem hujus Elegiæ, libri multi, in his Guelf. 1, 4, attexunt distichon, *ne tibi sim mea lux*, quod infra legitur lib. IV, XII, 1. » Huschkius addit non unum illud distichon exhibere libros, sed carmen totum ; quod cave tamen de omnibus libris intelligas. Vir doctus ad oram edit. Vicentinæ adscripsit : « Hi versus non leguntur hoc loco in vetustis codicibus, et videntur de inferiore epigrammate inculcati fuisse in hujus Elegiæ finem, pro errore librariorum. » H. Voss. nos docet, hos versus in Is. Voss. 4, et in Monac. non legi : evanescit itaque opinio illa, secundum quam libri omnes scripti ex uno apographo defluxerunt.

FINIS ELEGIARUM.

ALBII TIBULLI

LIBER QUARTUS.

CARMEN PRIMUM.

PANEGYRICUS AD MESSALAM.

TE, Messala, canam : quamquam me cognita virtus
Terret, ut infirmæ valeant subsistere vires;
Incipiam tamen : at meritas si carmina laudes
Deficiant, tantis humilis sim conditor actis.

1. *Quamquam me cognita virtus.* Nonnulli libri, ad summum tres, habent *tua;* complures, quibus accensendi sunt Paris. et Lips. *mea;* Monac. Vindob. Voss. 5, *me*, quod e suo libro reposuit Scaliger. Veteres editores in contextum intulerunt, *mea*, *virtutem* non Messalæ intelligentes, sed Tibulli, hoc est, *facultatem poeticam.* Hanc interpretationem refellit adverbium *cognita,* id est, belli pacisque artibus perspecta, ac comprobata virtus ; præ qua lectione languet ea quam tres Anglic. et Hamb. exhibent *vivida virtus.* Vide interpretes ad Propertium, lib. I, El. XI, vs. 17 : « Non quia perspecta non es mihi cognita fama; » lib. IV, Eleg. VI, vers. 38 : « Hectoreis cognite major avis ; » Valer. Flacc. lib. I, vs. 789 : « Mihi cognita bellis nomina. » HUSCHK.

2. *Ut infirmæ valeant.* In Rom. edit. et in cod. Guelf. 4, legitur *et.* Τὸ *valeant* apud plerosque editores in *nequeant* abiit, assentientibus libris Cujacii, Scaligeri et Colbertino : sed, ut notat Heynius, barbaro cuidam librario debetur.— Vossii 3, *insistere.*

3. *Incipiam tamen : at meritas si carmina.* Vulgo legebatur : « Incipiam tamen a meritis ; si carmina. » Duo Italici et Pocchi Excerpta exhibent, *ac meritas si.* Scaliger reposuit, *at;* ita explicans : « Tametsi meritas laudes tuas carmine meo assequi non possim, et sim poeta impar tantis actis, nec alius, præter te, possit gesta tua mandare literis, ut non plura dicenda dictis relicta videat : tamen egregiæ meæ voluntatis ratio habebitur, ubi nulla potest facultatis haberi. »

4. *Tantis humilis sim conditor actis.* *Sim* edit. et libri præbent excepto Bern. cui inest *si*, plaudente Huschkio, qui poetam prohibet,

Inde alios aliosque memor componere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi;
Qualis in immenso desederit aere tellus;
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem;
Ut vagus, e terris qua surgere nititur, aer,

a vetere poeta profecti dicantur. H. Voss. contra adserit nihil deesse illis, neque elegantia, neque rhythmo. Idem transitum perquam modestum esse declarat, quo series totius carminis continuatur. In Monac. *Sic quoque*.

17. *Inde alios*. Heinsius et Lips. (sicut videtur) *Inde aliosque*. Hic etiam secundo loco, *animosque*. H.

18. *Alter dicat opus*. *Dictet* in quibusdam edit. quod a *dictat* veterum librorum et edit. profectum est; quod ipsum nihil aliud est, quam corrupta scriptura e *dicat*. Gothan. *discat*. Brouckh. ait: *dictet* sic positum videri potest, ut apud Flaccum, de Lucilio, lib. I, Sat. IV, vers. 10: « in hora sæpe ducentos, Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno. » Sane sic positum videri potest, dummodo ridicule positum sit. Quid enim insulsius hac imagine? Poeta *dicere* eodem sensu quo *canere*, *celebrare* sumit; neque instar magistri pueris aliquid, quod scribant, syllabatim pronuntiat. *Alter* hic idem est quod *alius*, ut apud Hor. lib. I, Ep. XIV, vs. 11: « Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors; » et apud Nostrum, lib. III, El. VI, 43: « felix quicumque dolore Alterius disces posse carere tuo. » Ed. Rom. et Venet. *memorabile*, ortum e voce *memor* superioris versus.

19. *Qualis in immenso desederit aere tellus*. Brouckhusius exclamat: « Plures libri habent *descenderit*, quod non est de nihilo, et firmis innititur rationibus. » Idem quartum casum *immensum aera* elegit. In Vicent. et Lips. erat: « Qualis in immenso descenderit aere tellus. » In aliis, ut in Scaligeri libro: « Qualis in immensum desederit aera tellus; » vel quod Muretus reposuerat ante Scaligerum: « Qualis in immenso desederit aere tellus, » quæ nostra lectio est, placuitque etiam præ cæteris Heynio. Proprium autem est, ut ea quæ pondere suo deorsum feruntur *subsidere*, *desidere* dicantur, ut infra vers. 152: « Nam circumfuso considit in aere tellus. » Nobis favent Vossii 1, 4, et Askew.

20. *Confluxerit*. Multi *defluxerit*; edit. Venet. 1491, 1493, *conflexerit*; Cyllenius *deflexerit*. Heyn. conjicit *refluxerit*, ut *refluum mare* dicitur.

21. *Ut vagus e terris*. Brouckh edidit *a terris*; falso enim putat dici e terra surgere aerem, nobilius elementum ex ignobiliori. Idem exemplum e Lucretio adducit, huc minime pertinens. Physicam rationem profert H. Voss. qua Brouckhusium et Barthium emendationis auctorem in fugam vertat. Lucret. lib. V, vs. 458: « ideo per rara foramina terræ Partibus erumpens primus se sustulit æther Ignifer, et multos secum levis abstulit igneis. » — *Ut vagus*. Plerumque legitur *Et vagus*; *Ut* e conjectura Heinsii recepit Huschkius. Particula *ut* ab initio novæ sententiæ collocari vult, ut supra *qualis*; unde vera interpungendi ra-

Huic et contextus passim fluat igneus æther,
Pendentique super claudantur ut omnia cælo.
At quodcumque meæ poterunt audere Camœnæ,
Seu tibi par poterunt, sed quod spes abnuit ultro,
Sive minus, certeque canent minus, omne vovemus
Hoc tibi; nec tanto careat mihi carmine charta;

tio per se ipsa emergit, quam recepimus. Similem construendi rationem ostendit Huschk. apud Valerium Flaccum, lib. I, vs. 277.

22. *Huic et contextus.* Quidam *Hinc et*; Excerpt. Perr. et Colot. *Huic ut*, quam lectionem Heynius in contextum intulit, conjungens vers. 21 cum vers. 20; quod nullo modo fieri potest. Mutavit interpunctionem Wunderlich. ita: « Et vagus ... aer, Huic ut contextus, etc.» Quæ contorta construendi ratio non erat imputanda hujus carminis auctori. Brouckhusius edidit *Hinc et contextis ... ignibus*, ut est in uno et altero libro. — *Passim fluere* quid sit, explicat Mitscherlichius, Lect. in Catull. pag. 150, ad carm. LXIV, vers. 358: « Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri, Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto. » Virgil. Georg. lib. I, vs. 132: « Et passim rivis currentia vina repressit. » HUSCHK.

23. *Claudantur ut omnia cælo.* Ovidius, Metam. lib. I, vers. 5: « et, quod tegit omnia, cælum. »

24. *At quodcumque.* Alii *Et*; Paris. et Askew. *At*. Pro *audere*, ed. 1475, et Reg. Lep. *audire*. Passeratius adscripsit simillimum Propertii versum, lib. I, Eleg. XVIII, vers. 28: « Et quodcumque meæ possunt narrare querelæ. »

25. *Sed, quod spes abnuit ultro.* Heyn. qui primum ediderat: « seu quod spes abnuit ultra, » postea sententiam mutavit et reposuit *sed ... ultro*, ut in Askew. et Bern. Vossio τὸ *seu* scripturæ mendum videtur, ut τὸ *ultra*. Cod. Heins. *Sed quid*; Lips. « Sive tibi par poterunt si quos spes abnuit ultro. » Alii *abnuit* mutant in *annuit*. Heynianæ accedo lectioni, ut sit sensus: « Quodcumque meæ Camœnæ poterunt audere; seu ut possint par tibi audere; id quod tamen omnino sperare non licet; seu ut pro laudibus tuis minus possint præstare; atque id ne locum habeat, omni ex parte verendum est; quidquid sit, omne hoc tibi vovemus. » Prorsus turbata est totius loci scriptura. Bach. *ultra* amplexus, tria momenta distinxit, ut Messala vel ad modum laudetur, vel *ultra* modum, vel denique *infra*, perquam ridiculo sensu.

26. *Omne vovemus.* Guelf. 1, 3, 4, Vossii tres, Vindob. et Monac. *movemus*, quod suscepit H. Voss. Passeratii auctoritate fretus: sed nostræ lectioni adstipulantur libri multi, neque despiciendi: etiam præcedentibus aptius est *vovemus*. Sidon. Apollinaris, Carm. VI, 35: « Publicus hic pater est, vovi cui carmen, » Avitus: Materia est major, si mihi Musa minor. »

27. *Nec tanto* etc. Horat. lib. IV, Od. IX, vs. 30: « Non ego te meis Chartis inornatum silebo. » Heynius malit *ne*, ut in aliquot libris; in editionibus inde ab Aldo erat *nomine*; Scaliger e Cujaciano reposuit

Nam, quanquam antiquæ gentis superant tibi laudes,
Non tua majorum contenta est gloria fama,
Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat;
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi majores, majus decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub stemmate facta;
Æterno sed erunt tibi magna volumina versu,

carmine, quod etiam Heynio placet propter *τὸ tanto*; unus Vatic. *pondere*. H. Voss. non potuit, quin id in textum inveheret, ei enim ποιητικώτερον visum est, et tale, quale id nullus librarius excogitare potuisset. Bern. pro *charta*, habet *mcta*. Huschkio videtur poeta posuisse *tanto carmine*, pro *tanti nominis*, *tanti ponderis carmine*, et inde manasse ex interpretatione grammaticorum *nomine* et *pondere*. Hanc in sententiam et ego eundum esse censeo.

28. *Antiquæ gentis superant*. Aldina secunda *superent*; Regius *superant gentis*. Valerius Volesus, sive Volusus, qui Romam e Sabinis venit cum Tatio, gentis auctor perhibebatur.

29. *Tua ... gloria*. Propert. lib. II, Eleg. VI, vers. 17: « Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen. »

30. *Quid quaque index sub imagine dicat*. In codicibus minus correctis est, *quid qua judex sub imagine dicat*. Edit. Rom. sicut tres Stat. *quidquam*. Venet. cum Vicent. *quidquid judex*. Nec desunt tamen libri vulgatam exprimentes, inter quos Is. Vossii 3.

31. *Sed*. Quidam habent *Si*; unus Angl. *dicere*. Cyllenius ita sensum exponit: Tu contendis anteire omnes majores tuos re et virtute: ipse futurus sis venturis majus decus, quam tibi tui majores exstitere.

32. *Majus decus ipse futuris*. Sunt qui legant *futurus*; sed, ut notat Brouckh. id in gente longe nobilissima vix locum habere potest. Gebhardus ex uno Palatino proposuit, *in avis decus ipse futurus*. Brouckh. ostendit *in avis* nihil aliud esse quam *majus*, male divisis et male concretis crusculis. Tres apud Vossium codices exhibent *saturus*.

33. *Non titulus*. Reg. et Ed. Lips. et aliæ, *titulis*. Correxit Aldin. sec. deinde Pocchi et Lipsii Excerpta, cum duobus Italicis, *sub stemmate*, quo alludebat Passeratii Liber, in quo *Temmate*. Heynius et H. Vossius hanc lectionem amplexi sunt, qua in re Bachium, Huschkium, et nos ipsos consentientes habent. — *Stemmata* proprie serta, seu vittæ ex floribus textæ, quibus circumdati funiculi linei ad imagines, tanquam rami ex stirpe discurrebant, adeoque familiæ successionem indicabant. Hinc *stemmata* quoque vocabantur, ut hoc loco, ipsæ majorum imagines, quæ erant signa nobilitatis. Vide Rup. ad Juven. VIII, vers. 1. Plinius, Hist. Nat. XXXV, cap. 2, dicit: « Stemmata lineis discurrebant ad imagines pictas. » Has vero propositas fuisse in atriis docet Suet. Galb. 2. BACH.

34. *Æterno*. A multis ita interpungitur, ut *æterno* jungatur cum *nomine* superioris versus, ubi nunc

Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique, quique canent vincto pede, quique soluto.
Quis potior, certamen erit; sim victor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nec tamen hinc, aut hinc, tibi laus majorve, minorve;
Justa pari premitur veluti quum pondere libra,

stemmate legimus. — Ed. min. anni 1472, *facta volumina*, pro *magna volumina*.

35. *Convenient*. Hamburg. *Conveniunt*.

36. *Vincto pede*. Alii *juncto*. *Vincto* et *juncto*, quam facile confundi potuerint, satis apparet. Statius, lib. II, Silv. VII, vs. 22: « qui vos geminas tulit per artes, Et vinctæ pede vocis et solutæ. » Idem lib. V, Silv. III, vers. 103: « Pieriis vincire modis, seu voce soluta. » Totius distichi sensus est: « Convenient undique *qui cupiant* laudes tuas componere, partim poetæ, partim historici. » Tres libri habent *qui canant*, lectio prorsus falsa, licet patrocinio H. Vossii gaudeat. Is concilium convenientium significari vult; sed hoc jam verbo *componere* inest.

37. *Quis potior, certamen erit*. Contentionem de victoria indicat poeta; perinde ac Sallustius, Catil. cap. 7: « Virtus omnia domuerat: sed gloriæ maxumum certamen inter ipsos erat. » Vulgo legebatur, *Quis potius*; Ald. sec. *Queis potius*; sicque Scaliger. Edit. Roman. cum uno Brouckh. et uno Goth. *certamen eris*, non male dummodo simul lectionem *queis potius* pariter recipias. Doctus Britannus Jortinus *victus*, non *victor* legere suadet, perquam ridicule.

38. *Tantis inscribam nomen in actis*. Cicero, Tuscul. lib. I: « Ipsi Philosophi, in libris de contemnenda gloria suum nomen inscribunt. » J. Vossii unus, *ascribam*.

39. *Nec tamen hinc* etc. Vulgo hoc loco legitur versus qui apud nos quadragesimus quartus occurrit; Perreiani enim codicis trajectionem cum Huschkio recepimus. Interpolator certo versum hunc in aliam sedem transtulit, quum persuaderet sibi, formulam *hinc* et *hinc* vi sua destitui, nisi duplex laudis genus, castrense et forense, antea in memoriam reduceretur. Huschkius contra opinatur, hac formula præludi sententiæ, quam post comparationem illatam disertius enuntiat auctor: « Nec tamen hinc aut hinc tibi laus majorve minorve; Nec quisquam majora gerit castrisve forove. » Facta jam mentione diserta *castrorum* et *fori*, statim, ut par erat, incipit a laude forensi, vers. 45; qua absoluta, post longam digressionem, vs. 54-81, progreditur ad laudem castrensem, vers. 82: « Jam te non alius belli, etc. » Postquam sede sua versus expulsus erat, ita ut sensum turbaret, alius aliam correctionem adhibuit, ut vix veræ scripturæ vestigium remaneret.—Edit. princeps: « Nec tamen hic aut hic. » Sic plerique. Duo Angl. *hac aut hac*. Edit. Romana nobis consentit in *hinc, aut hinc*. Versus in Hamb. deest.

40. *Justa pari*. Duobus versibus absolvitur comparatio; sequentes explicant jam modum quo id fieri solet, ut nunc sedeat, nunc surgat

Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa ;
Qualis, inæquatum si quando onus urget utrimque,
Instabilis natat, alterno depressior orbe :
Nec quisquam majora gerit castrisve forove ;
Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat; seu judicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur

lanx : « inæquatum si quando onus urget utrimque. »

41. *Hac plus parte.* Abest *parte* ab edit. minor. anni 1472.

42. *Inæquatum* quidam, pro *æquatum* sumunt, ut *inauratum* et alia. Ego, quæ mea sententia est, aliter hunc locum intelligo : nemo enim est, qui in sequentibus oscillationes libræ non primo adspectu agnoscat, quæ antequam immota maneat, *alterno orbe instabilis natat.* Prorsus falsam iniit sententiam Bachius ; nam si pondus inæquale impositum esset, prima statim depressione facta, immobilis conspiceretur libra. Varietas lectionis quam huc attulit H. Voss. nihil aliud est quam mendosæ scripturæ lapsus.

43. *Depressior orbe.* Sic Paris. ed. min. ann. 1472; Venet. 1491, 1493. Ald. *compressior;* Excerpt. Perreii, ed. princeps Venet. 1475, alii corrupte *deprensior.* Brouckh. ex uno notatum viderat *nutat,* unde malebat, *Alterno instabilis nutat.* Frequens est permutatio inter *natare* et *nutare.* Heynius, cui hanc observationem acceptam refero, exemplum adducit e Curt. lib. IV, cap. IX, § 20; additque *natare* de motu incerto, fluctuante et tremulo, elegantius dici.

44. *Nec quisquam majora gerit* etc. Ut jam monuimus ad versum 39, hic versus apud editores non suo loco legitur. Brouckh. pronuntiat : in priore hemistichio nihil mutari debet : fatetur tamen adesse in libris multam discrepantiam. In nonnullis, *Quis tibi tam* vel *jam ;* in uno Angl. et Bern. *Quis te nam,* quod ab H. Vossio et Bach. susceptum est. Heynius putat diversitatem inde natam, quod prima vox *nam* exciderat. Perreii Pocchi et Lips. Excerpta habent, quod una expressit ed. Rom. 1475, et Douza commendavit, *Nec quisquam majora gerit.* — Libri fere omnes exhibent *chartisve forove* ; satis frigide ! Cyllenius emendationis auctor habetur, quæ procul dubio vera lectio est : constanter enim opponuntur forum et militia. Quinadeo subsequuntur res a Messala gestæ, ita ut nihil dubii supersit, præsertim quum Corvin. et Guelf. 1, 4, nobis consentiant.

45. *Diversi fremat.* Unus Statii *divisi ;* edit. Lips. *fremit et dives si ;* duo apud Voss. *dimissi ;* unus *premat. Diversum* est dissentiens, in diversas partes tractum.

46. *Judicis ira ;* quæ nimirum in reos exercetur.

47. *Sit placanda.* Edit. Lips. *Sitque placanda ;* in duobus *Sic ;* in uno *poterat.*

48. *Pylos.* Homerum vide initio libri tertii Odyss. Fuerunt autem in

Nestora, vel parvæ magnum decus urbis, Ulyxen;
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Secula fertilibus Titan decurrerit horis;
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus excluditur undis:
Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis,
Nec valuit Lotos cœptos avertere cursus.

Peloponneso tres Pyli, singulæ Nestorem sibi vindicantes, Messeniæ una, altera Arcadiæ, tertia Elidis; sed Pylum Arcadicam sive Triphyliacam, fuisse Nestoris ditionem præclare ostendit Strabo, lib. VIII. Brouckh. — *Aut Ithace.* Rom. et Venetæ, Guelf. 1, *atque Ithace*; cæteros scripturæ lapsus referre non operæ pretium est.

49. *Ulyxen.* Hanc scripturam, a qua codices quidam Ital. in *Ulyssem*, vel *Ulyxem* discedunt, Plutarchus Romanis propriam fuisse docet; firmantque eam meliores libri. Bach.

50. *Dum terna per orbem.* Vixerit itaque Nestor annos ter centenos. Sic et Propert. lib. II, Eleg. XII, vers. 48: « Nestoris est visus post tria sæcla cinis. » Ipse rex Pylius apud Nasonem, Metam. lib. XII, vers. 189: « vixi Annos bis centum; nunc tertia vivitur ætas. » Brouckh. adserit Ciceronem de Senect. cap. 10, eodem sensu locutum esse, quum dixerit de eodem Nestore: « Jam enim tertiam hominum ætatem vivebat. » Fatetur tamen non defuisse viros, spectatæ auctoritatis, qui *sæculum* et *ætatem* itidem, ut γενεὰν, triginta annorum spatio definiverint.

51. *Fertilibus horis.* Barthius *vertilibus* emendabat, ridicule: ut merito notat Brouckh. horæ dicuntur fertiles eadem ratione qua annus ipse. Heynius pro *decurrerit* malebat *decurreret*, quod amplexus est H. Voss. non sine librorum auctoritate. Wunderlichius et Huschkius tuentur *decurrerit.*

53. *Excluditur.* Vulgata olim lectio erat *includitur*: Brouckhius. ex Excerpt. Pocchi et Colot. editionibusque Venet. et Reg. Lep. tacite recepit *excluditur*, qua in re Heynio pœnas luit, nec tamen meritas: eodem modo de Euphrate locutus est Plinius, lib. V, cap. 24: « Fluit Derxenen primum, mox Anaiticam, Armeniæ regiones a Cappadocia excludens. » Huschkius plura adfert, quibus ostendat hanc lectionem exquisitissimam esse.

54. *Nam Ciconumque manus* etc. Brouckh. quem valde offendit particula *que*, inversionem proponit, qua facta hujus et sequentis versus mutantur sedes. Heinsius præferebat, *Non Ciconumque manus*, quod in uno Angl. legitur. Nos cum Heynio, Vossio et Huschkio *manus* pro accusativo intelligimus. Cicones, postquam urbem Ismarum diripuisset Ulyxes, accitis auxiliis, manus conseruerunt: at sub vesperam victi recesserunt. — *Adversis* ... *armis.* Non idem est ac si dixisset *infelicibus armis*; sed intelligitur omnino de pugna, bello, odio, etc.

55. *Nec.* Vulgo legebatur *Non*; Brouckh. e libris revocavit *Nec*, ut sibi responderent copulæ. Legeba-

Cessit et Ætnææ Neptunius incola rupis,
Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.
Vexit et Æolios placidum per Nerea ventos.
Incultos adiit Læstrygonas Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda.

tur quoque *Cyclops*; sed Scaliger e Cujac. libro deprompsit *Lotos*. Statii unus *convertere cursus*; Guelf. 2: « Non valuit Cyclops tempus convertere cursus. » Cujacianus, *captos... cursus*.

56 *Ætnææ Neptunius incola*. Noster sequitur eos qui Cyclopum sedes sub Ætna fuisse tradiderant, una cum Virgilio, Æneid. lib. III; Homerus eos continentis habitatores fecit, non insulæ Siciliæ.

57. *Victa Maroneo* etc. Barthius conjiciebat *una lumina*, valde infelix in hoc invento. Libri variant, exhibentes nunc *vincta*, nunc *uncta*; plerique tamen nostræ accedunt lectioni, quam etiam ipse sensus tuetur; multum enim vini biberat Cyclops. Illo vino Ulyxem donaverat Maron, Euanthei filius, Apollinis Ismarii sacerdos. Homer. Odyss. lib. IX, vs. 195. Idem vinum Propertio dicitur *Ismarium*, quia id, Ismaro capto, Ulyxes a Marone acceperat. Brouckh. cujus hæc sunt, addit: « Peccant illi, qui Maroneum dici volunt a Marone, Apollinis sacerdote; quum ita dicatur ab oppido Maronea. Mela, lib. II, cap. II: « Tum Nestos fluvius, et ripis ejus adjacens Maronea. » Plinius, lib. IV, cap. 11: « Diceæ, Ismaron, locus Parthenion, Phalesina, Maropea prius Orthagoria; » lib. XIV, cap. 4: « Vino antiquissima claritas Maroneo, in Thraciæ maritima parte genito, ut auctor est Homerus; » ubi plura de ejus vini generositate indomita. Oppido nomen dedit Maro, jussu Osiridis, jam senex, post interfectum Lycurgum, Thraciæ regem, Ægyptii herois cœptis obsistentem, tradente Diodoro Siculo, lib. I. Non ludes operam, si Isaaci Vossii notam inspicere volueris, ad laudata modo Pomponii Melæ verba. »

58. *Vexit et Æolios* etc. Habuit secum ventos ab Æolo utribus inclusos; Ovid. Metam. lib. XIV, vers. 223. Burmannus corrigebat, *Vexit ut*; Vossii 1, *Vexitque*; Bern. *Texit*.

59. *Incultos ... Læstrygonas*. Feros, inhumanos; nam erant ἀνθρωποφάγοι: inhabitabant Formias Campaniæ. Rex eorum erat Antiphates; vid. Odyss. X, vers. 80, et Ovid. Metam. lib. XIV, vers. 233. Heyn. — Opinatur Heynius excidisse copulam *que*. *Incultosque adiit*. Sed hæc abesse potest nullo juncturæ detrimento.

60. *Nobilis Artacie*. In libro Matii est *Mobilis*. Reliqui vulgatam firmant. Horatio quoque Fons Blandusiæ *Nobilis* dicitur, lib. III, Od. XIII, vers. 13. Scriptura in *Artacie* multum variat; invenitur passim *Attracie*, *Artatie*, *Athracie*; sed nobis ipse Homerus sponsor est. — *Gelida* ex emendatione Scaligeri et e tribus libris revocavit Brouckhus. Editiones veteres, *Artabiæ gelidos*. Vulgo erat *gelidos*; apud Muretum *gelidæ*. Variat quoque in libris *Artacie* et *Artaciæ*, utrumque bene,

Solum nec doctæ verterunt pocula Circes ;
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces ;
Queis nunquam candente dies apparuit ortu,

si metrum sineret, ut *unda* sit, vel sextus, vel primus casus.

62. *Quamvis illa foret Solis genus.* Brouckh. edidit, « Quamvis inliceret Solis genus ; » adscribens : « In principe Veneta, inque Regiolepidina editione legitur, « Quamvis illa ceres Solis genus ; » unde non frustra Barthius fecit *illaceret*, hoc est, *inliceret*. » Nihil obstat sane quominus cum suo *hoc est*, Brouckhusius integrum pervagetur Lexicon : ibi enim vox quæcumque ab antecedente una vel duobus tantum literis discrepat, ut facile ope τοῦ *hoc est*, A cum Ω jungere possis. Nos ad alia discedimus, lectionem amplexi, quam tuentur edit. min. anni 1472 ; Vicent. et Venet. 1491, 1493 : nam omisso pronomine *illa*, minus accurate jungerentur *genus apta*.

64. *Cimmeriorum etiam obscuras.* Sic Voss. 1 et Askew. quidam ediderunt Cimmeriων, ridicula scriptura, quam etiam H. Voss. et Bach. suscepere. Italici critici olim legebant, *Cimmeriūm*. Brouckhusius, qua sententia sum, veram restituit lectionem *Cimmeriorum*, subjiciens : « Error natus ex compendio pingendi : fuit enim Cimmerīōr : elemento *r* deinde in *n* corrupto. Neque nos terrere debet hiatus paulo vastior, non tamen indecorus. » Huschk. exempla addit hujus hiatus ex Horatii I, Od. XVII, 16 : « Ruris honorum opulenta cornu ; » ex Virg. Georg. lib. I, vs. 191, « foliorum exuberat umbra. » Denique e Juvenalis Sat. III, vs. 312 : « Felices proavorum atavos. » Pro *arces* Gothan. habet *aures* ; edit. Cyllenii, Brix. et Aldin. *oras*. Cimmerios in Britannia insula posuit Carleton, epistola erudita, quæ est octogesima inter Camdenianas. Pompeius Festus ait : « Cimmerii dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt. Quales fuerunt inter Baias et Cumas, in ea regione, in qua convallis satis eminenti jugo circumdata est, quæ neque matutino, neque vespertino tempore sole contegitur. »

65. *Ortu.* Duo Italici, unus Gebhardi cum ed. Romana, *astu*. Perpetuas tenebras, quibus Cimmeriorum terra prematur, his versibus declarari obvium est. Sed, quod altero versu adjectum : « Sive supra terras Phœbus, seu curreret infra, » tenere aliquem potest. Antipodas hic agnoscere Tibullum videri, observat Vulpius. Subtilitatem hanc in poeta, inprimis in hoc, locum non habere, facile intelligitur. Accipiebam olim de annua solis conversione, ut simpliciter hieme ille *infra terras currere* diceretur, quatenus versus tropicum Capricorni recedit : et sic, vice versa, supra terras. Ad verbum fere redditi sunt Homerici versus, Odyss. XI, 15, 16 ; in Homero autem simplicissimum est de diurnis cursus Solis vicibus accipere. Ascendit cælum Sol mane evectus, et versus terram descendit occidens. Adeoque Sol nec oriens, nec

Sive supra terras Phœbus, seu curreret infra.
Vidit, ut inferno Plutonis subdita regno
Magna Deum proles levibus discurrerit umbris;
Præteriitque cita Sirenum litora puppi.

occidens, nec adeo per totum diem, Cimmeriis in conspectum venit; nec aliter verba Homerica accepere poetæ, qui ea ante oculos habuere: Virgilius, Georg. lib. III, vers. 357; Ovid. Metam. lib. XI, vs. 592. Noster tamen poeta, nisi admodum improprie locutus est, vix eamdem sententiam animo tenere potuit in his: « Sive supra terras Phœbus, seu curreret infra; » dicendumque adeo est, eum alio modo accepisse verbum Homericum, et ad accessum recessumque Solis versus tropicos retulisse. Heyn.

66. *Sive supra.* Plures libri *Seu supra;* Reg. Lep. et Vicent. *Sive super,* eaque erat lectio vulgata ante Scaligerum.

67. *Vidit, ut... Plutonis subdita regno;* ita legitur in Paris. Lips. Voss. 1, 3, Bern. et Guelf. 3, edit. Vicent. et Venet. 1491, 1493. — *Et* pro *ut* edit. Rom. et Brix. libri complures; Edit. maj. ann. 1472, *ut... regna;* minor, *ut...: Plutoni subdita regna.* Vulgatam restituit Brouckhusius. Propert. lib. I, El. XI, vers. 3, laudante Vulpio: « Et modo Thesproti mirantem subdita regno. » Huschk.

68. *Levibus discurrerit umbris.* Hæc Heynium valde angunt et premunt, qui putat omissum *in*, ut sit *in umbris*, inter umbras, nec aliter sensum probare vult. Unus Statii habet *mediis umbris;* Heyn. posthac lectionem *undis* rejicit, quia undæ apud mortuos *pigræ* non *leves* sunt; unus Brouckh. *magnis undis;* sed non in iis currunt umbræ; denique nil intentatum relinquit doctus Heynius, quo locum interpretetur, et e conjectura profert: « Magna Deum proles levibus par, curreret umbris. » Fatendum valde impeditum esse locum. Minus latine dicitur quibusdam, *vidit ut discurreret.* Charisius ait, pag. 202: « Nonnunquam tamen (UT) acuto accentu elatum recipit subjunctiva, præposito finito verbo, more quo supra formari relativa diximus, ut apud Virgilium, Æn. II, vs. 3: « Infandum regina jubes renovare dolorem, Trojanas ut opes et lamentabile regnum Eruerint Danai; » id est, ὥσπερ. Sallustius, Jug. 31: « Nam illa quidem piget dicere, his annis XV, quam ludibrio fueritis superbiæ paucorum; quam fœde, quamque inulti perierint vestri defensores, *ut* vobis animus ab ignavia, atque socordia corruptus sit. »

69. *Præteriitque cita.* Unus liber apud H. Voss. *Prætereuntque;* unus *sita;* unus etiam *Tirrenum.* Sirenes non in mari, sed in prato insulæ florido sedent cantantes apud Homerum, ingente circum ossium putrescentium acervo, Od. lib. XII, vs. 38 et 158. Hæc præfatus Brouckhusius multa de Sirenum forma congerit, quas in avem desinere gallinæ non absimilem, ostendit e poetis nummisque. Quinadeo nummi a Neapolitanis in honorem Augusti procusi imaginem profert ære cælatam, qua Sirenem omnibus ante oculos ponere possit. Cæterum adeas Hyginum, fab. 125; Servium, ad Æneid. lib. V, vers. 864; Ælianum,

Illum inter geminæ nantem confinia mortis,
Nec Scyllæ sævo conterruit impetus ore,
Quum canibus rabidas inter freta serperet undas;

de Animalibus, lib. XVII; Apollonium Rhod. lib. IV, vs. 892; Ovidium, Metam. lib. V, vs. 551; Claudianum, de Raptu Proserp. vs. 254.

70. *Inter geminæ nantem confinia mortis.* Hic versus abest ab uno Angl. et Gothan. Vulgo legebatur *tergeminæ*, quod jam Statius mutavit, quem non fugit syllabam *in* a præcedente *m* absorptam fuisse. Edit. Colin. 1530 sola habet *per geminæ*, quod H. Voss. ut exquisitius suscepit. At duo Italici, Guelf. 1, 4; ed. min. ann. 1472; Rom. Brix. et Venetæ, 1491, 1493, exhibent: « Illum tergemini nantem confinia montis, » id est, *inter gemini montis*, quæ lectio Heynio jam arridebat, et nunc in Huschkii textum suscepta legitur, ut cum Homeri loco, lib. XII, vs. 71 ad 101, conveniat; sed apud Homerum σκόπελοι adsunt, non montes; et Euripides, Med. 431, quem citat Huschkius πέτρας dixit, Propertius vero, lib. III, Eleg. XXII, vers. 13, *saxa*; ut dubitare possis utrum de Scylla et Charybdi poeta montis appellatione usus sit, necne. *Geminæ mortis* eodem sensu dicitur quo Claudianus, XLIV, 70, *geminæ confinia vitæ*.

71. *Ore.* Olim legebatur *orbe*, quod exponebant de rapidis vorticibus aquarum in orbem et gyrum circumactarum. Heynius correxit *æstu*, vel *sæva ira*. Brouckhusio neutrum placet; is ex Odyss. lib. XII, vs. 90, e Virgilii Æneid. lib. III, vs. 424, Scyllæ *os* servat, quod Scaliger reposuerat ex Pocchi et Lipsii Excerptis et libro Cujacii. — Sex optimos Ulyxis socios ex nave ablatos devoravit Scylla, vivos ac palpitantes.

72. *Quum canibus rabidas inter freta serperet undas.* Quot litore arenæ sunt, tot fere in hoc versu variæ lectiones et emendationes. Vulgata ante Heinsium, inde a Romana editione exhibebat, *Quum canibus rapidas*. Brouckhusius *rabidas* e libris substituit, qua in re acquiescendum est. At Heinsius et Guyet. *sorberet*, pro *serperet* legi voluere; Heinsius tamen hac emendatione parum contentus, alias protulit et primo quidem: « Quum canibus rabidas intorta resorberet undas, » vel *intortis ferveret undas*; deinde idem in notis ad Ovid. Am. lib. II, El. XVI, vers. 26: « raptas inter freta sorberet undas; » denique in Advers. I, cap. 13: « Quum canibus rabidas inter freta ferveret undas. » Passeratius legerat: « rabida subter freta serperet unda, » vel « rapidas inter fera serperet undas. » Adest sane *fera* in quibusdam libris: in alia prorsus abiere Crusius et Burmannus, « rabidas succincta resorberet undas. » Crusius aliam insuper immutationem attulit in Probab. Crit. cap. 26: « Nec Scyllæ sævo conterruit impete turbo, Quæ canibus rabidis infesta reverberat undas. » Huschkius vero emendatores vel corruptores ingenio omnes superavit; nam quia nescio quis editioni Reg. Lep. adscripsit: « Legi etiam possit, *Quin canibus rapidas*, » illico suscepit ille τὸ *Quin* in textumque invexit; tum auctoritate edit. min. ann. 1472, *curreret*, pro *serperet* legit, ut esset sicut apud Virgilium, Æneid. lib. III, vers. 191:

Nec violenta suo consumpsit more Charybdis;
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor, et fecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis et errorum misero, Phæacia tellus.
Atque hæc seu nostras inter sunt cognita terras,

« Vela damus vastumque cava trabe currimus æquor; » quo facto versum integrum non de Scylla, sed de Ulyxe ipso sumpsit. Nos nimiam audaciam doctissimi viri non imitandam censemus, et in tanta varietate idem faciemus, quod jam Heynius, antiquam lectionem servantes. Quinadeo ita sensus quoque melius procedit; nihil enim contortius quam Huschkii constructio.

73. *Suo consumpsit more.* Multi libri habent *consumsit in ore;* sed jam in altero ab hinc versu occurrit *ore*. *Suo more*, quod Heynio otiosum videtur, frequens locutio est apud veteres. Crusius, in Prob. Crit. I, legebat: « Nec violenta sua consumsit morte Charybdis. » H. Vossius nostram lectionem cum irrisione dimittendam censet, et *in orbe* legi vult, non adeo feliciter.

74. *Fluctu... imo*, qui ex fundo consurgit, βυσσόθεν, ut in illo: « utque imo Nereus ciet æquora ponto. » Cod. Lips. *uno*, quod hoc loco nimium ridiculum esset.

75. *Nudaret... pontum.* Virg. Æn. lib. I, vs. 106: « his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit. » Angl. tres *æquore*, pro *gurgite*, contra faciente Virgilio, qui Æn. lib. III, vers. 421: « ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus. ». H. Voss. quia in superiore versu *sublimis* legitur, nunc eo altius Charybdim deorsum deprimit, ut ad arenam usque ope emendationis *vel si infra rupto* descendat. At dum ille Charybdim mergit, nos ad cætera progredimur.

76. *Non violata vagi* etc. Fabulam copiose denarrat Homer. Od. lib. XII, vers. 260. In quibusdam *violenta*, aberratione frequenti.

77. *Fecunda ... arva Calypsus.* Ausus est aliquis intelligere arvum genitale Calypsus, quocirca Heynio meritas pœnas luit: nam præter ὕλην τηλεθόωσαν, etiam in ea insula: Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ ἴου ἠδὲ σελίνου θήλεον.

78. *Finis et errorum misero.* Sic Excerpt. Pocchi, unus Brouckhus. cum Guelf. 1, et e correctione 2, Bern. Askew. In aliis, *errorum miseri;* in Vossii 1, 3, *erroris miseri*, quod Brouckh. Scaliger et Vulpius anteposuere.

79. *Atque hæc seu* etc. Brouckh. ait: « Præpositio *inter* valet hoc loco *intra*. Sive hæc gesta sunt intra orbem nobis notum in mari Mediterraneo, sive fabulose gesta narrantur in parte mundi nobis incognita. » Passeratius alium sensum eligit: « Sive hæc vera sunt, et seculi nostri ac regionis hominibus nota; sive falsa et commentitia. » Mihi Brouckh. sententia potior visa est, præsertim quum apud Gellium, lib. XIV, cap. 6, quæstio instituatur, utrum ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ Ulyxes

Fabula sive novum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius, tua dum facundia major.
Jam te non alius belli tenet aptius artes;
Qua deceat tutam castris prædducere fossam;
Qualiter adversos hosti defigere cervos;
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo;
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
Ut facilisque tuis aditus sit, et arduus hosti,
Laudis et assiduo vigeat certamine miles:

erraverit κατὰ Ἀρίσταρχον, an ἐν τῇ ἔξω κατὰ Κράτητα.

81. *Tua dum facundia major.* Brouckhusius hoc loco, Quintiliani, Ovidii et Taciti loca transcripsit, ut ostenderet Messalam eximium fuisse oratorem; res omnibus nota est.

82. *Jam te non alius.* Ad Messalam tandem revertitur poeta; in quibusdam legitur *Nam*; sed junctura ope τοῦ *Jam* melius procedit. Adest *Jam* in Excerpt. Pocch. in duobus Angl. in Askew. Voss. 2, et in Bern. Pro *artes* nonnulli libri et edit Rom. *artem* habent.

83. *Prædducere.* Sic emendavit Muretus e libris; antea edebatur *deducere*; in aliis *producere*, *perducere*. Sic infra vs. 89 variatur et vs. 92.

84. *Adversos hosti defigere cervos.* Vulgo in libris et editionibus legebatur *nervos*; in uno Statii, *vernos*. — Scaliger e Guellii emendatione ad Virgil. Ecl. II, vers. 29, *cervos* recepit. Ita est in uno Ital. Askew. tribus Voss. Cervi castrenses sunt stipites furcati in formam cornuum cervinorum. Vide Dion. Vossium in Cæs. de Bello Gallico, lib. VII, cap. 72. Meursium in Lycophr. p. 74; Servium ad Virg. Eclog. II, vs. 29.

85. *Ducto ... vallo.* Heinsius mallet *structo*, quia modo *prædducere*; sed *ducere vallum* proprie dicitur. Heyn.

86. *Fontibus.* Monac. *Montibus*; Goth. *educat*, ut notat H. Vossius, propter vicinum *ducto* corruptum. C. Severus in Ætna: « ruptique cavis fornacibus ignes. »

87. *Ut facilisque* etc. Monac. et Hamb. *Et* pro *Ut*; in Lips. deest *Sit*.

88. *Laudis et assiduo.* H. Voss. huc iterum *ut* intrusit e libris quibusdam, ubi confunduntur *et*... *ut*. Brouckh. hæc ad laudem castrensem trahit, perperam, ut opinor; nam poeta dicit, Messalam optime nosse qui locus castris ponendis maxime idoneus sit, ut et aquarum copia, et securitas ab hoste sit; utque miles exercitationi campestri, in qua alter alteri præstare laudis cupiditate accensus annititur, optime operam dare possit, cujus mox varia genera enumerat: *Quis tardamve sudem.* — Ayrmann. in Vita Tibulli, § 29, totum locum aliter constituit, στιχῷ τελείῳ post vs. 87 posita, et nova sententia a verbis: « Laudis ut (sic legit pro *et*) assiduo vigeat certamine miles, Quis, etc. » ad vers. 98 perducta; ita ut quærat: Ut laudem militaris peritiæ appetendo semper in armis actuque sint milites, quis Messala, eorum

Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo;
Aut quis equum celerem arctato compescere fræno
Possit, et effusas tardo permittere habenas;
Inque vicem modo directo contendere cursu,
Seu libeat curvo brevius compellere gyro;

imperatore, laude illa, castrensis scilicet exercitationis, prior sit. ». Heyn.

89. *Quis tardamve* etc. Voss. 1, *Quos*; Bern. et Voss. 3: *celeremque;* in Lips. versus omissus est. Sunt qui hæc ad Messalam referant: « Quis te, o Messala, melius? » Alii, ut notavimus supra, militum certamina intelligunt; inter quos Heynius est, cui alter sensus, plus quam dici potest, putidus videtur. Sudes ad missilia jacienda exercebantur milites.

90. *Aut lento*. Regius *et*.

91. *Aut quis equum celerem arctato*. Hic versus etiam abest a Lips. Pro *Aut*, in aliis libris *Et*; in aliis *At* legitur. Edit. maj. 1472, Vicent. Reg. Lep. « Et quis equum celeremve arcto compescere freno. » Ita etiam Paris. et edit. min. nisi quod *Aut* habent. Ed. Rom. Venet. 1491, 1493, *celerem arcto*. Statius notat Colotium in veteri libro legisse, « Et quis equum celerem arato, » vel *artato*. Duo Italici et edit. Brix. *arctato*, quod reposuit Brouckhusius. Huschk.

92. *Possit*. Brouckh. ex Heinsii emendatione recepit, *Par sit;* sed, ut notat Heynius, repetendum in hoc et reliquis versibus ex vs. 89, *τὸ melius*. Duo Is. Voss. *tarde*.

93. *Directo contendere cursu*. Brouckhusius revocavit *cursu* ex undecim libris, quum antea legeretur *passu*. H. Voss. *propellere* contra librorum fidem edidit. Virgil. Æneid. lib. V, vers. 291; « Hic qui forte velint rapido contendere cursu. »

94. *Compellere*. Brouckh. quum hic libri iterum *contendere* haberent ait: « Repetitio insuavis est nec satis decora; scribamus, duce Tullio, *compellere*. » Adest *compellere* in Vossii 1, 2; Bern. Vindob. et Monac. H. Voss. nihilominus *contendere* præfert. Locus Ciceronis quo nititur Brouckh. nihil ad rem facit; ibi enim verbum *compellere* sensu omnino diverso usurpatur, neque ullo modo ad equitandi artem retrahi potest, ut ejus proprium sit. De Orat. lib. III, 19: « Ex ingenti quodam oratorem immensoque campo, in exiguum sane gyrum compellitis. » H. Voss. qui ut notavimus, licet libri supra dicti Brouckhusio faveant, *contendere* servavit ex aliis, in superiore versu *propellere* edidit, ex ingenio; perperam. Huschkius *convertere* e Crusii emendatione suscepit, et exempla addidit, quæ nullo modo litem dirimunt. Nos nihil in scriptis esse mutandum statuimus: *contendere* itaque primo loco servantes, idem facimus quod Brouckh. et *compellere*, quod pariter librorum est, legimus; licet nullam loci Ciceroniani illius rationem habendam esse opinemur. — Variæ lectiones *brevius* pro *melius*; *Nunc libeat* pro *Seu libeat* passim reperiuntur, quarum illa prorsus delenda, hæc vero tuenda est.

Quis parma, seu dextra velit seu læva tueri,
Sive hac, sive illac veniat gravis impetus hastæ,
Amplior, aut signata cita loca tangere funda.
Jam simul audacis veniunt certamina Martis,
Adversisque parant acies concurrere signis :
Tunc tibi non desit faciem componere pugnæ,
Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen,

95. *Quis parma.* Brouckhusius ex Heinsii emendatione reposuit, *Quid parma*, et Scaligerum deseruit; sed nostræ lectioni favent Hamb. Monac. Bern. Askew. Vossii 4, Excerpta Perr. In Vossii 3, *Quis præmia seu*; in primo, *Pervia quis seu.*

96. *Veniat gravis impetus hastæ.* Ita Scaliger e suis : accedunt Vossii 1 et Askew. Olim legebatur *grandis venit*. Edit. Rom. *hoste.*

97. *Amplior, aut.* Regius *seu*. Ayrmann. in Vita Tibulli, cap. 29, legit : « Eminus aut signata cita loca tangere funda. »

98. *Veniunt certamina* etc. Paris. Lips. edit. ann. 1472, Vicent. Reg. Lep. *venient*. Unus apud Vossium, *discrimina*. Huschk.

99. *Parant concurrere.* Iidem libri *parent*. Lips. solus *contendere*; Gothanus *consurgere*. Rem illustravit Salmasius, lib. de Re Milit. Rom.

100. *Tunc tibi non desit.* Brouckhusius, suadente Heinsio, *non defit* legi vult e tribus libris, quibus accedit Vossii 5. H. Vossius ejusdem opinionis est. Elegantior vero locutio : « non tibi deest componere. » Ed. min. ann. 1472, *facias*, corrupte ex *acies*, quod occurrit vs. 101. Quidam libri, *Tum*.

101. *Seu sit opus, quadratum* etc. Salmas. de Re Milit. Rom. cap. 7 et 10, aciem simplicem et bipartitam exprimi censebat; hanc duobus cornibus, nulla ut media acies sit, constare, quæ non æqualiter dirigantur in hostem, sed quorum alterum, ut hosti propius, ita prius manus conserat : hinc vers. 103 emendabat *duplici sejunctim cernere*, id est, decernere, *Marte*. Simplicem vero esse eamdem cum quadrata, cujus æquatæ frontes sint, ut omnes qui in primo ordine stent uno tempore in hostem se moveant. Quum olim vs. 103 legeretur : « Seu libeat duplicem, seu junctum cernere Martem. » Scaliger hic tria genera aciei instituendæ, quadratum, duplex, pilatum describi putabat. Schelius, in Diss. Polyb. cap. 11, Salmasium confudisse vult *aciem simplicem*, *aciem quadratam*, et *agmen quadratum*. Agmine quadrato duci exercitum, quum frons et tergum in latum extensa sint, inter quæ intermisceri possint jumenta; opponi autem *agmini pilato*, quod oblongum sit, fronte angustiori : hoc usos esse in anfractibus, silvis ac locis iniquis; illo autem in campo lato et plano : *aciem* porro *simplicem* a *quadrata* distinguere Vegetium. Locus est lib. I, 28 : « Ut prima simplex extensa sit acies, ne quos sinus, quas curvaturas habeat, ut æquali legitimoque spatio miles distet a milite : tunc præcipiendum, ut subito duplicent aciem, ita ut in ipso impetu is, ad quem respondere solent, ordo

Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo;
Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte,
Dexter uti lævum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex geminis victoria castris.
At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano: testis mihi victæ

servetur. Tertio præcipiendum, ut quadratam aciem repente constituant.» Huschkius notat: «Scribi potuisse *acies*, vel *aciem consistere in agmen*, id est, *constituere*, docet Cortius ad Sallustium, Jugurth. 41, pag. 642.» Ego cum Heynio sentio dicente, in poeta versamur, non in tactico scriptore, cui omnes aciei formæ deinceps accurate enarrandæ erant. Sed posuit ille e pluribus duas, alteram, quam *agminis quadrati* appellat; alteram, *qua binis cornibus in hostem ducitur.*

102. *Ut æquatis decurrat.* Edit. veteres *in æquatis*, quod in multis libris, et edit. Venet. 1491, 1493, *inæquatis* scribitur, quodque Passeratius idem ac *æquatis* esse contendit. Paris. unus Colot. ed. Ald. 1502, *an;* quod Statius legendum putabat *ut*, firmatur uno Colot. Mon. Bern. Pro *decurrat*, Excerpta Perreii cum aliis libris, *seu currat;* Dresd. et ed. Rom. *concurrat.*

103. *Duplici sejunctim.* Olim legebatur: *duplicem, seu junctum cernere Martem.* Emendatio Salmasii, quam cum editoribus suscepimus, priore Williano et uno Anglican. fere firmatur; ibi enim legitur *sejunctum:* haud longe a vero. Qui *cernere Martem* probabant, se Enniano exemplo tuebantur, quod est apud Varronem in Gerontodidascalo, et lib. V de Ling. Lat. itemque apud Nonium in verbo *cernere:* «Nam ter sub armis malim vitam cernere Quam semel modo parere.» Sed quum ibi *cernere vitam* positum sit pro eo, quod est decertare de vita; par erit ut hoc loco, *Martem cernere*, sit depugnare de pugna. Quo quid absurdius? Brouckh.

104. *Dexter uti lævum teneat, dextrumque sinister.* Scaliger ita e libro Cujac. edidit, cui accedunt Vossii 3, et Monac. Vulgo legebant: «Dextraque ut lævum teneat, dextrumque sinistra.» Non omnes aberrationes referre libet.

105. *Geminis .... castris.* Vulgo *gemini casus.* Brouckh. ex uno Statiano, Colbertino et Excerpt. Colotii nostram revocavit scripturam. *Gemina castra* sunt cornua bina ejusdem exercitus, quatenus ille bipartita acie pugnavit. Crusius, II, legebat: «Sitque duplex geminis victoria causis.» Sane *causa* et *casus* permutantur; vide Gronovium, Obs. III, 14; sed tota sententia et ratio ab hoc loco longe est aliena. Heyn.

107. *Testis mihi victæ.* Quas hic memorat Iapydum atque aliarum Illyrii ac Pannoniæ gentium ferarum rebelliones, descripserunt Strabo, lib. IV et VII; Dio, lib. XLIX; Appian. lib. de Bellis Illyricis; Florus, lib. IV, cap. 4 et 12; Suetonius in Aug. cap. 21; Velleius, lib. II, cap. 90; Orosius, lib. VI, cap. 21; meminerunt quoque Livii Epitomæ, lib. CXXXI, CXXXII, CXXXV. — Brouckh. ait nostrum

Fortis Iapydiæ miles; testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disjectus in Alpes;
Testis Arupinas et pauper natus in armis;
Quem si quis videat, vetus ut non fregerit ætas,
Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ:
Namque, senex longæ peragit dum tempora vitæ,

poetam ætatis annum tunc egisse octavum supra vicesimum, ut verisimile sit, ipsum quoque has expeditiones vidisse præsentem. De ætate nimis expresse pronuntiat doctus vir; res enim adhuc incerta; immo de carmine, an Tibulli sit, pariter disceptatur; denique non omnibus intersumus quæ nobis viventibus peraguntur. Nihil igitur video, quod verisimile sit.

108. *Iapydiæ*. Vulgo legebatur *Iapodes*, vel *Iapides*. Scaliger e suis veram reposuit scripturam: accedunt Guelf. 1, 2, 4. Quidam variant in *Iapidiæ*, *Iazygiæ* etc.

109. *Pannonius*, *gelidas passim*. Hic maxime in textum sævit H. Voss. cui nulla pugna nota est, quæ Pannonios disjecisset: quamobrem Salassos intelligit quos proprio Marte devicit Messala: neque Vossio deest narratiuncula de librariis, mendo scripturæ nomen Salassorum expellentibus. Cæterum versum deformat hunc in modum: « Pannonius gelidaque Salassus tectus ab Alpe. » Ayrmann. quem Pannonius in Alpibus æque offenderat, minore ingenii impensa rem absolvit; inserit enim *et* post *passim*: malo tamen cum Heynio Pannonios latiore sensu intelligere, qui proprie juxta Danubium a Norico usque ad Mœsiam habitabant.

110. *Arupinas*. In libris et edit. ante Scaligerum legebatur *Arupinus*; in libris tamen mira varietas, *Alpinis*, *Arpinis*, *Aprinis*, *Hirpinis*, *Harapinus*, *Hyrpinas* et *Arpinas*. Scaliger conjecit *Arupinas*, quod suscepit Brouckh. ex Strabone atque ex Itinerario Antonini. H. Vossius copulas agitavit, ediditque *pauperque et natus in armis*, ne epitheta disjuncta jacerent. Huschkius fluctuat incertus, notamque sic concludit: « Quod si vera lectio est *Arupinus*, nihil obstat quominus versum sic constituamus: « Testis Arupinus pauper, sed natus in armis. » Bach. adserit, Strabonem secum facere *Arupinus* edente. Nos integram disputationem ne titivillitii quidem facimus.

111. *Vetus ut non fregerit ætas*. Sensus est: si quis videat, ut senectus Arupinates non fregerit, minus miretur ille Nestorem ad tertiam usque hominum ætatem vixisse. *Vetus ætas*, ut supra, lib. I, El. VIII, vers. 50, *veteres senes*. Vid. pag. 93.

112. *Pyliæ... famæ*. In Goth. *vitæ*.

113. *Namque*, *senex* etc. Veteres editiones ann. 1472 minor, et Ald. secunda, et librorum nonnulli hunc versum exhibent; Heinsius miratur cur omiserint recentiores. In Corvin. sic expressus est: « Namque senex longæ spargit dum sæcula vitæ. » H. Vossius emendat *tempora vitæ* e conjectura, ne bis *sæcula* scriberentur. Idem, unus omnium, versum in textum reduxit, quem Brouckhusius, Vulpius, Heynius, Huschkius spurium esse declarant. Quod

Centum fecundos Titan renovaverit annos :
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Audet equum, validisque sedens moderatur habenis.
Te duce, non alias conversus terga domator

ad me attinet, ejusdem atque Vossius sententiæ sum ; opinorque vocem *vitæ*, quæ in Gothan. superiore versu legitur, documentum adhuc esse elapsi hujus hexametri, quo deleto, incertus lector est utrum de Nestore, an de Arupinatibus sermo continuetur. Me non movet, quod docti viri versum insititium esse velint ; quid refert ? integrum carmen lubenter insititium esse concesserim : non est itaque cur de singulis tanto nisu disceptemus.

114. *Renovaverit*. Quibusdam inest *revocaverit ;* sed qui fieri posset, ut Titan præteritos annos referret iterum ? Sex libri apud H. Voss. *renovaverat*. Vindob. *Phœbus* pro *Titan ;* unus J. Voss. *fecundus*. Huschkius primum nobis consentiens, sententiam mutavit, et sese festinationis damnavit. Seneca ei auctor est Ep. XCIII : « Scimus, a quibus principalis natura se attollat, quemadmodum ordinet mundum, per quas vices annum *revocet* etc. » Bach. eo audaciæ venit ut *renovaverit* a manu interpolatrice profectum esse declararet ; sed longe aliter se habent et Senecæ locus, et hic, ut primo adspectu agnoscere possis ; Seneca enim naturæ vices celebrat : Noster vero, quicumque sit, de annis dudum elapsis sermonem instituit, qui non *revocari* possunt, optime vero *renovari*. Sic Ausonius, Edyl. VIII : « Jane veni : novus, anne, veni ; renovate, veni, sol. » Dixerat olim Huschk. : « *Revocari* dicuntur sacra aliquandiu intermissa, non anni continuo renovati. » Ita festinanti potius accesserim, quam rem graviter perpendenti.

115. *Velox ... super edere corpus*. *Edere* est *attollere ;* veloci saltu in equum insilit.

116. *Audet*. Heins. conjecit *Gaudet*, quod etiam in Askew. et Goth. legitur. Editores plerique *Gaudet* eligunt ; nobis vero secus visum est : non hic de Ascanio (Æn. IV, 157) sermo est, sed de seniore, qui audacia præcipue insignis est. Nonnulli libri habent *validusque*, quod Brouckh. suscepit, Vossius vero rejecit. Mea quidem sententia nihil interest utrum eligas. Fateor tamen me in *validis habenis* lubentius acquiescere ; translate ac poetice *habenæ* dicuntur *validæ*, et optime senis vim exprimunt. Brouckhusius edidit *moderator*, ut vulgo fit. Cod. Lips. *validusque sedet miratur ;* edit. maj. ann. 1472, *validisque sedet moderatur habenis*. H. Voss. uno libro addicente dedit *sedens moderatur*, qua in re et Huschkium et nos habet consentientes.

117. *Domator*. Varium in modum torsit hæc vox interpretes ; Scaliger eam suspectam habuit. Notat Heyn. si debet esse *πωλοδάμνης et ἱπποδάμας*, non ita nude poni, verum *equorum domator* adjiciendum erat, ut Virg. Æneid. VII, vs. 189, *Picus equûm domitor ;* et vs. 691, *Messapus equûm domitor*. Pocchi excerpta habent *terga domata ;* duo Italici *comata*, quasi de Gallis agatur. Heyn. malit *Dalmata tergum ;* Ayrmann. *terga domatur*. Sed nolim sermonem ad Arupinates iterum converti, de quibus

Libera Romanæ subjecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris; majora peractis
Instant; compertum est veracibus ut mihi signis,
Queis Amythaonius nequeat certare Melampus:
Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras oriente die, duce fertilis anni;
Splendidior liquidis quum sol caput extulit undis,
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec assuetos egerunt flumina cursus;
Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis;

jam peractum est. H. Voss. existimat vocem desideratam e contextu supplendam esse, ut tamen de equorum domitore, scilicet Arupinate sermo sit. Huschkius consentit, rem insigni exemplo illustrans Pindari, qui Olym. XIII, vers. 97, Δαμαῖος usurpat de Neptuno, ut eum equorum domitorem esse significet. Ego *Comata* prætulerim, nisi infra vers. 138, iterum de Gallia sermo esset. Dijudicent peritiores.

119. *Nec tamen his contentus eris.* Heinsius in Adv. I, 2, malebat *eas;* uti volebat *ire* tanquam elegantius ubique inferre pro *esse*. Heyn. — Unus liber apud Vossium, *erit;* unus *paratis*.

120. *Compertum est.* H. Voss. *est* ejecit, ut solet in substantiva verba sævire.

121. *Amythaonius . . . Melampus.* Vates sagacissimus et veracissimus, de quo vide Virgil. Georg. III, 550; Statium, Theb. III, 449; Apollod. Bibl. lib. I, cap. 9, et lib. II, cap. 2. *Queis* Bach. tertium casum esse dicit, ut apud Virgil. Eclog. V, vers. 8: « solus tibi certet Amyntas. »

122. *Nam modo fulgentem Tyrio* etc. Brouckh. annum urbis DCCXXII intelligit, quo Consules fuere Imperator Cæsar Divi F. III, M. Valerius M. F. M. N. Messala Corvinus; eo tempore, si Brouckhusii rationem ineas, agebat Tibullus ætatis annum ferme trigesimum secundum: « Nam quæ de divinandi scientia paulo ante jactabat, nullo modo cadere possunt in puerum duodecennem. » De ætate Tibulli in vita agimus; tu vero cave argumenta hoc carmine haurias, ne forte in tenebrionem quemdam ignotum, non in poetam venustissimum cadant. De illius diei cærimoniis et ominibus adi Ovid. Pont. IV, IV, vers. 23. — Colb. cum uno Brouckhusii, *velamine*.

123. *Fertilis anni.* Ed. Rom. *vertilis anni*, ut supra Barth. vers. 51, pro *fertilibus horis*, malebat *vertilibus*. Unus Statii *artis* pro *anni;* Paris. *annis*.

125. *Fera ... flamina.* Tres hi versus absunt a Lipsiensi.

126. *Egerunt flumina.* Reg. ex superiore versu *tenuerunt;* unus Vossianus *cogerunt;* Hamb. *genuerunt flammina* corrupte.

127. *Quin ... placidis ... undis.* In Regio ultima vox in litura erat scripta, et pro *Quin* idem *Cum*. Hic versus in Is. Vossii 3 deest.

Nulla nec aerias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quin largita tuis sint muta silentia votis.
Juppiter ipse levi vectus per inania curru
Adfuit, et cælo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus se præbuit aure;
Cunctaque veraci capite adnuit. Abditus aris

128. *Nulla nec.* Vulgo editum erat *Ulla nec*, Brouckh. veterem scripturam reduxit : pro *aerias*, Paris. *aereas.*

129. *Quadrupes densas* ... *aspera.* In uno *pensas*; Lips. cum uno Brouckhusii, *clausas.* Irrepsit quoque e superiore *perlabitur.*

130. *Quin largita.* Hæ duæ voces Brouckh. angunt, ut nihil habeat, quo sensui medeatur. Edidit itaque ille : « Quum largita tuis sunt muta silentia votis; » idem ostendere vult sensum hac lectione commode cohærere. Heynius τῷ *Quin* pepercit, sed *largita tuis sunt* scripsit. Lips. et Vossius 3 : « Quin largita tuis *sint;* » quæ mihi vera lectio videtur. Τὸ *Quum*, quod legi volunt e paucis, sensum impedit, qui præterea nullus erit, nisi decernas *perlabitur* et *depascitur*, posita esse pro *perlapsa est*, *depasta est.* At si legas : *Quin largita sint*, rem ad superiora retrahens, habebis sensum : nulla nec volucris est, nec quadrupes, *Quin*, id est, quæ non te vota nuncupante siluerit. Huschk. *sit* singulari numero reposuit, qua emendatione non opus est ; collective enim loquitur poeta. Sic quoque evanescit difficultas e verbo nata, quum Brouckh. contenderet *largita* passive dici, more veterum, qui *largio* dicebant, et Heynius assereret posse accipi vel passive, vel ut neutro ea comprehenderentur quæ antecessere, *flamina*, *flumina*, *mare*, *volucris*, *quadrupes.* — Vulgo legebatur *multa;* at in uno Angl. et Excerpt. Perreii *muta*, quæ vera scriptura est, procul dubio.

131. *Levi* ... *curru. Levis* dicitur propter celeritatem cursus. Horatius, lib. I, Od. XXXIV, vs. 8, *volucrem* Jovis currum dixit. Alio respectu idem, lib. I, Od. XII, vs. 58: « Tu gravi curru quaties Olympum ; » ob majestatem insidentis *gravem* dixit.

132. *Adfuit.* Unus Ital. et edit. Reg. Lep. *Adfluit*, quod probabat Burmannus, nimis docte. Voss. unus *Lucinum.* Similiter aberratum in Lips. sed prorsus mendose ; idem *Linquit.*

133. *Intentaque tuis* ... *aure.* Dresd. Goth. et Voss. 4, *suis;* in Zwic. 1, legitur *auræ.*

134. *Abditus aris.* Vulgo *additus*, quod H. Vossio visum est aurem lædere ; idem conjecit *ac citus*, textu tamen abstinuit. *Abditus* præbent duo Brouckh. cum Gothano. Huschkius id recipiens sensum exponit : lætior aris eluxit *super structos acervos* (super victimæ partes, aræ impositas.) Abditus ante, languidus, ignis. Valer. Flacc. lib. I, vs. 205 : « Protulit ut crinem densis luctatus in extis Ignis et adscendit salientia viscera tauri. »

Lætior eluxit structos super ignis acervos.
Quin hortante Deo magnis insistere rebus
Incipe; non iidem tibi sint aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris;
Nec fera Theræo tellus obsessa colono;
Nec qua vel Nilus, vel, regia lympha, Choaspes

135. *Lætior eluxit.* Mattius e suo libro hunc versum legebat: « Purior elusit substratos ignis acervos. » In multis legitur *Purior*; Lips. *Licior*; unus Angl. *Litior eduxit fructus.* Abest totus versus a Bern. Unus Heinsii *stratos* frequenti permutatione. Brouckhus. ostendit *struendi* verbum in hac re solemne esse.

137. *Non iidem tibi sint* etc. Sine ulla varietate ita legitur in Paris. et Guelf. 3, et hanc lectionem primus, quod sciam, expressit Aldus 1502, edit. min. 1472, et Vicent. *sunt*; Venet. 1491, 1493, *nunc idem tibi sint*; edit. Princeps: « Incipe nunc idem: tibi sunt aliisque triumphis. » Ita etiam codic. Lips. et Reg. Lep. in cujus margine notatur: Vulgo: « Non iidem tibi sint aliisque triumphi; » ex MSS nihil affertur. Dii tibi nunc sunt iidem, ac aliis triumphis. Horat. Od. I, XIV, 9: « Non tibi sunt integra lintea non Dii. » Favent sequentia. » Huschk.

138. *Non te... remorabitur.* Præsagientis animi esse hæc notat Brouckhusius, qui etiam de Gallorum virtute Ciceronem Sallustiumque loquentes inducit.

139. *Audax Hispania.* Esse grave verbum, hoc loco, pæne tantumdem ac scelestum, docet Brouckhusius; sed potest simpliciter esse *fortis*, *ferox*. Horat. lib. IV, Od. V, vs. 27, *feram Iberiam* vocat. Heyn.

140. *Theræo tellus obsessa colono.* Cyllenius habet *possessa*, quomodo et Heinsius malebat; sed nulla opus est mutatione. Brouckh. edidit *Tyrio ...colono.* Vulgo erat *Rhæteo* vel *Rhetæo*; in Cujac. *telereo*; unus Statii *terreno*; alius cum Guelf. 2, *Threicio*; unus Brouckh. *Tyreno*; quinadeo unus Heinsii, *Tartareo.* Sed plerique cum Cujaciano conspirant: unde Heynius veram lectionem agnovit; ut Africa, inprimis Cyrene intelligeretur, cujus conditores ex insula Thera, Θήρη, duce Batto profecti sunt, ut late Herodotus, lib. IV, 1, 47, persequitur. Jam Calpurnius in ed. Vicent. nostram probavit scripturam, et docte explicuit Cyllenius *Thereo*, id est, *Theræo.*

141. *Regia lympha, Choaspes.* Ex eo amne solo Persarum reges bibebant, etiam peregre profecti, etiam in bellicis expeditionibus. Rem omnem docte atque operose exposuerunt duo præclari viri, Barnabas Brissonius, de Regno Pers. lib. I, pag. 59, et Franc. Fernandius de Cordoua Didascaliæ multipl. c. 31. — Multum variat scriptura in voce *Choaspes*; Scaliger in suis invenit *Diaspes*; edit. Rom. *Cohaspes*; Vicent. *Coaspis.* Salmas. Polyh. pag. 492, de hoc loco disserens: « *Diaspes* corruptum ex *Chaspes*; nam et *Coaspes* et *Cuaspes* in nostris libris

Profluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes
Radit Arectæos haud una per ostia campos;
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe;
Impia vel sævis celebrans convivia mensis

hoc loco reperi scriptum, factum *Diaspes* divaricatis cruribus τοῦ κ. »

142. *Rapidus, Cyri dementia, Gyndes.* Menda scripturæ *Profuit, Tici, Cydnus, Ridnus, Cindus*, ne relatu quidem digna sunt. Gyndes fluvius est Babyloniæ, quem Cyrus iratus, ob submersum equum, in trecentos sexaginta alveos deductum, ita comminuit ut eum feminis quoque permeabilem faceret. Rex totam æstatem in opere consumpsit, et Babyloniis opportunitatem reliquit vires augendi et colligendi.

143. *Radit Arectæos haud una per ostia campos.* Hic versus cum duobus sequentibus, ut videtur, a Cyllenio inverso ordine legebatur ut tertius loco primi occurreret. Lubenter cum Huschkio exclamaverim: « Ab hoc ulcere manum abstineo. » Sed variæ lectiones et conjecturæ memorandæ sunt. Olim vulgo legebatur: *Cretæis ardens aut unda Caystria*, et inde a Mureto (id quod editiones veteres et scripti habent) *Carystia campis*, quod intelligebant de aquis ad Carystum Eubœæ urbem. Sed quorsum pertinet *Cretæis campis?* Quomodo a Perside in Eubœam transilit uno saltu poeta? Scaliger e Cujaciano reposuit: « Ardet Arectæis aut unda perhospita campis. » Arectæi a Strabone memorantur, inque iis lacus ardentes εἴθ' ἡ τοῦ Νάφθα πηγὴ καὶ τὰ πυρά. Heinsius principio emendabat, ut etiam Scaliger maluerat: « Ardet Arectæos aut unda per hospita campos, » ut jungerentur *per campos.* Heynius malit *undâ parum hospita*, quia omnia in eam injecta comburuntur. Idem probabiliorem alteram Heinsii conjecturam laudat: « Radit Arectæos haud una per ostia campos. » Hanc scripturam optimus quisque suscepit, eamdemque servavimus; sed conjectura mera est, ut nihil certi habeas. H. Voss. qua audacia est, testimonio Herodoti fretus versum subvertit hunc in modum: « Darnæos radens haud una per ostia. » Eligat, qui eligere potest. Librariorum inscitia præcipue nomina urbium, populorum, fluviorum deformavit, ut in quibusdam, ne divinando quidem sinceram lectionem adsequi possis.

144. *Nec qua.* Schæfferi liber, *Nec quæ*. Pro *vago*, Vossii 5, *novo*; idem *Tamyris*; cæterum in mira varietate versatur nomen hoc; Herodoto Τόμυρις dicitur lib. I, cap. 205; Luciano in Charonte Τώμυρις; Valerio Maximo, lib. X, cap. 10, *Thamyris*; Paullo Orosio, lib. II, cap. 7, *Tomyris*. Cyrus ad fluvium Araxem ab illa superatus est. Adi Justinum, lib. I, cap. 8.

145. *Impia vel sævis celebrans.* Auctor est Herodot. III, c. 99, Padæos Indiæ populum versus Auroram, si quis ægrotaret, eum mactare solere atque ejus carnibus vesci, viri quidem viros, mulieris autem mulieres. Tum si quis sanus ad senium perveniret, eo itidem cæso epulari atque ob eam causam perpaucos istic senes reperiri. Broukh. — Vulgo editum *impia nec*. H. Voss. qui hoc modo τὸ *qua* desiderari existimat, e Monac. reposuit *vel*, ut sensus

Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus;
Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Mosynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem:
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interjecto mundi pars altera sole;
Nam circumfuso considit in aere tellus,

inde a *nec qua* continuaretur; Joh. Schrader. idem conjectura assecutus erat. Carrion ad Val. Flaccum, lib. VI, vers. 750, emendat, *Nec pia qui sævis*. Sibi habeat istam textus depravationem.

146. *Padæus*. Ita et Regius; in aliis *Pachæus*, *Pharæus*, *Padetus*; edit. Vicent. *Baccheus*; Guelf. 3, *Pacheus*. Unus apud H. Voss. *vicinis*; alius *arvaque*.

147. *Quaque Hebrus*. Brouckh. de orthographia nominis Histri multum disserit, quem fluvium, ubi semel nominandi casu *Histrus* dixit, per hunc versum fluere jubet, quum antea Hebrus consensu omnium reciperetur. Sed exclamat Brouckhusius: « Quid Hebro Thraciæ fluvio cum Getis? » H. Voss. ostendit nihil in his esse, quod nos premat: Getæ quidem ad Danubium habitant; pertinent autem ad montem Hæmum usque; quinadeo olim Rhodopæum attingebant, unde factum, ut Hebrus memoratis Getis, tanquam eorum fluvius diceretur. Mosyni a Vossio expelluntur, quippe qui Ponti-Euxini orientale littus incolerent olim, neque cum Tanai bene jungerentur; testibus Apollon. Rh. lib. II, vers. 379, 1015; Plin. Hist. Nat. VI, 4; Mela, lib. I, cap. 19; et variant sane libri in *Mosinos*, *Musinos*, *Maginos*, *Magiros*, *Magistros*, *Magaros*, *Magios*, *Molosos*: unde Voss. conjiciens, *atque Gelonos*, vel *atque Agathyrsos*, prius in textum recepit, quasi ex ipsis scripturæ mendis, appareret. Ego vero quid similitudinis intersit inter varias illas corruptasque voces et *Gelonos* non video. Itaque *Mosynos* in pristina sede manere sivi, integrumque negotium in perditis atque desperatis habui.

148. *Quid moror?* Is. Vos. primus *Quis*, pariterque Lips. Hic etiam pro *qua* habet vocem inexplicabilem *opia*. Duo Brouckh. *orbes*. Huschk.

149. *Regio sese offeret armis*. Lips. *regno*. Unus Gebh. *efferet*, alter *afferet*; edit. Vicent. *effert*. Paris.: « Nulla tibi adversis regio se offerret in armis. »

150. *Invictus Britannus*. Hor. Epod. VII, vs. 7, *intactus Britannus*. Cæsaris escensione Britannos non domitos fuisse, omnibus notum est.

151. *Interjecto mundi pars altera sole*. Intellige terras ultra tropicum, sive ultra zonam torridam, in qua solis via seu orbita est. Heyn.

152. *Circumfuso considit in aere tellus*. *Considit* ex emendatione Heinsii recepit Brouckh. antea legebatur *consistit*. Heynius, in Observationibus, τὸ *consistit* damnatum nolit, et Heinsium audaciæ arguit. Accedunt nunc Heinsii conjecturæ codices Ask. et et Goth. Cæterum vide Heinsium ad Ovid. Fast. lib.

Et quinque in partes toto disponitur orbe:
Atque duæ gelido vastantur frigore semper.
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque nivemque;
Quippe ubi non unquam Titan superingerit ortus.
At media est Phœbi semper subjecta calori,

I, vs. 110, et lib. V, vs. 13: « Pondere terra suo subsedit et æquora traxit. » Heynius sensum de situ ac loco capit, qui terræ adsignatus est, pariterque Ovidium auxilio vocat, Metam. lib. I, vers. 54: Illic et nebulas, illic consistere nubes Jussit. »

153. *Toto disponitur orbe.* Guelf. 1, ed. Rom. Venet. 1491, 1493, Ald. pr. *totus orbis*; Ald. 1515, *totos orbes*; edit. min. ann. 1472: « Et quicumque in partes totus disponitur orbe. » Scaliger e melioribus nostram reduxit lectionem, quam jam commendaverat Statius, et quæ inest Guelf. 2, 3, ac Corvin. Varro Atacinus in chorographia apud Isidorum, (vid. Wernsdorf. Poetæ Latini minores, tom. V, part. III, pag. 1403): « Et quinque ætherius zonis accingitur orbis; At vastant imas hiemes mediamque calores. Sic terræ extremas inter mediamque coluntur, Qua solis calido nunquam rota ferveat igne. »

154. *Gelido.* Cod. Lips. et edit. Vicent. *gelide*; Zwic. 1, *gelidæ*.

155. *Illic et densa* etc. Arborum umbram ridicule intelligebat Passeratius, quum de caligine sermo sit, eodem modo ac apud Virg. Georg. lib. III, vs. 357: « Tum sol pallentes haud unquam discutit umbras. »

156. *Nulla incepto* etc. De aqua labi incipiente loquitur, quæ statim gelu vincitur. Sunt qui contendant *incepto liquore* ferri non posse. At Brouckh. optime illos refellit, exempla referens. Libri nihil variant, nisi unus qui *inrepto*, et alter qui *intecto* habet. — Wakefildius, ad Lucret. lib. III, 1055, h. loc. ita emendat: « Illic extensa tellus absconditur umbra, Et nulla incerto perlabitur unda liquore, » additque; « in primo versu libri habent *Et densa*, sed *densam* statim sequitur. » Sed ista vocis repetitio non persuadet. Cæterum non inficias iverim *extensa* dici posse, ut demonstrat Huschkius, sed quæritur cur aliquid mutandum.

157. *Sed durata riget.* In Bern. *dura rigent.*

158. *Titan superingerit ortus.* Scaliger e suis, quibus adde Guelf. 2, 3, Corvin. et septem libros apud H. Voss. ediderat *superegerit*. Passeratius hinc faciebat *superexerit*. In duobus apud Voss. *non nunquam*; pro *ubi* in nonnullis *ibi*, mutavit e libris Statius. Festus Avienus, Descrip. Orb. Terr. vers. 62: « Vix hebes has oras ardor Titanius adflat: Vix evecta dies inluminat, omneque late Pingue tenebrosa cælum subtexitur æthra. » Adi quoque Varronem, de Re R., lib. I, cap. 2. Lotichius imitatione sua comprobavit *superingerit*: « Nunc autem tepidos Phœbus superingerit ortus, etc. »

159. *Subjecta calori.* Unus Vossii *colori.*

Seu propior terris æstivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terræ.
Non illic colit arva Deus Bacchusve, Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.

160. *Seu propior terris.* Paris. *proprior;* unus. Angl. et Lips. *terras.*— *Æstivum fertur in orbem.* Percurrit illud spatium versus Tropicum Cancri, quod, quum emetitur, apud nos æstas est. Dixit illud *orbem*, quia in orbem eundo sol peragrat. HEYN.

161. *Decurrere luces.* Libri nonnulli habent *noctes;* omnino falsum; hieme enim noctes longæ sunt, dies contra breves. Ipse Virgilius, Georg. lib. II, vers. 481: « Quid tantum Oceano properent se tinguere soles Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet. » Ed. Rom. Brix. Venet. 1491, 1493, *properet deducere noctes* sed longe præstat τὸ *decurrere* ut supra, vs. 51: « dum terna per orbem Secula fertilibus Titan decurrerit horis. » Pacuvius apud Varronem de L. L. lib. V, c. 2: « Exorto jubare, noctis decurso itinere. » Wakefildius versum 159 huic submittit, quod etiam Huschk. placet; ego non intelligo, cur aliquid loco movendum sit.

162. *Presso tellus consurgit aratro.* Cyllenius e pluribus libris legerat *exurgit*. Idem nuper fecit H. Vossius; sed *consurgere* tellus videtur per sulcos qui *suscitari* dicuntur Virgilio, Georg. lib. I, vs. 97.—Plinius, Epist. V, VI, § 10: « Tantis glebis tenacissimum solum, quum primum prosecatur, adsurgit, ut nono demum sulco perdometur. » Pindarus, Pyth. IV, vs. 405: ὀρθὰς δ' αὔλακας ἐντανύσαις Ἤλαυν' ἀναβωλακίας δ' ὄργυιαν σχίζε νῶτον γᾶς. Hom. denique Odyss. lib. XVIII, vers. 373: εἴκοι δ' ὑπὸ βῶλος ἀρότρῳ.

163. *Præbent, nec.* Corvin. Guelf. 2, et Hamb. *neque*. H. Vossius cui *terræ* non idoneum vocabulum videtur, ad pascua designanda quæ plerumque inter silvas et saltus sunt, conjicit *tesqua*, admodum infeliciter. *Terræ* non idem hic significent, quod ἄρουραι apud Hesiodum; sumendæ sunt contra pro tellure quæ pabula negat.

164. *Bacchusve Ceresve.* Vossianus quintus *Bacchusve Ceresque.* — Neque vinum, nec frumentum propter solis æstus illic gignitur. BACH.

165. *Nulla nec exustas* etc. Unus Colbertinus habet *ulla*, et sic infra Carm. XIII, 4. H. Voss. *nulla per* edidit ex ingenio. Heynius existimat græcum loquendi morem secutum esse Nostrum, perinde ac Propert. lib. II, El. XVIII, vs. 32: « Absenti nemo ne nocuisse velit. » Idem Heynius ad vs. 128 scripserat: « Duplex hæc negatio locum habet in repetitione particulæ; est enim quasi distinguendum: *Nulla nec avis, nec quadrupes.* Unde valde dubito de varietate lectionis, vs. 165. » Huschk. notat illum suam ipsius observationem evertisse, citando Propertii loco. Apud Latinos interdum duæ negationes fortiter negant etiam sine repetitione illa. Huschkium sequi libet de his docentem; pergit enim hoc modo: « Negativas duas pro negativa una accipiendas Varro monstra-

Fertilis hanc inter posita est, interque rigentes,
Nostraque, et huic adversa solo pars altera nostro;
Quas similes utrinque tenens vicinia cæli
Temperat, alter et alterius vires necat aer.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.

vit de vita populi romani, lib. II: « Qua abstinentia viri mulieresque Romanæ fuerint, quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere. » Terent. Andr. act. I, sc. II, vers. 35, omnino, ut commode monet Wittenbachius, Bib. critic. XII, p. 5: « Constructionum negantium tanta est varietas, ut multæ illarum formæ nondum satis teneantur, nec Grammaticorum libris ad rationem revocatæ tradantur. » Vide Muret. ad Catull. Carm. IV, vs. 4, et quos laudat Dukerus ad Florum, lib. III, cap. 17: « Nec ideo minus socii.... desierunt. » Ingratus sonus præcipue H. Vossium impulit, ut *per* τῷ *nec* substitueret; sed perfrequens est concursus syllabarum *nec ex*, ut ostendit Huschkius e Propert. lib. III, El. 9; Virgil. Æn. lib. V, vs. 669 et 781, et Cicer. Orat. pro domo sua, cap. 14. Nonnulli libri *terras* habent pro *partes*; sed pro glossemate habendum est.

166. *Rigentes*. Quidam libri *rigentem*. Hamb. *uterque rigentem*, quod H. Voss. suspicatur corruptum esse e verbis, *et utramque rigentem*. — Illa autem forma, ut *inter*, *inter* repetatur, ubi solemnis usus et ipsa ratio unum tantum *inter* admittunt, passim a viris doctis observata est; inprimis Horatiana exempla, Serm. I, 7, 11, 12; et Ep. I, 2, 11, 12: ubi vide Bentl. ad quæ loca tuenda hic ipse versus e Tibullo affertur. Heyn.

167. *Huic adversa*. Patet cuicunque, poetam hic loqui de zona temperata australi. Unus Vossianus post *nostro* exhibet *est;* Monac. *sole*, corruptum e *solo*.

168. *Quas similes utrinque*. Brouckhusius et Heynius: « Quas utrinque tenens similis. » Heynius ita explicat: « Quum cælum in utraque temperata zona tantumdem remotum est, *similis* pro *par*, ita ut ea *utrinque*, ab utraque parte, habeant hinc gelidam, illinc fervidam cæli plagam: unde interposita plaga temperatum habet aerem. » Hæc quidem Heynius qui *similis* cum *vicinia* jungit. Nos autem *similes* amplexi interpretamur: quas similes zonas utriusque cæli plagæ vicinia et torridæ, et gelidæ temperat. Duo libri apud H. Voss. *utrique;* unus *uterque*.

169. *Alter et alterius vires necat aer*. Solemni errore in omnibus fere libris et editionibus *negat*. Emendavit jam Statius post Muretum. Calor aeris ex torrida spirantis exstinguit, perimit, sive temperat frigus aeris qui ex frigida spirat. Ovid. Met. I, vs. 51: « Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma. » H. Vossius neglecta librorum fide, quorum tres emendationem *necat* firmant, immutavit *ut... necet*. Huschk. Lucani locum, lib. IX, 431, contra H. Vossium affert, cujus tamen conjectura sua ipsius debilitate corruit.

170. *Vertitur annus*. *Labitur* in quibusdam libris et ed. Scaliger e Cujac. revocavit *vertitur*, quod aptius ad anni quatuor tempora designanda:

Hinc et colla jugo didicit submittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos;
Tondeturque seges maturos annua partus;
Et ferro tellus, pontus confinditur ære:
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
Ergo, ubi per claros ierint tua facta triumphos,

tempus enim *labitur*, præterit, ut apud Ovid. Art. Am. lib. III, vs. 65: «cito pede labitur ætas;» at mutatæ anni vicissitudines *vertuntur*.

171. *Hinc*. Brouckh. tacite e libris hanc lectionem restituit. Vulgo *hic*, quod ferri posset, si idem superiori versui redderes. Vossianus 5 *subnectere*, Regius pro *didicit* habet *dedit*. — *Hinc*, scilicet propter temperatum aërem.

172. *Et lenta excelsos vitis*. De Italiæ vitibus vide Plinium, lib. XIV, cap. 1. Eborac. liber *læta*, perpetua variatione; sed *lenta* verum, quia complectitur arborem capreolis, palmitibus et per ramos adscendit. — Unus H. Vossii *et celsos*.

173. *Tondeturque seges* etc. Græca structura; sed non video quid in hoc versu Heynium Bachiumque offendere potuerit, neque intelligo quid cum duplicibus metaphoris sibi velint. Noster, lib. II, El. 1, vs. 48, dixit: «Deponit flavas annua terra comas,» idem hoc est, quod *tondetur*. Virgil. Georg. lib. IV, 137, de Corycio sene: «Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi.» Idem, lib. I, 289: «Nocte leves melius stipulæ, nocte arida prata Tondentur.»

174. *Pontus confinditur ære*. Multi *confunditur*, etiam *contunditur*; Guelf. 2 pro v. lect. *conscinditur*. *Æs* navium rostra designat. Heyn. conjici posse putat *ut ferro tellus* subintelligendum ita *pontus confinditur ære*. At nulla emendatione opus est.

175. *Structis exsurgunt oppida muris*. Heinsii liber *estructis*; Goth. *extinctis*; Brouckh. in duobus *consurgunt* habebat, adstipulantibus uno Stat. et Colb. — Heynius quoque optat *consurgunt*. H. Vossius idem textui immisit laudatque Ovid. Met. XV, vs. 431; Lucan. lib. III, vs. 379, et Propert. lib. IV, Eleg. 1, vs. 125. Bach. Vossium secutus est, Huschkius autem *exsurgunt* servavit, Livii locum, lib. VI, cap. 4, afferens: *exsurgere ædificiis*. — Paris. Lips. cum aliis *exurgitat*.

176. *Per claros ierint*. Omnes libri editi ante Scaligerum habent: «Ergo ubi præclaros poscent tua facta triumphos.» Scripti eadem præbebant, exceptis perpaucis. Quidam etiam *fata* pro *facta*, quod Heynius probat. Idem primum *poscent* defendebat, mox vero correxit *mereant*; Cujac. *præclaros ierint*; Vossius 1, *per claros ierint sua*; Cod. Lips.: «Ergo ubi p̄claros poserint tua facta tumphos,» ita ut duplicem lectionem *poscent* et *ierint* in unam confundat. Scaliger nostram refinxit lectionem. Eodem modo Ovid. A. A. lib. III, vs. 87: «Ite per exemplum, genus o mortale, dearum.» Statius Achil. lib. I, vers. 4: «Nos ire per omnem, Sic amor est, heroa velis.» Heynio hæc parum accommodata esse videntur; itaque alia affert Ovidii, Fast. lib. I, vers. 15: «Adnue conanti per laudes ire tuorum,» et Trist. lib. V, IX, vs. 32: «Per titu-

Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantæ præconia laudis,
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius; æterno propior non alter Homero.
Languida non noster peragit labor otia, quamvis

lum vetiti nominis ire cupit.» Trist. lib. II, vs. 168: « Per tua, perque sui facta parentis eant; » Consol. ad Liviam, 413: « Perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque, » at nullum Heynio inter hæc exempla, ad locum nostrum facere videtur. Huschkius ait: *facta* paulo insolentius *per triumphos eunt*. Cicero pro Balbo c. 6, de Pompeio: « Cujus res gestæ omnes gentes cum clarissima victoria terra marique *peragrassent*: cujus tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri. »

177. *Solus utroque...in orbe*. Brouckhus. Asiam intelligit et Europam, Varronemque, Sallustium, Orosium et alios convocat, ut opinionem hanc tueantur; sed existimo illum rem altius, quam par erat, repetiisse: in promptu enim est, quid poeta voluerit, qui vix absoluta zonarum descriptione, certo nihil aliud hoc loco significavit quam utramque temperatam...Regius cum septem apud Brouckh. et Guelf. 3, *maximus orbe*. Vossiani 3, 4, 5, et Monac. idem habent; unde H. Voss. ita edidit; non potuit tamen, quin conjecturam excogitaret: « Solus utrique idem diceris maximus orbi.»

178. *Non...sum satis*. Lucanus, lib. I, vers. 66: « Tu satis ad vires Romana in carmina dandas.»

179. *Si præscribat carmina Phœbus*. Passeratius explicat: « Præcipiat et monstret, ut scribendi magister discipulo, quomodo scribendi componendique versus; » quod Vossio absurdum visum est; itaque edidit, *non si præstabit*, e duobus Brouckh. et Goth. Et hoc interpretatur ut Apollo, eodem modo quo lib. II, El. v, vs. 2, 4, poetæ modos et verba præludens indicet. Sed incassum tantam ingenii impensam fecit doctus vir. *Præscribere* autem nihil aliud est quam *docere*; vide Cicer. Div. lib. II, 59: deinde *præstare alicui carmina* pro *præbere* nemo dixit nec dicere potuit. Denique temporum consecutio vel *præstet* vel *præstiterit* postularet.

180. *Se accingere*. De iis qui magnum aliquid moliuntur, conantur, Virgil. Georg. lib. III, vs. 46: «Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas.»

181. *Valgius*. T. Valgius Rufus scripsit multa, quæ invida sæcula perdiderunt, ut de tanto homine nunc, nihil nisi nomen superfuit. Horat. Sat. lib. I, 10, vers. 81, et Od. lib. II, 9, illum maximis laudibus extollit. De Valgio docte disserit Brouckh. et memorat ejus elegos, epigrammata et bucolica. Cave poetam cum Caio Valgio Rufo confundas, quem Plinius inter eos nominat, qui latine de usu herbarum scripserunt. Fuit autem hic Caius consul suffectus in locum M. Valerii Barbati, in magistratu mortui, A. U. DCCXLI.

182. *Languida non noster*. Brou-

Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget;
Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, fecundas ad deficientia messes,

ckhus. ex Lipsii Excerp. *languida nam noster*, hæc subjiciens : « Ideo Valgii humeros illi oneri subjicit, quod ipse laborem refugiat, conscius sibi virium exiguarum, atque otium sectetur, quamvis in re non lautissima. » Sed nostra lectio librorum consensu gaudet; diverso sensu, sed pariter idoneo. Heynius legi mallet *languida nec noster*, ut *nec sit non tamen*; idem fecit Voss. consentiente codice Corvin. Heynius quoque *peraget* proposuit.

183. *Fortuna, ut mos est illi.* Te ad Tibulli vitam refer; inibi enim declaravimus quid de hoc versu statuendum esset... Heynio sententia manca videtur, desideratque ille *ut mos est illi affligere bonos*. H. Voss. novum versum Tibulliano substituit e somniis suis, quæ semper librarium ineptum ostendunt, ut eum ineptiis onerent. Edidit ille *Fortuna ut mos est, Musis adversa fatigat.* Editoribus fere omnibus verba *ut mos est illi* suspecta sunt, et uncis inclusa, quasi nullum sensum habeant probum. At Lucilius apud Stephanum, p. 164 : « Altas frontibus immissas, ut mos fuit illis. » Horat. Satyr. lib. I, IV, vs. 95 : *defendas, ut tuus est mos.* Livius, lib. V, cap. 39 : « Postremo cæsorum spolia legere, armorumque cumulos, ut mos eis est, coacervare. » Huschk. quoque emendationem affert : « Fortuna ut nosti semper me adversa fatiget. » Exemplo Horatii fretus *ut ipse nosti curiosus*, Epod. XVII, vers. 77. Schefferi liber habet : « Fortuna ut mos illi semper adversa fatiget. » In quibusdam libris *fatigat*, quod amplexus est Bachius.

184. *Domus alta niteret.* Hor. Sat. lib. II, V, vs. 12 : « Res ubi magna nitet domino sene. » Contra in paupertate omnia *squalent, sordescunt.* —In Goth. *dotibus* pro *opibus*.

185. *Ditantes ordine sulci.* Seu ordinem sulcorum animo subjicias, seu *ditantes ordine* jungas, quia tempore segetes quæque suo, non cunctæ simul, maturescunt, ut Brouckhus. faciebat. Heyn. Ayrmann. emendat *distantes ordine*. Heinsius etiam *sulcos* tentabat, conjiciens : « Cui fuerant flavi ditantes horrea culmi. » Heynius ait : in Tibullo si quid tentandum putarem, refingerem τὸ *ordine* in *horrea* ut repeteretur idem vocabulum : *ditantes horrea sulci, horrea* etc. Licet in hoc carmine quidvis, etiam salvo Tibullo, refingere possis, nihil hoc loco mutandum censeo, ex ipsa Heynii interpretatione, quæ servandæ voci *ordine* inservire potest vel maxime; in Mon. *qui*; in Bern. *cum*; unus Brouckh. *alti* pro *flavi*.

186. *Horrea... deficientia.* Heynio sunt minora, non satis ampla. Olim vulgo in omnibus legebatur *fecundis indeficientia mensis*. Messis erat in Cujaciano. Heinsius varie tentabat locum. Ayrmann. in vita Tibulli § 7, legit : « Horrea fecundas et deficientia messes. » Crusius vero, « Horrea fecundas nec deficientia messes. » In Regio : « Ordea fecundis indeficientia mensis. » Heynius notat legi posse, *fecundas in deficientia messes*, ut dicitur : *deficit pe-*

Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, et nimium furique lupoque:
Nunc desiderium superest; nam cura novatur,
Quum memor anteactos semper dolor admonet annos.
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis,
Non te deficient nostræ memorare Camœnæ.

cunia insumtus. Emendationem quæ Scaligero tribuitur, jam Perreius Aldinæ adscripserat, et Ed. Gryph. 1573 in margine habet. Monach. nec hunc nec sequentem versum exprimit.

187. *Agmine.* Sic editt. principes. Venet. 1475, 1491, 93. Vicent. et Reg. Lep. *agmina*, quo Passeratius inductus est, ut emendaret: « Cuique pecu denso pascebant agmina colles. » Heinsius corrigebat *cui pecoris*, ut esset *satis pecoris*. Askew. *ordine* habet Goth. *valles* pro *colles*.

188. *Nimium.* Bern. *nimio.*

189. *Nam cura novatur.* Conjicit Heyn. τὸ *nunc* a poeta iteratum fuisse. H. Voss. sine dubitatione *id* τῷ *nam* in textu substituit.

190. *Admonet annos.* Brouckhus. e quindecim libris *admovet* prætulit, ut elegantius. Heinsius legebat: « Quum memori anteactos semper dolor admovet annos. » Cæterum magna est lectionis varietas: in plerisque legitur: « Quum memor accitos semper dolor admonet annos. » *Anteactos* e suo reposuit Scaliger. Edit. Rom. cum duobus italicis *attritos.* Douza *accisos... annos* olim emendabat, quod non displicet Heynio, dummodo *annum* accipias de proventu annuo: addit tamen Heynius, res in vado esset, si *accisos agros* legeres; in duobus Statianis uno Brouckhus., unoque Heinsii etiam Guelf. 2, *accitus*, quorum alludunt tres alii, in quibus *attritus*; unde Heynius legi posse dicit: « Quum memori accitus semper dolor admovet annos. » *Admonere* dicitur quidquid aliquo cum aculeo teloque in memoriam redit. Sallust. Jug. 79, *eam rem locus admonuit*; Ovid. Met. XIV, vs. 465: « Admonitu luctus renovantur; » Tibullus; lib. I, El. v, vers. 40: « Admonuit dominæ deseruitque Venus. » Huschkius τὸ *accitus* merito falsum esse sic declarat: « suspicor in libro aliquo scriptum fuisse *aticos*, id est, *antiquos*, ut *cocus* scribebant pro *coquus*, item *cotidie* pro *quotidie* jam illud quam facile mutari potuerit in *acitos* vel *accitos* nemo non videt, quum litteræ *c* et *t* paululum differant in libris scriptis, ut sæpe nescias utrum *arces* legendum sit, an *artes*. Ergo optio nunc datur eligendi sive *antiquos*, sive *anteactos*, quorum alterum alterius interpretatio est. Nam *antiquum* dicitur universe pro *præterito* etiam brevissimo tempore. Mihi lectio *anteactos* retinenda videbatur, confirmata etiam codice Vindob. »

191. *Spolierque relictis.* Cerda ad Æn. VI, vs. 168, supplet *annis*, ridicule. Cod. Paris. edit. min. anni 1472. Venet. Reg. Lep. *relictus.*

192. *Non te deficient Camœnæ.* Propert. lib. I, El. VIII, vs. 23: « Nec me deficiet nautas rogitare citatos. » Unus liber *desient.* Ejusdem prorsus sententiæ est vers. 203: « Nulla mihi statuent finem te fata canendi. »

Nec solum tibi Pierii tribuentur honores :
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis;
Pro te vel solus densis subsistere turmis,
Vel parvum Ætneæ corpus committere flammæ.

193. *Nec solum tibi Pierii.* Ex uno Matii libro Brouckh. ordinem invertit. *Nec tibi Pierii solum*; accedunt duo Vossiani. *Nec solum* subsistere potest, quamquam non sequente *verum etiam.*

194. *Rapidas ausim ... maris ..., undas.* Ed. min. an. 1472 *ausun;* Hamb. *per te ... ausum. Rapidas maris undas* et hoc loco sicco pede transierunt editores, ut supra vs. 126; vide lib. I, Eleg. II, vers. 42, ubi quidam libri *rabido* habent, sicut hoc loco *rabidas* pro *rapidas* cod. Witt. Etiam vs. 126 Guyetus *rabidum* corrigebat, obnitente Heinsio. HUSCHK.

195. *Adversis* etc. Cod. Lips. tres hos versus inverso ordine exhibet. *Vel parvum... Pro te... Adversis.* Similis confusio est in libris Voss. 1, 4, et Goth. HUSCHK.

196. *Densis subsistere turmis.* Burmann. jun. optat *Densas subsistere turmas*; H. Voss. e quibusdam libris *densis* ante *solus* posuit; Guarn. *Pro te densis vel solus*; quidam libri *obsistere*, procul a vi verbi *subsistendi.* D. Brutus, lib. II, ad fam. Ep. 10 : « Non si Varronis thesauros haberem, subsistere sumtui possem. » Livius, lib. XXVII, cap. 7 : « Maxime movit Patres Asdrubalis transitus in Italiam, vix Annibali atque ejus armis subsistentem. »

197. *Vel parvum... corpus.* Inter tot doctorum diversas sententias, vulgatam servare præstat, quæ si ridicula, eidem fato obnoxia erit, cui fere integrum hoc carmen. *D'Orville* ad Chariton. p. 636, inquit : « corpusculum ibi suum vocat *parvum* respectu magnæ et immensæ illius flammæ, quæ in montis Ætnæ barathro ardebat. » Manil. lib. V, vs. 592, de Andromeda : « Quantula præda maris! » Alii quidam pertica adhibita poetam ipsum humilioris staturæ fuisse volunt; Brouckh. tamen obstat, per quem hanc interpretationem admittere minus licet. Qui fieri posset enim, ut Tibullus parvus fuerit quem Horatius *formosum* dixit; tales homines *venusti* potius et *belli*, quam *formosi* dicuntur. Bach. *parvum* non ad corporis figuram, sed ad juvenilem ætatem refert. Sed si Tibullus tandem auctor putandus est, certo non juvenis hoc carmen scripsit : licet enim etiam puero dignum sit : vers. 190, anteactos memorat annos, illos sane per quos vitam degerat omnibus commodis instructam. Ridicula est vulgata lectio, ut eo ipso eam pro vera habeam ; adde quod omnes omnium libri consentiant, et jam satis erit ad emendationes rejiciendas quas quisque ex ingenio protulit. Heinsius *vel par sim.* Quidni *possim?* junior Burmannus *pronum :* equidem doleo quod metrum impedimento fuerit quominus aliquis Pseudo-Tibullum Ætnæ *resupinum* immitteret. Brouckh. *vel pavidum* edidit; H. Voss. *nec pavidum*, quod cordi melius, quam corpori convenire notat Heynius, favente Brouckhusio, sed difficultatem loci ope

Sum quodcumque, tuum est : nostrî si parvula cura
Sit tibi quanta libet; si sit modo : non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi;
Posse Meleteas nec mallem mittere chartas.
Quod tibi si versus noster totusve minorve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore :

distinctionis admodum doctæ eludente. Huschkius, *nec parcam* proponit; at mera est conjectura. Cæterum unus Angl. habet *æternæ;* Lips. *eneæ;* Ed. Reg. Lep. *Ethnæ;* unus Statii *submittere*.

198. *Nostri si parvula cura*. Heinsius : *nostri sit parvula cura;* hunc Brouckh. et Heyn. secuti sunt. At Voss. Bach. et Huschkius *si* prætulere e libris optimisque editionibus.

199. *Si sit modo*. Ed. Lips. cum aliis, *si sint;* Rom. cum Venet. *sic sit;* Vossii 4, *nunc* pro *non*.

200. *Non magni potior sit fama Gylippi*. Vide Plutarch. in Vita Niciæ; Justin. lib. IV, cap. 4, 5; Paullum Orosium, lib. II, cap. 14. — In Goth. *Mihi* pro *sit*. Cod. Lips. et Heins. *Gulippi*. Cyllenius ita : quidam *Philippi* legunt patris Alexandri Magni, qui multa memoratu sempiterno digna fecit.

201. *Meleteas nec mallem mittere chartas*. Brouckhus. edidit *vincere*, Scaligerum secutus, qui e Cujac. ita reposuerat; in reliquis fere omnibus *mittere*, eodem sensu quo *emittere*, in vulgus edere. Auctor Ciris vers. 92 de suo poemate loquens : « cantus meditanti mittere certos. » In duobus Italicis est *emittere*, quod usitatius. Plinius, lib. I, Epist. II : « Libelli, quos emisimus, dicuntur in manibus esse. » In Guarn. *dimittere*. H. Vossius edidit, *nec malim emittere*. Invenitur etiam *tangere*, fortasse pro *attingere*. Ed. maj. ann. 1472, *melletheas ... barchas;* minor *posse me letheas :* sic unus Vossius et ed. Reg. Lep.—Cod. Lips. et duo Voss. *tardas*. Paris. « Posse Meleteas mallem quoque mittere chartas. » Huschkio si accredas, scripsit Tibullus : « Posse meleteas nec mallem pangere chartas; » ut Mart. lib. XI, III, vs. 7 : « At quam victuras poteramus pangere chartas. » Conjecturam *malim*, quæ H. Vossii est, plane rejicit Huschkius. — *Meleteas chartas* vocat, quæ Homericæ sunt. Fluvius enim Μέλης, poetico loquendi more Homeri pater dicebatur; inde ille Μελησιγενής dictus. Brouckhusius nummum describit Amastrianorum, in cujus una facie Homerus diadematus ac bene barbatus; in altera fluvius Meles urnæ innixus, cum lyra supra genu dextrum erecta. Vide Spanh. de Usu ac Præst. Numism. pag. 488.

202. *Quod tibi si... totusve*. Rom. ed. *sit;* mox Guelf. 1, 4, *notusve;* Hamb. *totus nosterve* inverso ordine. Vindob. in margine, *Cum tibi*. Nullus fere editor hunc locum præteriit, quin eum jurgiis meritis peteret. Heinsius emendavit *minorve*, quum *minusve* legeretur. Recepimus quidem, sed nihil emolumenti inde retulimus in versu tam sordido ac corrupto.

203. *Vel bene sit notus*. Ita Brouckhusius e libris potioribus. Vulgo inde a Mureto *Vel bene si totus;* et in Aldinis Rom. Lips. ac Vicent. *si no-*

Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quinetiam mea quum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies fato properat mihi mortem,

tus inerret in ore. Cod. Paris. edit. min. ann. 1472, Ald. *maeret;* cod. Lips. edit. Reg. Lep. Venet. 1491, 1493, *meret;* Vicent. *inhaeret.* Hinc Muretus fecit *inerret*, quod legitur in Florentino, Stat. Hamb. Witt. et uno Brouckh. Hæc proba est locutio. Virgil. Cir. vs. 356: « multus ineptæ Virginis insolito sermo novus errat in ore. » Sed Scylla mendax varia comminiscitur, *hæsitante lingua.* Huic recte dicitur sermo *errare in ore*, vel *inerrare ori.* Num etiam patrono poetæ cujusdam versus vel carmen, cujus aliquam aliquando mentionem facit honorificam, *inerrat in ore?* non ego id crediderim. Immo accuratius dicas, carmen illi *hærere in ore.* Ovid. Met. lib. X, vs. 204: « Semper eris mecum, memorique hærebis in ore. » Erunt igitur qui horum versuum auctorem scripsisse putent: « Vel bene sit notus, summo vel inhæreat ore; » ut habent Colot. tres Angl. cum edit. Vicent. *inhæret in ore:* sed aliud est *memori in ore hærere*, aliud *summo inhærere ore*, vel *ori.* Illud est commemorari perpetuo; hoc, adhærescere linguæ, ita ut pronuntiari nequeat. Quod accidisset, credo, Messalæ, si quis ei tales versus obtulisset. Habebat vero auctor in votis, ut Messala hoc carmen interdum cum laude commemoraret, versus *in ore haberet* (Cicer. de Offic. lib. III, cap. 21) quod Græci dicunt ἔχειν διὰ στόματος. Hoc nos ad alteram lectionem reducit. Et satis docet prior sententia *Vel bene sit notus*, scripsisse illum *summo vel inerret in ore.* HUSCH.

204. *Statuent finem.* Unus Angl. *finem statuent;* H. Voss. ita edidit, ut expressius esset. Paris. et nonnulli *statuunt.*

205. *Mea quum tumulus contexerit ossa.* Ita Brouckh. secutus Muretum: antea legebatur, *mea tunc tumulus quum texerit ossa.* In duobus Italis: « Quinetiam tumulus mea quum contexerit ossa. » Edit. min. ann. 1472: « Quin etiam mea tunc tumulus seu texerit ossa. »

206. *Matura dies fato properat.* Scaliger e Cujac. reposuit *celerem*, libris omnibus contra facientibus, et *fato* præbentibus. H. Voss. Wunderlich. Bauer. Bach. veterem scripturam revocandam esse viderunt. Heyn. quamvis ejusdem sententiæ foret, emendationem Scaligeri non e textu ejecit. Huschk. pariter *celerem* edidit, quod præfert nisi pro *fato* legas *fati. dies fati*, τὸ μοιρόκραντον ἦμαρ (Æschyl. Coeph. vs. 608.) Ovid. Epist. I, vs. 114: « Extremum fati sustinet ille diem. » Virgil. Æneid. lib. XII, vers. 150: « Parcarumque dies et vis inimica propinquat. » Anth. Lat. tom. II, Ep. CCLXXXVII, p. 222: « Abrupit diræ sortis iniqua dies. » Hæc omnia concedo, sed quid ad rem? emendatione non eget locus. Brouckhus. multa exempla congessit, ut doceret hoc loco idem esse *matura*, quam præmatura, festinata, præceps. Idem ostendit *properare* transitivo sensu usurpari apud optimum quemque scriptorem. Vide Propert. lib. II, Eleg. XXVIII, vs. 25; Virg. Georg. IV, 170. Possis apud Brouckhusium et alibi, innumera exempla legere,

Longa manet seu vita; tamen, mutata figura
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum; seu tardi pecoris sim gloria taurus;
Sive ego per liquidum volucris vehar aera penna;

jucunda quidem, sed hoc loco, ut in re satis liquida, supervacanea.

207. *Tamen.* Hoc cum *subtexam* in ultimo versu jungendum. Pythagoreorum doctrina in carmine assumitur, quod Heynium offendit merito, quum alias non nisi loca infera, Elysium et campi piorum memorari soleant. Heynio videtur locus ita constituendus esse, ut illa: *seu matura dies.... Longa manet seu vita,* παρενθέτως dicta sint: sequentia vero jungenda cum superioribus hoc sensu: « Quin etiam tum, quum mortuus et sepultus ero (sive acerba, sive matura morte raptus); et (licet mortui) tamen figura mutata fuerit (sive ea me finget equum, hoc est, fingar equus vel taurus vel volucris), quandocumque humanæ formæ reddar, tuas laudes canere pergam. » Exclamat lepide Heynius: Bene factum quid poeta talis in hominem non rediit, et plura, quod minabatur, carmina condidit! Olim legebatur, *mutata figuram.* Statius, Scaliger, Brouckh. *figura* anteposuere, quod nunc permultis libris firmatur.

208. *Rigidos percurrere campos.* Statius *riguos* malebat; Brouckhus. pronuntiat: « *rigidi campi* non nisi hieme dicuntur; » Heins. in Advers. castigavit, *gyro percurrere campos;* quod recepit Brouckhus. multa de Gyro subjiciens, itemque de Hyppodromo, qui *campus* non a planitie diceretur, sed a græco vocabulo Siculorum. Ii enim a flexu equorum Hippodromum χαμπον appellavere, ut illustris notat Scaliger. Sed hæc omnia nihil ad rem; Heinsii enim immutationem exsulare jubemus, servamusque *rigidos campos,* nulla hiemis formidine, qua nos refrigerare conatur Brouckhus. Heynius rem bene expedit, qui *rigidum* pro solo duro, solido, quo incedit equus, sumit. Idem ait pugnare inter se *gyro* et *percurrere;* nam equus in gyrum circumactus, campum non percurrit. Cæterum Heinsii emendatio in Vossii primo adest. H. Voss. etiam superveniens, aliquid mutavit, reposuitque *gyros percurrere campo,* ut sit, velut apud Virgil. *carpere gyrum.* Bach. de veritate locutionis *percurrere gyros campo* admodum dubitat. Huschk. qui *rigidos* servavit, addit: friget sane lectio, sed in emendando hoc loco, *Infelix operam perdas.*

209. *Tardi pecoris sim gloria taurus.* Unus Statii *tardus;* Bern. *tardis;* H. Voss. ex ingenio *torvi* effutiit, quia Virgilius dixerat, *optima torvæ forma bovis.* Ovid. Am. lib. I, vers. 290: « Candidus armenti gloria taurus erat. »

210. *Per liquidum volucris vehar aera penna.* Emendarat Heinsius: *volucri vehar aera penna.* Recepere Brouckh. Heyn. H. Voss. edidit *volucris vehar aera pennis;* inest sane *pennis* Vossiano 3, *liquida volucri... pennis;* et in Hamb. *revolutus in aere pennis;* sed, quod ait ille, hoc Heinsii emendatione venustius esse, non video. Adstipulatur Heinsio Voss. 1. Attamen recto judicio pronuntiavit Voss. retinendum esse *volucris,* propter oppositionem *equus, taurus,*

Quandocumque hominem me longa receperit ætas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

volucris. Nos igitur cum Huschkio veter. edit. scripturam servavimus.

211. *Quandocumque hominem*. Sic liber Cujacii. Vulgo, *In quemcumque hominem*. Mox Passeratius *refecerit* emendavit; in sexto Gebhardi *retexerit*. Brouckh. Passeratii emendationem amplexus ait: « dicuntur autem *refici* ea quæ fuerant sublata. » Heynius notat: quid si alius malit *refinxerit*, sed cur vulgatam non patiemur? Regius, *in quodcumque hominum*, quod quorsum spectet non intelligo; nisi forte credas Tibullum spe in pristinam hominis formam redeundi omnino caruisse. Duo Statii, totidem Voss. Edit. Vicent. *In quæcumque*. Huschk. in margine ed. Reg. Lep. invenit: « Ineptissimum sit, dum bellua est, velle cantare eum. » Bene docet Heyn. quomodo varietas e *quandocumque* compendiosa scriptura oriri potuerit. Poetæ sæpenumero adverbium *quandocumque* in fronte versuum collocant. Horat. lib. I, Epist. XIV, vs. 17; Propert. lib. II, El. I, vs. 71; lib. II, El. XIII, vs. 17.

212. *Subtexam carmina chartis*. Nepos Attic. XVIII: « Sic *familiarum originem subtexuit*, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. » Livius, lib. XXXVII, cap. 48: « Subtexit deinde fabulæ huic, etc. » Brouckhusium adeas, si tibi vacat; is enim te multa edocebit de verbis *texere*, *contexere*, *detexere*, *intexere*, *pertexere*, *retexere*. Unus Statii cum Guelf. 4, habet *nominu*; cod. Lips. *carmine*. — Tandem ad fastidiosi istius carminis finem perventum est; Tibulli certo non est, ne ejus ætati quidem tribuendum; nullum itaque argumentum, nullum documentum de philosophia Pythagorica inde hauserim.

CARMEN II.*

SULPICIA est tibi culta tuis, Mars magne, kalendis;

* Brouckhusius edicit: « Quæ nunc sequuntur poematia, ea non esse Tibulli vel ipsa dictio arguit. » Sane, modo admodum decretorio pronuntiat vir doctus: tu adi nostram Tibulli vitam, ubi quæcunque quæstio de carminibus et Elegis fusius et maturius perpensa est. Nihil restat itaque, nisi ut quosdam titulos memoremus, qui in libris editionibusque conspiciuntur; in excerp. Pocchi et Perreii communis est titulus libri quarti carminibus: *de amore Sulpiciæ et Cherinti*. Cod. Lips. cum aliis, *Laus Sulpiciæ ad Martem*; in Witt. *Epistola ad Martem habet Sulpiciæ laudes*: edit. Vicent. *Hic liber de Amoribus Sulpiciæ et Cherinti inscribitur*. Margo edit. Reg. Lep.: « Ego vero hæc carmina partim a puella scripta puto, partim a Tibullo; et quis scit an non Sulpicia cum Caleno Carminibus his lateat? »

1. *Sulpicia*. Miræ pulchritudinis puella fuit, Servii Sulpicii nobilis-

Spectatum e cælo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet; at tu, violente, caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, quum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,

simi et clarissimi viri filia, quam Cerinthus dilexit. Hanc miro cultu exornatam, ut kalendarum Martiarum diem festum ageret, celebrat Tibullus, Martemque precatur ut adesse velit eam spectaturus. *Tuis... kalendis.* Omnibus notum est mulieres et puellas kalendis Martiis a maritis amicisque munera accepisse, unde Horatius, lib. III, Od. 8: « Martiis cœlebs quid agam kalendis; » insignis locus est Martialis, lib. V, Ep. 85.

2. *Si sapis.* Nimirum, si voluptati tuæ consulas, si sensum elegantiæ habes. Prop. lib. IV, El. VI, vs. 83: « Gaude, Crasse, nigras, si quid sapis, inter arenas. » Edit. Venet. 1475, et Reg. Lep. pro *sapis* habent *satis*. Roman. *ipse venit*. H. Voss. τὸ *e* expungit, ne forte credas Martem e cælo tanquam e fenestra spectaturum esse, qui e cælo venire debeat. Præpositionem tuentur libri omnes.

3. *Hoc Venus ignoscet.* Propert. lib. II, Eleg. XXVIII, vers. 33. Rom. contra metrum *ignosce: ac tu*; in Hamb. et Florent. *ignoscet sed:* perperam. Produci cæsura brevem syllabam obvia res est.

4. *Turpiter arma cadant.* Propert. lib. IV, Eleg. IV, vs. 22: « Interque oblitas excidit urna manus.

5. *Illius ex oculis.* Similia loca quæ huc referas non desunt. Brouckhus. postquam multa et veterum et recentiorum laudavit, exclamat: « Sed omnes istos, aut ego egregie fallor, vicit Sulpicia. Quanti enim putas Amorem illum decurrere ad oculos puellæ formosæ, ut suas inde accendat faces, quibus non tantum homines, sed et ipsos deos immortales exurat? » Quod ad me attinet, ausim, timide tamen, nimiæ concinnitatis consectationem hic agnoscere, perinde ac apud Pseudo-Musæum illum qui in carmine de Leandro: *ἢ δὲ παλαιοὶ Τρεῖς χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι εἷς δέ τις Ηρους Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.* Menagius, Eleg. I:

Des beaux yeux d'Uranie il emprunte la flamme.

H. Voss. ne Amori liceret Deos omnes incendere edidit, *si quem vult urere divum*; et rursus aliquid de absorpta littera S excogitavit. *Quem* adest in Ed. Brix. et in uno Guelf. sed merum scripturæ mendum est.

6. *Geminas... lampadas.* Reg. Lep. cum aliis *lampades*. Romana *gemmas*.

7. *Illam, quidquid* etc. Regius *jamjam*; Ed. Lips. cum nonnullis apud Brouckh. *quidquid vestigia*. Male liber Witt. Laudi cum Excerpt. Lips. *flectit* ut Ovid. Met. lib. I, vs. 370: « flectunt vestigia sanctæ Ad delubra deæ. » Heynius ait: « forte etiam tempus hoc melius conveniret alteri τῷ *agit*, nisi quod temporum permutatio doctiorem rationem redolet. » Ursini liber *tendit*; unus Angl. *monstrat*; præstat tamen *movit: vestigia* enim *moventur* æque ac pedes. Propert. lib. II, El. XXIII, vs.

Componit furtim subsequiturque Decor:
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis;
Seu compsit, comptis est veneranda comis.
Urit, seu Tyria voluit procedere palla;
Urit, seu nivea candida veste venit.
Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

6: « quo movet illa pedes. » Seneca Thyest. vs. 420, « moves nolentem gradum. »

8. *Subsequiturque Decor*. Regius *consequitur*. Quint. Inst. I, cap. 11: « non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur. »

9. *Seu solvit crines*. Ed. Rom. *carnes: fusis decet etiam capillis*, corrupte; H. Voss. ut sibilum vitaret *comptis, capillis*, edidit *fusam decet esse capillos*. Idem exempla induxit Virgil. Æneid. lib. X, vers. 838: « fusus propexam in pectore barbam; » Sil. It. lib. IV, vers. 137, *fusus habenas*; lib. XIV, vers. 570, *fusa comas*; Valer. Flac. lib. III, vers. 314: « laceras super ora mariti Fusa comas. » Huschk. conjicit legendum esse: *seu fudit crines*: *fusis decet esse capillis*. Quidni *solvit* servemus? Quis Tibullum hujus verbi usu prohibeat.

10. *Seu compsit, comptis*. Sic libri apud Huschk. non *comsit, comtis*. In Askew. legitur *veneranda Venus*, et in margine *comis*. Cf. Propert. lib. II, El. I, vers. 7. Brouckh. ait: « agnoscis paratum Elegiæ Nasonianæ; nam hoc repetitionis et conversionis artificium huic Sulmonensi proprium fuit ac peculiare, prioribus istis nec tactum nec notum. » Nasute! sed cur non etiam annum adscripsit, quo innotuit artificium illud.

11. *Seu Tyria voluit procedere palla*. Corvin. male *pracedere*; item unus Angl. et Voss. 5. Propert. lib. I, El. II, vers. 1, *ornato procedere capillo*; Ovid. A. A. lib. III, vers. 180: « Pulla decent niveas Alba decent fuscas. Sulpiciam vero quicunque color æque decebat, ut formosissimam. Non possum quin insuper imitationem adscribam, quam Bertin dedit:

Il faut brûler, quand de ses flots mouvans
La plume ombrage en dais sa tête enorgueillie;
Il faut brûler, quand l'haleine des vents
Disperse ses cheveux sur sa gorge embellie.

12. *Urit* etc. In Vossiano quinto legitur hoc loco ultimus carminis octavi versus qui hoc carmen concludit, relegatis in quartum cæteris, ubi post versum decimum octavum leguntur. Eleganter hoc distichon vertit Mollevaut:

On brûle, si la pourpre avec soin la décore;
Si c'est le lin modeste, il faut brûler encore.

13. *Æterno... Olympo*. Complures libri *ætherio* quod æque placet. Alii *externo*, perperam. Edit. princeps *Vertunus*. Rom. *Vertimus*. Bernens. *venturus*.

14. *Mille habet* etc. Cf. Ovid. Am. lib. II, Eleg. v, vers. 43. Burm. ad Propert. lib. IV, Eleg. II, vers. 47, emendat: « Mille habitus, formas mille decenter habet. » Sed ut ait Heynius, hoc est, variare versum non emendare. Cod. Lips. *mille h t*;

Sola puellarum digna est, cui mollia caris
  Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
  Cultor odoratæ dives Arabs segetis,
Et quascunque niger rubro de litore gemmas
  Proximus Eois colligit Indus aquis.
Hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis,

unde ortæ lectiones falsæ *Mille hunc*, *Mille hæc*.

15. *Digna est cui.* Abest a Regio *est*.

16. *Succis det madefacta.* Brouckh. ait : « non *succis*, sed *fucis* scribendum est » et ita conjecerat Heinsius. Vulpius revocavit *succis* quia illi tribuuntur conchyliibus et ceteris piscibus præsertim testa munitis. In Guelf. 3, et Monac. *ter madefacta*, ex quo H. Voss. effecit *permadefacta* : at Horatius Epod. XII, vs. 21 : «Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ.» Possim ex aliis innumeris ostendere *bis* solam esse probabilem lectionem. Nihilominus Huschk. ex uno Vossii *de* exoptat, quia eodem modo libri variant apud Ovid. A. A. lib. III, vs. 170 : « Nec quæ bis Tyrio murice, lana, rubes; » ubi libri plurimi habent *de Tyrio*. Martialis quidem cecinit, lib. XIII, 87 : «Sanguine de nostro tinctas lacernas.» Sed cur Tibullo idem scribendum fuerit, quod longo post tempore scripturus erat Martialis, non addidit doctus vir.

17. *Bene olentibus arvis.* Vossian. 1, pro *bene* exhibet *unde*; 4, *avis*, in margine *arvis*; Vindob. *herbis*.

18. *Odoratæ segetis.* Edit. Rom. *Adoratæ segetis*.

19. *Rubro litore gemmas.* Brouckh. exemplis fultus prætulit *conchas* e libris, quorum est Wittianus prior, inter optimos non postremus. Idem fecit et Heynius addens : « nam in mari margaritæ, non gemmæ leguntur. » H. Voss. hanc doctrinam subvertit Curtiique locum laudat, lib. VIII, cap. 9 : « gemmas margaritasque mare litoribus infundit. » Propert. lib. I, Eleg. XIV, vers. 12 : «Et legitur rubris gemma sub æquoribus; » idem lib. III, El. IV, vs. 2 : « Et freta gemmiferi findere classe maris. » Claudian. XXIV, vers. 74 : « Cantaber Oceanus vicino litore gemmas Exspuit. » Unus Scalig. *nigro*. Venet. *rubor... gemma*, mendose.

20. *Indus aquis.* Sub Indi appellatione Æthiops intelligendus. Notissimus enim vocis *Indorum* et *Indiæ* usus : possis etiam *rubro litore* latius extendere et ipsos Indos orientales intelligere. ... *equis* Scaligeri emendationem, cur reciperemus non video. Solus enim Voss. 3 eam tuetur, reliquis omnibus contra nitentibus. Exempla adferunt alterius lectionis sectatores ; verum hæc etiam nobis in promptu sunt. Prop. lib. IV, Eleg. III, vers. 10 : « Ustus et Eoa decolor Indus aqua. » Strabo scripsit vi aquarum nigros fieri Æthiopes, et idem de nautis refert Ovid. A. A. lib. I, vers. 723 : quod intellig. aquæ radios solis repulsante.

21. *Festis... kalendis.* Edit. Rom. *vestris*.

Et testudinea, Phœbe, superbe lyra.
Hoc solemne sacrum multos celebretur in annos.
Dignior est vestro nulla puella choro.

22. *Superbe.* Edit. princeps *superba*; Reg. Lep. *supba*; similis est versus infra, cap. 4, 2: « Huc ades intonsa, Phœbe, superbe coma. »

23. *Hoc... celebretur.* Sic est vetus scriptura, eaque proba. Scaliger edidit *consumet*, ut esset pro *consummet*; in libris tamen plerumque adest *Hoc sumet.* At, *celebretur* in uno Wittiano, Gebhard. Ursin. Anglic. legitur; in Palat. 6, *celebratur*; in aliis *hæc sumet*, *hæc sumit*, *Hoc sumat.* Unus Wittianus cum Eborac. *Hoc fumet*; Regius *hac fumet*, tres alii *fumabit*; Edit. Romana *firmabit*; Exc. Lips. *hic servet.* Locum Heynius in desperatis habuit, ei tamen arrisit, *Hoc fumet*, ut apud Virgil. Eclog. VII, vers. 44: « Bis senos cui nostra dies altaria fumant. » Ipse tamen fatetur non bene dici *fumare in multos annos.* Minime vero, etiamsi de suilla perna sermo esset. H. Vossius edidit, *hæc... ut sumat.* Non quidem sine libris, sed inversis vocibus ita ut *hæc* versum inchoaret, eique particula *ut* succederet ex ingenio Vossii, qui τὸ *celebretur*, pro glossemate habet. *Sumere dies annos*, per se latinum est ut ipse Terentius ostendit Adelph. act. V, Scen. III, vers. 68: « Hilarem hunc sumamus diem. » Sed rejicienda Vossii emendatio, qua pronomen *Hæc*, *Hanc* de eadem persona bis deinceps ponitur: nullibi præterea scripturæ *ut* vestigium occurrit. Huschk. ait: « si lectio *sumat* vera est, quod vix putaverim, probabilius est rescribere: Quo solemne sacrum multos hoc sumat in annos. Heinsius parum sibi constans nunc corrigebat, « huic... multos o duret in annos, » nunc, « hæc multos consummet in annos. » Versum similem habemus, lib. I, Eleg. VII, vers. 63.

24. *Vestro... choro.* Paris. et Lips. cum aliis edit. Vicent. Reg. Lep. Venet. 1475, 91, 93, Ald. 1502, *nostro... toro.* Ed. princeps *Vestro... toro*; Ald. 1515, *Vestro... choro*; sic tres libri apud H. Voss. cum quibusdam aliis. Superbum esset poetam de se dicere: « Dignior est nostro nulla puella toro. »

CARMEN III.

PARCE meo juveni, seu quis bona pascua campi,

Hanc inscriptionem habet cod. Lips. *Sulpicia ad Cherintum de venatione dimittenda incipit feliciter.*

1. *Si quis.* In uno Italico *seu qui*, et sic emendabat Ayrmann. Vita Tibulli, §. 1. Heynius quoque præfert *seu qui.* Ego vero ejusdem atque Vossius sententiæ sum ποιητικώτερον esse *seu quis*, ut apud Virgil. Æn. lib. IV, vs. 319: Si quis adhuc pre-

Seu colis umbrosi devia montis, aper:
Nec tibi sit duros acuisse in prælia dentes;
Incolumem custos hunc mihi servet Amor.
Sed procul abducit venandi Delia cura.
O pereant silvæ, deficiantque canes!
Quis furor est, quæ mens, densos indagine colles
Claudentem, teneras lædere velle manus?
Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum?
Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,

cibus locus.» Lips. cum Vossianis 1, 2, 5, habet *campis;* unus Brouckh. *carpis.*

3. *Acuisse in prælia dentes.* Scaliger hæc e Cujac. libro refinxit, quum olim legeretur *in pectora*, et in nonnullis *in pectore*, quæ lectiones idcirco Vossio falsæ videntur, quod apri non pectus, sed lumbos maxime feriant vel latus. Acuta ratio, num etiam idonea?

4. *Incolumem.* Voss. 4 *In columen.*

5. *Venandi Delia cura. Delia* habent scripti fere omnes, quod ne cui fraudi foret, caverat bonus Cyllenius ita notans: « Non amatrix Delia, sed Diana venationis Dea. » Heinsius emendavit: « Sed procul abducit venanti Delia curas; » quod nulla dubitatione Brouckhus. amplexus est. Heynius quoque accessit; textui tamen pepercit. Intelligit hoc modo doctus ille vir: « Delia puellæ amorem excutit; ita recte sequitur imprecatio in silvas. » Nos licet *venanti* in Vossianis 4, 5, adsit, vulgatam servandam censemus ut consensu librorum firmatam. Scaliger aliquid et in textum commisit, qui de conjectura edidit *devia cura.*

6. *O pereant silvæ.* Unus Ital. *O valeant*, ut supra lib. II, Eleg. III, vs. 69. Conf. lib. II, Eleg. VI, vers. 9: sed et alterum Nostro frequens exempli causa, lib. I, El. I, vs. 51; lib. II, Eleg. IV, vs. 27; lib. III, Eleg. IV, vs. 62.

7. *Quis furor est, quæ mens.* Brouckusius ex Douzæ notis, et Heins. Adv. I, 13, emendationem reposuerat: « Quis furor est, demens. » Quod recte unde venerat abire jussit Vulpius. Dresd. duo Witt. tres Voss. *Quis furor, o quæ mens.* Colb. exhibet *aut quæ mens.* Lips. et Goth. *densa;* Vossian. 2, *denso;* et 1, *callens.* H. Vossius *saltus* edidit, quia Virgil. *saltusque indagine cingunt.*

8. *Teneras lædere velle manus.* Vir doctus in Act. Societ. Traj. p. 193, conjecit *vepre* ingeniose quidem; nec tamen probabiliter, nam usus τοῦ *velle* Tibullo est solemnis, et manus indaginem tendentis multis modis lædi possunt, non modo vepre. HEYN.

10. *Hamatis... rubis.* Libri nonnulli *armatis rubis* habent. Ovid. lib. Metam. lib. II, vers. 799, *hamatis sentibus.* — *Notare* est cruentare; Ovid. Am. lib. I, Eleg. VII, vs. 5, *ungue notare genas.* Cod. Ask. *rubris.*

11. *Cerinthe.* De Cerintho, quis et qualis fuerit, qua patria, quo ge-

Ipsa ego per montes retia torta feram.
Ipsa ego velocis quæram vestigia cervæ,
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant silvæ, si, lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas.
Tunc veniat licet ad casses, illæsus abibit,
Ne Veneris cupidæ gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Venus; sed lege Dianæ,

nere natus in poetæ nostri vita agimus, quam tu, si vacas, consule. De obsequii genere, quod est in retibus ferendis, conf. Virgil. Ecl. III, vs. 75; Nostrum, lib. I, Eleg. IV, vers. 50; et Ovid. Heroid. IV, vers. 37; Metam. lib. X, vers. 533.

12. *Feram.* Guelf. 2, a prima manu, *geram*, pro *retia torta;* Goth. *retia torva;* satis ridicule.

13. *Velocis quæram vestigia cervæ.* Ita ex ingenio Brouckh. ne sibilum pareret iterata et sæpe repetita littera *i.* H. Voss. quasi jure gauderet aliquem immutationis temerariæ incusandi, Brouckh. idcirco reprehendit, quod tam levi de causa vulgatam dereliquerit; quum tamen multis in locis ter quaterque repetitum *is* intentatum præterierit, ut lib. I, Eleg. I, vers. 67; Eleg. V, vers. 53, 55. Opinor Vossium magis ob salvam scripturæ fidem irasci, quam ob mutatam more suo lectionem; præsertim quum ipse agnoscat Brouckh. emendationem, nunc libris Bernens. et Monac. firmatam esse. Cæterum Brouckh. exemplis ostendit, e more poetarum fuisse inter cervos feminas præcipue nominari.

14. *Et demam celeri ferrea vincla cani.* Ovid. Met. lib. VII, vs. 769, *Copula detrahitur canibus;* Metam. lib. VIII, vers. 331: « pars retia tendunt; Vincula pars adimunt canibus. »

15. *Si, lux mea; tecum. Sic* Heinsii emendatio est; antea *si* legebatur. Brouckh. *sic* recepit, optantis esse hæc verba adserens, quod certe nemo inficias ibit; at nihilominus optantis verba esse possunt, licet τὸ *sic* absit. Heynius qui etiam Heinsii conjecturam amplexus est, in observationibus fatetur non spernendum esse vulgatum *si.* Quin adeo servandum mihi videtur, etiamsi Is. Vossii 2 et 3, *sic* præbeant. H. Voss. et Bach. ejusdem mecum sententiæ sunt, contradicentibus Huschkio et Wunderlichio. Heynius addit: « Docte dictum puta pro: requiescam tecum in propatulo, in aprico; » sed nimis pudice sensum exposuit ill. Heyn.

17. *Tunc veniat* etc. In Corvin. turbatus ordo versuum; nam 19 et 20 ante 17 et 18 sunt retracti.

18. *Ne Veneris.* Scripturæ menda ab H. Vossio notata, hic non relatu digna sunt; quippe quæ non varias lectiones efficiant, sed meros scripturæ lapsus.

19. *Nunc sine me.* In quibusdam *tunc:* sed longe præstat *Nunc;* sensus enim: nunc quia absum, nec simul venamur, atque ita jam olim divinavit insignis ille Turnebus, Adv. XVI, c. 19, nulla sit tecum puella.

Caste puer, casta retia tende manu.
Et quæcumque meo furtim subrepet amori,
Incidat in sævas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

20. *Casta retia tende manu. Tende* in Colbert. uno, in Regio, in Guelf. 2, et Paris. legitur; contra in reliquis adest *tange*, quod H. Vossius et Bach. susceperunt, quasi Diana in retibus castitatem posceret. Brouckhusius et Heyn. conjiciunt *pange*, ut sit *figere*. Heinsius *pande* excogitat, sed *tende* probabilior est lectio. Ipse Noster, lib. I, Eleg. VI, vers. 5, dixit, *jam mihi tenduntur casses*. Terent. Phorm. Act. II, sc. II, vers. 16: « Non rete accipitri tenditur, etc. » Cicero, de Offic. lib. II, cap. 17: « Suntne igitur insidiæ tendere plagas, etc. » Horat. Epod. II, vs. 23: « Aut amite levi rara tendit retia Turdis edacibus dolos. »—Retia et casses longo tractu tenduntur; plagæ vero non nisi in viarum angustiis, quæ retibus continuari nequeunt, internectuntur. Casses tantummodo ad majores feras capiendas adhibentur.

21. *Et quæcumque ... subrepet.* Scaliger laudat *At quæcumque* in nonnullis, *Aut* suscipientibus H. Vossio et Bach. qui hæc minantis verba esse volunt. *Et* servandum censeo, adstipulantibus editionibus ante Brouckhusium, conspirantibusque sex codicibus apud H. Vossium.

22. *Incidat in sævas.* H. Vossius e Gothano, ex uno Gebh. et e Lips. edidit *Incidat et sævis diripienda feris*. Illi enim *in*, post *incidat* offensioni fuit: quocirca ab Huschkio castigatur. Structura optime procedit: pariter Cicero Epist. ad Fam. lib. VIII, vers. 11: « Incidimus in difficilem nodum. » Sic centies alii. At idem Cic. in Verr. Act. II, sc. 74: « Sane homini præter opinionem improviso incidi; » id est, *oppressi eum*, ut Ernestius interpretatur. Huschkius, qui hæc loca contulit, addit: « Apparet lectionem *et sævis feris*, non introducendam esse, sed inducendam. »

23. *Concede parenti.* Brouckh. librorum unus *parumper*.

24. *In nostros ipse recurre sinus.* Ovid. Epist. Sapphus, vs. 95: « Huc ades, inque sinus, formose, relabere nostros. Propert. lib. III, Eleg. 20, vers. 10: « In nostros curre, puella, sinus. » Cod. Paris. habet *sæpe recurre*; Is. Vossii 2, *nostro sinu*; Bern. omnes omnium insulsitate vincit, exhibens *nostros ... pedes*.

CARMEN IV.

Huc ades, et teneræ morbos expelle puellæ,

1. *Morbos expelle puellæ.* Livineius et Guyetus, H. Vossius, Bach. aliique *depelle* legunt. Voss. propter concursum syllabarum *pelle puellæ*

Huc ades, intonsa, Phœbe, superbe coma:
Crede mihi, propera, nec te jam, Phœbe, pigebit
Formosæ medicas applicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis candida membra color;
Et quodcumque mali est, et quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis devehat amnis aquis.

malit *averte*, quod et ipsum avertendum censeo. Horatius, Ep. lib. II, 2, vs. 117: « Expulit helleboro morbum bilemque meraco. » Sed hoc exemplum Vossio offensioni fuit; cavendum enim esse ait ne quis subintelligat alvum purgari. Huschk. τὸ *depelle* usitatius esse existimat, ut apud Cæs. Bell. Gall. VI, 17. Nos plerorumque librorum lectionem servavimus... Initio versus quidam libri et editiones habent: *huc ades o tenera*, non sine juncturæ detrimento.

2. *Superbe coma*. Gothan. et Is. Voss. 5, *superbe lyra*, quod, quomodo cum *intonsa* jungant, videant docti.

3. *Nec te jam*. In Guelf. 3, Is. Voss. 5, Monac. *Nec jam te*; Edit. Gryph. 1573, *Nec enim te*, languide; In Cod. Lips. hoc distichon subjectum est sequenti.

4. *Formosæ* etc. Hunc versum sequentesque codex Is. Vossii 5, post carminis VIII vs. 7, relegat.

5. *Pallentes occupet artus*. Heinsius in Advers. et Brouckh. *Pallentes* de conjectura in *tabentes* mutavere, propter *pallida* quod apud eosdem sequenti versu editum e libris. Is. Vossii 4, pariter *tabentes* præbet; Margo Ed. Reg. Lep. *tabentes*, *pollenteis*, *pullanteis*. Ego, qua sententia sum, *pallida* ex hoc *Pallentes* natum opinor, non *Pallentes* ex illo... Lips. cum tribus Italicis initio versus *nec*; perperam.

6. *Candida membra*. Ipsi Brouckh. vulgatum illud *pallida* suspectum fuit, quippe qui magna eruditionis mole *squalida* emendationem adtulerit, ope cujus significaret membra illuvie et pœdore obsita. Heynio, munditiæ defensori, hoc nimis grave et horridum pro culta puella videtur. Is, licet *pallor* in morbis et febribus proprie dicatur, editionis Rom. lectionem *Candida* amplexus est, addens: « hoc si sequamur, in superiori versu aliena emendatione haud indigebimus. » *Candida* in Bern. et Ask. legitur, quod plus ad rem facit, quam conjectura illa.

8. *In pelagus rapidis devehat amnis*. Vulgo legebatur *evehat*; Heinsius emendavit *devehat*. Recepere editores, adstipulante nunc Is. Vossii primo. H. Voss. *evehat* cum Bachio revocavit, quod ferri potest; in Gothan. *vehat*; in Lips. *eveat*. Livius, lib. XXV, cap. 12, ex carmine Marciano: « Multaque millia occisa tua deferet amnis in pontum magnum ex terra frugifera. » Expurgationes omnes et purgamenta omnia ad aquam deferebant, sive flumen esset, sive mare. Amœnam narratiunculam de Petrarcha apud Agrippinates, refert Brouckhusius, integram fere illius epistolam e lib. I, 4, transcribens, quam legisse non te

Sancte veni, tecumque feras, quicunque sapores,
Quicunque et cantus corpora fessa levant.
Neu juvenem torque, metuit qui fata puellæ,
Votaque pro domina vix numeranda facit:
Interdum vovet, interdum quod langueat illa,
Dicit in æternos aspera verba Deos.
Pone metum, Cerinthe, Deus non lædit amantes.

pigebit: ibi enim quæ a mulieribus in ripa fieri vidit Petrarcha narrantur.

9. *Quicumque sapores.* Brouckh. ex uno Witt. et Heinsii anglicano quodam, *sopores* edidit, ut esset *sopor* médicamenti genus soporem faciens, et illico locis quibusdam adductis medicamentum illud in officinam cogere conatur. Nullum tamen est, quod non æque in diversam sententiam trahi possit; quamobrem in præsentia abstineant sopore medicamentarii. In membranis Comelini, Collat. et Colotii, et in Edit. Rom. an. 1475, hoc distichon ita legitur: « Sancte veni, tecumque feras, quicunque sopore Quicunque et cantu corpora fessa levant. » Quasi Phœbo adducendi forent omnes medicæ vel magicæ artis periti. Licet tu hanc lectionem lectioni Brouckhusii annumerare possis, nihilominus libri fere omnes *sapores* tuentur, quod nobiscum revocant H. Voss. et Bach.; ipse Heynius alterius lectionis fautor fatetur *sapores* esse *convenientiores*: « succi enim herbarum, et herbæ adeo ipsæ, cum cantu fere conjunctim memorari solent, tum in morbis levandis, tum omnino in re magica etc. »

10. *Corpora fessa levant.* Is. Voss. 3, *levat*; 5, *levent*; Goth. *levet*; unus Gebh. *luent.* Margo Editionis Gryph. 1573, *nostra* pro *fessa*. Horat. Carm. Sæcul. vs. 63, de Phœbo: « Qui salutari levat arte fessos Corporis artus. »

11. *Neu juvenem torque.* Sic lib. I, El. VIII, vers. 49: « Neu Marathum torque... metuit qui fata puellæ. » Sic lib. I, El. V, vs. 69: « At tu qui potior nunc es, mea fata timeto. » In Monac. *facta puellæ* mendose. Statius *puellæ* dandi casu nimis acute intelligebat.

13. *Interdum vovet.* In Zwic. 1, et in libro Archiepiscopi Laudi *fovet*, quod, licet amanti optatius sit, tamen abeat: melius enim *vovet* sequentibus opponitur.

14. *Dicit in æternos aspera verba deos.* Ed. Rom. *vicit.* Eadem cum Venet. Brix. et uno Gebh. *impia verba* ut lib. I, Eleg. III, vs. 52, et lib. II, El. V, vs. 14; confer lib. I, Eleg. IX, vs. 82; lib. III, Eleg. IV, vs. 15, ex quibus locis aliquis illud effinxisse videtur. Heyn.

15. *Pone metum... lædit amantes.* Guelf. 4, *læsit*; unus Angl. et Laudi liber *amantem*; disticha sequentia alii alio ordine ediderunt. Nos cum Mureto, Statio, Passeratio, Gebhardo, Vulpio, Heynio, H. Voss. et Huschkio facimus, et Aldinæ secundæ, anni 1515, ordinem sequimur, quem multæ aliæ editiones exprimunt. Cæterum aliæ legunt: « Pone metum.... At nunc tota... Phœbe fave.... Nil opus est... » Et

Tu modo semper ama : salva puella tibi est:
Nil opus est fletu : lacrymis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est; te solum candida secum
Cogitat; et frustra credula turba sedet.
Phœbe, fave, laus magna tibi tribuetur in uno

his quidem libri consentiunt. Aliæ rursus commendante Statio et recipiente Brouckhusio : « Pone metum.... At nunc tota.... Nil opus est.... Phœbe, fave... » Huschkius de Statii annotatione interpretanda multum disserit, editionesque omnes, nulla excepta citat, ordinem indicans quo hæc disticha in illis procedant. In Goth. desunt vs. 17, 18 et 20. H. Voss. opinatur Muretum libris fultum fuisse, quum nostrum ordinem revocaret et argumentis utitur, quæ Huschkio minus placent, licet in eadem sententia sit; sed non operæ pretium est longam referre disceptationem inter doctos, de Statii sententia ortam.

16. *Tu modo semper ama.* Heynio τὸ *semper* paulo jejunius positum videtur pro *constanter*.

18. *Si quando fuerit tristior illa tibi.* Propert. lib. I, Eleg. VI, vers. 10 : « illa minatur Quæ solet ingrato tristis amica viro. » Plautus, Casin. Act. II, sc. IV, vs. 4 : « Stultitia est, ei te esse tristem, quojus potestas plus potest. » — *Tristior* hoc loco pro *iratior* dictum. De significationibus hujus vocis egregie egit Hand. in Obs. ad Catull. p. 79 sqq.

19. *Te solum candida secum.* Cf. Terent. Eun. Act. I, scen. II, vers. 113 sqq. Brouckhusius coacervatis exemplis docet in voce *candida* esse summam laudem absolutæ formositatis. Heinsius conjiciebat *languida*; Vulp. Heyn. Bach. *candida* de animi candore intelligunt.

20. *Frustra credula turba sedet.* Brouckh. interpretatur : « Frustra amantes alii fores ac limen obsident adsidue; » ut vix mihi inter legendum temperare possim quo minus addam : more canum : prorsus enim canina est ista imago. Cyllenius, his non contentus, amantes ante ipsum torum introducit ut valde verendum sit, ne forte eorum aliquis insiliat in cubile. Vulpius honestius rem conficit; quippe qui hæc de vota facientibus in templis sumat. Heyn. amantes adsidere putat, ut sponsus Cydippes apud Ovidium, Epist. XXI, vers. 191 : « Adsidet ille quidem, quantum permittitur ipsi. » Eidem placet *sedula turba* e codic. Witt. duobus Angl. et uno Statii. Versantur enim Heynio ob oculos amatores medicamina ministrantes, salientem venam pollice tentantes, stragula admoventes, aliaque ejusmodi. *Risum teneatis amici?* Editio Romana *garrula turba* habet, ita ut puellæ istius miseræ aures amantium loquacitate dilacerentur. Eboracensis cum alio *canit* exhibet, fortasse ut iste editionis Romanæ susurrus tolerabilior fiat. Quinadeo fuit aliquis, teste H. Vossio, qui ipsos *canes* in textum reciperet ex adscripto in margine versu Ovidiano, Rem. Am. vers. 182 : « Nec desunt comites, sedula turba, canes. »

Corpore servato restituisse duos.
Jam celeber, jam lætus eris, quum debita reddet
Certatim sanctis lætus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba Deorum:
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

22. *Restituisse duos:* Conf. Ovid. Amor. lib. II, Eleg. XIII, vers. 15. Contrarium est apud Cicer. Orat. pro Cluentio, cap. 11, de Oppianico, qui fratris uxorem gravidam veneno malo sustulerat : « Cæteri non videntur in singulis hominibus multa parricidia suscipere posse : Oppianicus inventus est qui in uno corpore plures necaret. » BROUCKH. — Nonnulli libri *servatos ;* Hamb. *sanato ;* Lips. *duo.*

23. *Celeber* ... κλυτός. Heynius cui τὸ *lætus* visum est male jungi cum voce *celeber*, corrigebat *clarus*, vel etiam *magnus ;* ut clara et perspicua esset sententia : Dii laudati ab hominibus gaudent, ut apud Euripid. Hipp. vers. 8 : Τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο. Voss. 1, *tutus eris ;* Bern. *levis.* Cyllenius in suo habuerat *tutus*, quocirca addit : « quantum ad amorem rivalium procorumque ; » nempe hæc ad Cerinthum refert. — *Quum debita reddet.* In Hamb. *reddent*, quod H. Voss. recepit, ut mutuas preces funderent ; sed et infra Carm. V, vs. 13, τὸ *uterque* hunc sensum habet.

24. *Lætus uterque focis.* Brouckh. iterationem reformidans scribi jubet *lotus uterque :* neque ei desunt exempla de iis qui manus, ante quam sacra adirent, lavabant. Heynio hoc merito dilutum ac vapidum visum est. H. Vossio ipsa placuit iteratio, pariterque mihi.

25. *Dicet.* Brouckhus. ait : « lege *dicent ;* ita enim loqui amant optimi scriptores, verbum plurale jungentes cum nomine singulari vel collectivo, vel partitivo. » Brouckhusio nunc adstipulantur Is. Voss. 1, 3 et 4 ; sed Huschk. notat : « Consuetudo repugnat ; scribunt Latini promiscue *turba ruit* et *turba ruunt.* Non scribunt *ruunt turba*, sed *ruit turba.* Hoc innumeris exemplis utriusque generis scriptorum comprobavit Ahlwardtus in eximio libello, edito Oldenburg. ann. 1804.

26. *Optabunt.* Is. Vossii 2, *Optabit* ... *tuas ;* ed. Rom. Guelf. 4, Venet. *suas.*

CARMEN V.

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus,

1. *Qui mihi te.* Libri omnes et scripti et editi ante Scaligerum habebant, *Det qui te.* Hic vero e Cujacii lib. reposuit vulgatam lectionem, quæ insuper Perreii Excerptis inest. In cod. Goth. *Set qui te.* H. Vossio arrisit conjectura *Et qui te.* Hamb. inest *mihi hic sanctus.*

Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente, novum Parcæ cecinere puellis
Servitium, et dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias : juvat hoc, Cerinthe, quod uror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor; per, te, dulcissima furta,
Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape dona libens, votisque faveto :

3. *Parcæ... puellis.* Ed. maj. ann. 1472, Vicent. Reg. Lep. *parce*; ed. Rom. cum Guarner. *puelle*, id est, *puellæ*. Confer Possidippi, Ep. VII, 5. HUSCHK.

4. *Dederunt.* Sic ed. Venet. 1491, 1493; Aldin. quatuor libri apud H. Voss. Berol. 4; in multis, *dederant.* — *Regna superba.* Superbum sane est et fastuosum, si non sæpius etiam insolens sive in femina, sive in viro, eximiæ pulchritudinis imperium. Ovid. Fast. I, 419 : « Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam. »

5. *Juvat, hoc.* H. Voss. malit *juvat et*; textu tamen abstinuit.

6. *Si tibi de nobis.* Heynio hæc displicent, qui frustra quæsivit *de nostro*, ut esset particula quædam de nostro igni. Idem conjectat : « Si tibi, qui nobis, mutuus ignis adest. » H. Voss. acerbius adhuc in hanc locutionem sævit, quam prorsus a Romana consuetudine loquendi alienam esse vult. Deinde rem divinat acutis oculis, et legi jubet *nobiscum mutuus*, fabellam subjiciens qua literarum ductus paulatim ab antiqua scriptura recessisse ostendat. Quinadeo, quum necessario scriptores quidam vocabulis *mecum* et *tecum* usi sint, hos convocat, quorum est Lucilius apud Nonium, Marc. II, 538 : « Et si maxime quod spero, mutuum hoc mecum facis; » Pariter et Terent. Eun. Act. I, sc. II, vs. 11 : « O Thais, Thais, utinam esset mihi pars æqua amoris tecum. » Bach. *de* idem esse quod *propter* adserit, proponit tamen *si tibi idem nobis*. Nihil omnino mutandum, quod et ipse agnoscere videtur, Ovidii laudans locum, Metam. lib. X, vs. 49, *incessit passu de vulnere tardo*; cui exemplo aliud addimus, ex Huschkii editione desumptum; est Hirtii Bell. Alex. cap. 48 : « Cassius Longinus magnas odii sui fecerat accessiones; quod vel ex conscientia sua, *quem de se mutuo sentire provinciam* crederet, etc. »

7. *Per, te, dulcissima furta.* Male libri quidam *te per dulcissima furta*; nec melius alii : *tua per dulcissima furta.* Elegantiæ Romanæ est ubi præpositio a suo casu disjungitur, inserto pronomine. Terent. And. Act. III, sc. III, vers. 6 : « Per te Deos oro, etc. » Virgil. Æneid. lib. IV, vers. 314 : « Mene fugis, per ego has lacrimas; » Seneca, Med. vers. 285 : « Per te parentis memoriam obtestor mei. » BROUCKH. — In Is. Vossii 5, *verba*, superaddito *furta*.

9. *Magne Geni.* Sic habent Excerpta Perreii et quatuor libri apud Is. Voss. Cæterum in mira varietate versatur hic locus. Ipsa Perreii Ex-

Si modo, quum de me cogitat, ille calet.
Quod si forte alios jam nunc suspirat amores,
Tunc precor, infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis injusta, Venus: vel serviat æque

cerpta a diversa manu etiam *Alme Geni* præbent. Complures libri et edit. veteres *Mane Geni*, quin adeo alii quidam *Mane veni*, quod a librariis profectum, qui τὸ *Mane* minus intelligentes, nova immutatione versum oneraverunt; *Manus* enim, ut testantur Varro de Lingua Lat. Festus et Nonius, idem est quod bonus, sanctus, sermone antiquorum. Huschkius vero negat tam lepidi carminis auctorem voluisse casce loqui et cum matre Evandri. H. Vossius contra et Bachius qui lectionem *Mane* tuentur, merito observant in rebus sacris antiquas formas religiose observatas fuisse a poetis. Dubii sumus, fatendum est, præsertim quum *Magne* mendo scripturæ in *Mane* degenerare potuerit, æque ac *Mane* in *Magne*. Brouckhusius e lapide Puteolano ostendit Genium epitheto solemni ac proprio *Deum Magnum* dictum fuisse. Heyn. præferebat *Alme Geni*: idem restituit *dona* pro *tura* e libris. In Excerpt. Lips. *vota*; cod. Heinsii *donisque faveto*.

10. *Quum de me cogitat, ille calet.* Scaliger e Cujacii libro elegerat *volet*, ut *velle* diceretur pro *amore uri*, perinde ac in Carm. XI, vers. 4: « si te quoque velle putem. » Sed longe aliter sese habet istud *velle*. In libris quibusdam, *valet*: *calet* autem subitos illos sanguinis atque animi motus exprimit; quamobrem hanc lectionem præferendam censeo. Inest præterea τὸ *calet* tribus Italicis, Excerpt. Pocch. et Perreii et Askew. idem in aliis legi observat Statius. Non quidem ad verbum, sed eleganter vertit Mollevaut:

Tant que ma douce image échauffe sa pensée.

11. *Quod si... suspirat.* In multis *suspiret*, quod H. Voss. convenientius esse declarat, in incerto enim esse rem. Itidem fecit Bach. illius sæpe comes. In Is. Voss. 2 et 3, *Qui si*; et Huschkio valde placuit hæc lectio; in Lips. *Quid si forte.*

12. *Tunc... sancte, relinque.* In quinque cod. apud H. Vossium, legitur *Tu*, quod jam de commendatione Heinsii admiserat Brouckh. sequente Heyn. H. Vossius edidit *Tum*, cujus vim in proclivi esse declarat. Liceat tamen nobis antiquum *Tunc* huc reducere, teste Propertio, lib. II, Eleg. XIII, vers. 16; quanquam et hic, ut in superiore versu, variant libri.

13. *Nec tu sis injusta.* Cod. Lips. ed. maj. ann. 1472; Venet. 1475; Vicent. Reg. Lep. Brix. Venet. 1491 et 1493; Ald. Stat. et aliæ, *Nec sis nunc*. Hoc *nunc* inculcatum est ad explendam lacunam, quæ est in uno Brouckh. et Voss. 1, *Nec sis injusta, Venus*. Ed. min. ann. 1472, et Romana, exprimunt veram lectionem, restitutam a Scaligero, quam confirmat etiam cod. Paris. *Nec tu sis injusta, Venus*. Huschk. — *Servire Veneri* dicuntur amantes; quam locutionem egregius apud nos poeta, quem nemo æquavit leviora carmina canentem, Voltaire, imitatus est in venustissima narratiuncula, *Les trois Manières*:

Tendre Vénus, . . . vous qu'avec tant de soin
J'avais servie avec le beau Batile!

Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva :
Sed potius valida teneamur uterque catena,
Nulla queat posthac quam soluisse dies.
Optat idem juvenis, quod nos; sed tectius optat :
Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam Deus omnia sentis,
Adnue; quid refert, clamne palamne roget?

14. *Vel mea vincla leva.* In Hamb. pro *vincla*, adest *colla.*

16. *Nulla queat posthac quam soluisse dies.* Statio placebat *posthac nos soluisse*, et sic Scaliger edidit. Nonnulli libri habent *vos soluisse;* verum in cod. Askew. Monac. Colb. et Gothan. legitur *quam ;* in Is. Voss. 1, *quæ ;* in 4°. *qua*, et in margine *nos ;* in 3°. *dissoluisse.* De hac lectionis varietate notat Huschk. « Hunc versum in archetypo exaratum fuisse suspicor ita : « Nulla queat posthac q̄ soluisse dies, » vel *q* omissa lineola. Quod sumentes pro *que* librarii fulcrum adsumpserunt alii aliud. » Huschk. insuper de voce *posthac* docte disputat hoc modo : « *posthac* hoc loco agnoscunt libri omnes scripti et editi ; at supra lib. I, Eleg. v, vs. 6, tantum non omnes *post-hæc*, excepta præstantissima ed. min. ann. 1472, quæ habet cum paucis manuscriptis *posthac.* Rursus lib. III, El. II, vs. 21, omnes *post hæc* præter cod. Dresd. qui *posthac* ibi solus habet. Hæc ita distingui solent, ut *posthac* ad futurum tempus referatur, *posthæc* ad proxime præteritum, quo sensu etiam *post hoc* ponitur apud Horat. lib. II, Epist. 1, vs. 175, ubi nonnulli habent *posthæc.*

17. *Sed tectius optat.* Vulgo olim legebatur *tutius*, quod Bachio non displicet; potest enim dici pro *cautius.* Brouckh. e septem libris, quibus accedit Is. Voss. 4, revocavit *tectius.* Juvat hic Heynii notam transcribere : « Non tam invidiæ et fascinationis metu tacite vota concipit ; sed præ pudore, ut versus sequens ipse interpretatur. Nisi hoc mirum videatur, juvenem verecundiorem esse puella. Sed apparet Sulpiciam eum ætate, adeoque usu et experientia antecessisse, et mythis Veneris sacris initiatam, jam pudorem teneræ istius ætatis ineptum deposuisse (nisi quoque nobilitate generis eum longe præcessit.) ».

18. *Nam pudet hæc.* Perreius adscripsit *Ac* pro *Nam ;* Voss. 3, *Non ;* Paris. Lips. Voss. 1, et Goth. *hic* pro *hæc.*

19. *Quoniam Deus omnia sentis.* Cod. Lips. *Deus quoniam ... sentit.* Fuere igitur, qui legerent : « At tu, Natalis, quoniam Deus omnia sentit. » Huschk. — *Sentis*, quia præsens adesse festum agentibus credebatur.

20. *Quid refert clamne, palamne.* Ita Brouckh. e duobus suis edidit : vulgo *clamve, palamve.* Ovid. Met. lib. III, vs. 256 : « Sola Jovis conjux non tam, culpetne probetne, Eloquitur. » Sed ibi pariter variant libri, *culpetve, probetve* offerentes. H. Vossius idem cum Brouckhusio sentit, adstipulantibus Ask. Goth. Bern. et Monac. qui tamen ultimus

CARMEN VI.

AD JUNONEM.

NATALIS Juno, sanctos cape turis honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie; tibi se lætissima compsit,
Staret ut ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi caussas tibi, Diva, relegat:

neutri lectionum favet, quum exhibeat *clamne, palamve :* itidem fecit et Bach. nova coacervans exempla. Iisdem accedimus et nos. — *Clam roget.* Interior enim sensus, desiderium et voluntas, verborum vim habent. Hic Scaliger memorat superstitionem veterum in votis tacite concipiendis.

1. *Natalis Juno.* Ut viri Genio sacrificabant die suo natali, ita mulieres Junoni, proprio cognomento *Natali* dictæ. Explicavit hunc locum Turnebus, Adv. lib. XVI, cap. 19; plenius autem ac planius Douza, Præcidan. cap. 19. BROUCKH.—*Turis honores.* Sic Brouckh. e duobus libris edidit; antea legebatur *turis acervos.* Accedunt nunc huic emendationi codices Askew. Voss. 3 et Goth. et Propert. lib. IV, Eleg. VI, vers. 5 : « Costum molle date et blandi mihi turis honores. » Et noster Albius, lib. I, El. VII, vs. 53, *tibi dum turis honores.* Ovid. Met. lib. X, vers. 681, *cui turis honorem Ferret.* Honor omne significat quo mortales Deum venerantur.

2. *Docta puella.* Epitheton Sulpicia nostra condignum; nam in puellis semper refertur ad studium Artis Poeticæ. Hæc præfatus Brouckhus. exemplis permultis rem perficit; sed, ut notat Heynius, ea ipsa exempla, quæ affert, probant illud interdum latius patere. Sic in Juvenale, Sat. VI, vers. 444, *docta*, quam describit, *mulier, enthymemata torquet et historias scit omnes*, Grammaticam etiam intelligit. Et illa Sempronia apud Sallustium, Cat. cap. 25, *litteris græcis et latinis docta fuit;* id vero ad Philosophiam, Historiam et omnia quæ lectione adsciscuntur referendum. Vulpius epitheton ad sacrorum disciplinam falso trahit. Ego cum H. Vossio simplicius puellam intelligo cultioris atque delicatioris ingenii.

3. *Tota tibi est hodie.* Immutatores hinc rursus arcendi sunt; Canterus enim et Demsterus lavacrum admovent et *lota* legi volunt. Guyet. Livin. et Ayrman. emendant *Tota tua est hodie.*

4. *Conspicienda.* Sic lib. I, El. II, vers. 72 : « Insideat celeri conspiciendus equo. »

5. *Ornandi caussas tibi Diva re-*

Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, ne nox divellat amantes:
Sed juveni, quæso, mutua vincla para.
Sic bene compones: non ulli est ille puellæ
Servire, aut cuiquam dignior illa viro.

legat. Sensus sic exponitur: adserit nempe ob eam causam sese tam eleganter compsisse, ut rem tibi divinam faceret, quamvis sub illo prætextu juveni Cerintho placere probarique vel maxime cupiat. Similiter locutus est Velleius Paterc. lib. II, cap. 64: « Fortunæ ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat. » — Hamb. Goth. et Bern. *orandi;* Paris. *oranda causas;* Lips. « Illa tibi oranti casus tibi Diva relegat. »

7. *Ne nox divellat amantes*. Sic jam Muretus ediderat ex aliquot libris; Scaliger legit *ne quis* nescio unde; in multis legitur *ne nos*, et in Guelf. 3 emendatum *ne nox;* in aliis, quorum sunt Guelf. 1, 4, *neve id;* in Guelf. 2, *ne nos*, cum varia lectione, *neu quis*, *nec nox*. Colot. Excerpta *ne quid*, quod amplexus est H. Voss. sequente Bacchio, qui subjicit: « Lectionem *ne nox* monachorum lasciviæ, potius quam Tibullo deberi persuasum mihi habeo. » Lachmanno ad Propertium, lib. I, Eleg. VIII, vers. 45, nulla lectio idonea visa est; quamobrem emendavit, *ne fors*. Huschkius, ut novam eligendi copiam lectori faciat, e codice Lips. lectionem adhuc ignotam affert: « At tu, sancte, fave me nos develet amantes; » ubi *sancte* et *me* mera sunt scripturæ menda. At memorabilis est lectio *develet*, quod verbum, nisi fallor, nusquam legitur, nisi apud Ovidium, Met. lib. VI vs. 604: « Oraque develat miseræ pudibunda sorori. »

8. *Sed juveni quæso*. Heynius notat: « Adversativa hic videtur parum commoda esse. Melius *Et* legeris. » Et superiore versu cuique eligendi æqua potestas, ut hoc loco quoque *Et* aut *Sed* mihi reponendi videantur, prout huic vel alteri lectioni adhæseris supra. — *Mutua vincla*, conjugii constantem nexum.

9. *Non ulli est ille puellæ*. Hæc H. Vossio corruptæ latinitatis esse videntur. Itaque de ingenio effingit, *ut nulli est ille puellæ;* desiderari enim τὸ *ut* jam a particula *Sic* initio versus, obtestandi sensu posita. Huschk. Vossio concedit, inesse his aliquid ἄκυρον: « Cod. Lips. et Edit. maj. ann. 1472, habent *ulle;* edit. Reg. Lep. *ulle: non ille puelle*. Ex *ulle* factum est *nelle* in duobus, Laud. et altero Anglic. mera aberratione pro *ullæ*, quod habet etiam Paris. Vossius in extrema hujus vocis litera reperisse sibi visus *é* pro *est*, hoc inde reposuit, quod mihi potius huc transferendum videtur e pentametro, quem Paris. ita exhibet: « Servire aut cuidam dignior illa viro est. » Quo loco *est* habent duo etiam libri Brouckhusii. At percommode illud verbum locum suum tuebitur in hexametro. — *Ulli* habent libri tres Ursin. Colbert. Guelf. 4, edit. Rom. Venet. cum comment. Cyllenii, Ald. Muret. etc. »

10. *Cuiquam*. In nonnullis *cuidam*. Quorum est Paris.

Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,
  Fallendique vias mille ministret Amor.
Adnue, purpureaque veni perlucida palla.
  Ter tibi fit libo, ter, Dea casta, mero.
Præcipit en natæ mater studiosa, quod optet;
  Illa aliud tacita clam sibi mente rogat:

11. *Vigilans*. Brouckh. *vigilax* ex ingenio edidit absque ulla librorum auctoritate: H. Voss. nunc idem in Is. Vossii 3 reperit, in textumque recepit; neque inficias iverim sæpenumero corrumpi hanc voculam in poetis. Propert. lib. IV, Eleg. VII, vers. 15: « Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburæ. » Ovid. Met. lib. II, vs. 779: « Nec fruitur somno, vigilacibus excita curis. » Auson. Ephem. ipso initio: « Mane jam clarum reserat fenestras, Jam strepit nidis vigilax hirundo. » Et in Met. lib. I, vers. 333: « conchæque sonaci Inspirare lubet; » ubi vulgo corrupte legebatur *sonanti*. Adde Colum. qui lib. VII, cap. 12, de canibus ait: « Maxime autem debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei, sed assidui et circumspecti magis, quam temerarii. » Licet hæc omnia cum Brouckhusio et Vossio conspirent, tamen mihi vulgaris lectio anteponenda videtur, *vigilans* enim *custos* respondet *jacenti*, id est, dormienti. Supra lib. II, Eleg. I, vers. 75: « Hoc duce, custodes furtim transgressa jacentes. »

12. *Ministret*. Venetæ *minister*.

13. *Perlucida palla*. Hamb. *juveni pellucida gemma*; Anglic. unus *prælucida*; Ovid. Metam. lib. IV, vers. 313: « Nunc perlucenti circumdata corpus amictu. » Seneca, Controv. 15: « Adultera tenui veste conspicua sit. » Venire autem *purpurea palla* jubetur hic Juno, sicut Amor ipse in fragmentis Sapphus apud Pollucem, X, v. 124. Huschk. — Bach. de *perlucida palla* ait eam esse quæ lucem longe lateque fundat propter coloris splendorem. Brouckhusius vero dixerat: in vestibus istis tenuissimis, mulier parum liquido juraret se non esse nudam. Heynius, pudoris fidus custos, non sinit Deæ corpus nudum apparere. Cæterum Brouckhus. ingenti eruditionis mole docuit *pallam* fuisse Deorum communem vestitum.

14. *Ter tibi fit libo*. In plerisque *fit* corruptum in *sic* vel *sit*. *Facere* sacrorum est solemne verbum.

15. *Quod optet*. Brouckhusius ex Excerptis Lips. et uno Heinsiano, prætulit *quid optet*. Initio versus ex emendatione Heinsii *en* pro *et*, quæ emendatio nunc codice Ask. firmatur; in Guelf. *at* pro var. lect. Ayrmannus, in vita Tib. § 76, ita legendum esse putat: « Præcinat et gnatæ mater studiosa quod optat. »

16. *Clam sibi mente*. *Clam* Heinsio debetur qui id effinxit, quum multis libris inesset *jam sibi*. Adstipulantur nunc cod. Askew. et Voss. 4, et ipsam Tibulli manum olet hæc scriptura. Sic enim lib. I, Eleg. VI, vers. 60: « Conjungit nostras clam taciturna manus; » lib. I, El. VIII, vers. 60: « Et strepitu nullo clam reserare fores; » Eleg. X, vs. 34: « Et tacito clam venit ipsa pede. » Scaliger e Cujaciano, cui Regius

Uritur, ut celeres urunt altaria flammæ;
  Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.
Sit juveni grata; ac veniet quum proximus annus,
  Hic idem votis jam vetus adsit amor.

cum edit. Rom. et non pauci alii, in his Guelf. 1, 3, 4, accedunt, Vulpio vehementer probante, receperat *jam sua*, ut esset *jam sui juris, non ex præscripto matris*; sed hoc a lepore nativo et ab omni simplicitate alienum est.

17. *Uritur, ut celeres urunt.* Brouckhusius Menagium (in *Anti-Baillet*, tom. II, pag. 214), memorat notasse Nostrum, quod passivo activum subjecerit. Rectius Ovidium dixisse Epist. VII, vers. 23: « Uror, ut inducto ceratæ sulfure tædæ, » scilicet *uruntur*. Ad grammaticam subtilitatem hoc accommodate monitum: sed talium carminum leporem et suavitatem interdum hæc ipsa grata negligentia cumulat. Heyn.

18. *Nec liceat, quamvis.* Bern. *Ne licet quisquam.* Pro *sana*, Is. Vossii 3, *sancta*. — Eodem modo, lib. II, Eleg. V, vers. 110: « Et faveo morbo: tam juvat ipse dolor. » — *Fuisse* more prorsus Tibulliano ad vim aoristi positum, ut supra vers. 6, *placuisse*.

19. *Sit juveni grata.* Heinsius, quum vulgo legeretur *Sit juveni grata*, correxit: « Sic juveni gratis, veniet quum proximus annus, Hic idem votis jam vetus adsit Amor. » Susceperunt Brouckhus. Heynius. Hic tamen fatetur sublatere huic emendationi aliquid, quod lectorem impediat. In Excerpt. Lips. *Sic juveni grata, ac veniet*; in Florent. Statii, *grata est veniet*. Particula *ac* vel sequenti verbo adhæsit, ut fieret *adveniet*, vel excidit, ut in Scaligeri libris et aliis veteribus, teste Statio, item in Reg. Lep. Lips. et Regio. At in Vicent. inde factum est: « Sic juveni grata eveniet quum: » in iisdem *Sit, Sic, Si*, legitur. Guelf. 1, 4: « Sic juveni grata adveniet... jam vetus adsit Amor. » Guelf. 2: « Si juveni grata veniet.... vetus esset Amor. » Cum var. lect. « Sit juveni grata adveniet... ut sit. » Guelf. 3: « Si juveni grata est, veniet quum.... adsit Amor. » Nihil horum Huschkio acceptum est, qui proponit: « Sic juveni placeat: veniet quum proximus annus: Hic idem votis jam vetus adsit Amor; » vel *Hic idem ut votis* etc. conjecturam hoc modo exponens: « Fieri potuit, ut aliquis verbo *placeat* adscriberet *grata sit*, cujus generis glossas sæpe adscriptas videmus. De verbo *placere* vide Carm. XIII, vs. 3; supra lib. I, Eleg. X, vers. 29; similiter: « Sic placeam vobis; alius sit fortis in armis. » Heynius opinatur superiora duo disticha sedem mutasse.

20. *Hic... adsit.* Cod. Lips. *Huc*; Paris. et Hamb. *esset*; Burmann. junior *votis* languide in *notis* mutat. Scaligeri interpretatio est: « Jam votis proximum annum invocat, ut iste jam vetus esse videatur. Si vota spectes quæ faciunt, jam eos putes plurimos annos amare: jam vetus videtur eorum amor. Eorum enim votorum festinatione videntur properare anni. »

CARMEN VII.

Tandem venit Amor, qualem texisse pudore,
Quam nudasse alicui, sit mihi fama minor :
Exorata meis illum Cytherea Camenis
Attulit, in nostrum deposuitque sinum.
Exsolvit promissa Venus : mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse suam.

1. *Qualem texisse pudore.* Olim legebatur, *qualem texisse pudori, Quam nudasse alicui sit mihi fama magis,* Brouckh. e decem libris *pudore*, ex uno Heinsiano *minor* restituit, quum aliter de sensu prorsus desperaret. Heynius tamen eum ita expedit : sit mihi magis pudori talem amorem tegere velle, quam quanta mihi gloria est, cum palam præ me ferre. Cæterum si eligendi potestas mihi concederetur, horum nullum amplecterer. At quem ? est ubi præstet inscitiæ sincera confessio. *Pudori* est in potioribus numero.

2. *Quam ... fama minor. Quam* habent edit. veteres sine exceptione omnes, libri etiam Paris. et Lips. et alii. Hamb. *Quem* ; complures *Et* ; Colb. *Aut* ; Scalig. *At*. Pro *minor*, quod exhibent Ask. et Exc. Colot. reliqui libri habent *magis*. Excerpta Lips. *prior* ; unus Brouckh. *major*, male. Heynius ait : « In *alicui* nulla est varietas, etsi exspectabam *palam*. » At Huschk. addit, dativum hunc raro aut nunquam apud hujus generis poetas reperiri, licet bona sit constructio *nudare alicui aliquid*, ut apud Claudianum, XXXIII, 212, Jupiter *Veneri mentis penetralia nudat*, sed *nudare aliquid palam* quis dixit ? Nonne etiam *clam nudare* possumus ? Heynius *cura* pro *fama* desiderat.

3. *Meis .... Camenis.* Ea offendunt Heynium, qui Venerem non carminibus exorari sinit, sed votis et precibus ; itaque proponit : « Exorata meis illum Cythereia votis. » Huic immutationi Huschk. opponit Bionis fragmentum : Μοίσας Ἔρως καλέοι, Μοίσαι τὸν Ἔρωτα φέροιεν.

4. *In nostrum ... sinum.* Hic iterum Heynius stricto gladio supervenit, substituens *in tenerum ... sinum*. Fatetur tamen totum epigramma grata negligentia conspersum esse.

5. *Exsolvit promissa Venus.* Pudice interrogat Heynius *quænam ?* qui ne forte erubescat, H. Vossii interpretatione utatur.

6. *Suam.* In Cujac. et Guelf. 2, *sua* ; supplet Heynius *gaudia*. Atqui *sua* est pro *sua*, id est, *suam*. Passeratius citra necessitatem *suum* conjecit. Sed ridiculam omnino emendationem attulit Barthius *salem* legi jubens. Sensus est : narrent meos amores et furta, invidia stimulante, qui suis potiti non sunt ; nam hoc est habere suam puellam. Propert.

Non ego signatis quidquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo, quam meus, ante, velim:
Sed peccasse juvat; vultus componere famæ
Tædet; cum digno digna fuisse ferar.

lib. III, El. VIII, vs. 22: « Me doceat livor mecum habuisse meam. »

8. *Ne legat id nemo.* Duplici negatione more *Græcorum*. Libri valde variant. Duo Witt. duo Brouckh. Laud. unus, cum Regio, *Me legat id nemo*; Thuan. Colbert. cum ed. Rom. *Me legat ut nemo*; Excerpt. Perreii, *Me ut legat id nemo*; unus Heinsii et unus Angl. *Me legat id venio*; quatuor Statiani, unus Brouckhusii, unus Angl. *Me legat advenio.* Edit. Rom. *velint.* Guyetus proposuit *Ne legat id quisquam*; H. Voss. suscepit *Me legat ut nemo*, fortasse veram subodoratus lectionem. Idem, quum Heynio molestum videatur τὸ *ante*, ait: « Si quis *ante* expungat, videat ille quid e particula *quam* effingendum sit. » In Is. Vossii 4, *Me tegat ut nemo.* Fuit quoque qui scriberet *esse* pro *ante.*

9. *Sed peccasse juvat.* Heinsius Brouckhusiusque, *Sic peccasse juvat*, ut sit exsultatio puellæ voto potitæ; licet Is. Vossii codices 1, 2, consentiant, tamen hanc conjecturam abesse velim. — Pro *vultus*, Dresd. *cultus*; Lips. *justus.*

10. *Cum digno digna fuisse ferar.* Varronis verba de Ling. Lat. lib. V, hunc locum explanant: « *Violavit virginem*, pro *vitiavit* dicebant. Atque eadem modestia potius cum muliere *fuisse*, quam *concubuisse* dicebant. » Ovid. Am. lib. II, El. VIII, ipso fine: « Quoque loco tecum fuerim, etc. « Art. Am. lib. III, vers. 664: « mecum non semel illa fuit. » — Pro *fuisse.* Goth. et Voss. 4, *puella.*

CARMEN VIII.

INVISUS natalis adest, qui rure molesto,
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellæ?

1. *Invisus natalis.* Argumentum quale fuerit, quasque partes in hisce Messalæ tribuas, in Tibulli vita exponimus. — Pro *qui*, Regius *quid*; pro *rure molesto*, Lips. et Is. Voss. 4, *rure modesto.*

3. *An villa sit apta puellæ?* Vulgo *puellis* legebatur. Brouckh. e Scaligeri sententia reposuit *puellæ*, quia de se tantum loquitur Sulpicia. In Goth. *nam*, quod e *num* processisse suspicatur H. Vossius. Heinsius, ad

Atque Reatino frigidus annus agro?
Jam, nimium Messalla mei studiose, quiescas,
Non tempestivæ sæpe propinque viæ.
Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrio quoniam non sinis esse meo.

marginem editionis Douzæ, conjicit Tibullum scripsisse *sat*, non *sit*, satis ridicule!

4. *Reatino frigidus annus agro.* Edidit Scaliger e quatuor libris *Eretino*, sequente Brouckhusio. Eretum fuit vicus Sabinorum in via Salaria haud procul Tiberis ripa, in edito colle. Totus tractus vicinus mirifice frigebat, etiam media æstate, ut ex Epigrammate Martialis, lib. V, Epig. LXXII, ostendit Brouckhus. Vulgo legebatur *Aretino frigidus amnis agro. Annus* diserte expressus in duobus Anglicis. Heins. ex Thuaneo legebat *frigidus Arnus.* H. Voss. et Wunderlich. *Aretino* amplexi sunt; iidem *Arnus*, cujus *annus* corruptelam esse statuerunt. Huschkius quem sequimur et nos, ait: « Eadem probabilitate ex *Aretino*, transponendis literis formari poterat *Reatino*. Sic versus fit rotundior; et hoc fortasse scripsit auctor, designans Velinum. Sed duo Anglic. et ed. Brix. ann. 1486, habent *annus*, quod post Scaligerum aliosque admisit Brouckhus. Hæc lectio omnes numeros explet. Frigidus *amnis* et *annus* confunduntur etiam apud Virgilium, Æneid. lib. VI, vers. 311.

5. *Nimium Messala mei studiose.* Duo Ital. *minimum*, falso: plus, quam puella vellet, officiosus erat, *empressé.* Regius hunc versum faciebat novi carminis initium, et inscribebat: *Quæstio ad Messalam.* Hoc adeo possit pro Epistola, *billet*, haberi, ceratis tabellis scripta, et ad Messalam missa. HEYN.

6. *Non tempestivæ sæpe propinque viæ.* Ayrmann. in vita Tibulli, § 82, scribendum putabat: « Non tempestivæ simque propinqua viæ. » Heyn. vero: « Non tempestiva sæpe propinque via; » et deinde: « Non tempestive sæpe propinque tuæ. » *Tempestive* enim erat antiqua scriptura, quæ etiam *tempestivæ* esse poterat. H. Voss. e Vindob. Monac. et Hamb. *tempestive* amplectitur. In uno Statii erat *tuæ*, unde ille effinxit *fugæ*. Ne superioribus quidem quas excogitaverat, conjecturis contentus fuit Heynius; ait enim: Quid si legamus: « quiescas, Non tempestivam sic properare viam. » Huschkius in adverbio *sæpe* hæret. Initio versus Paris. et Vindob. *Neu tempestive*; Colb. *Heu*; unus Brouckhus. *Nec*; Lips. *Nam tempestive*. Ego cum Heynio lubenter dixerim: nihil horum omnium sasisfacit.

7. *Hic ... relinquo. Hic*, id est, Romæ, unde invita discedo, dum Cerinthus hic est. Nonnulli libri, ut Lips. *His*. — *Ducimus* volentes, *abducimus* invitos; sic lib. II, Eleg. III, vers. 61: « At tibi dura Ceres, Nemesin quæ abducis ab urbe. » Frequenter occurrit *relinquere* eodem sensu dictum, ut apud Terentium, Adelph. Act. III, sc. IV, vers. 52: « Denique animum relinquam potius, quam illas deseram. »

8. *Arbitrio ... meo.* Brouckh. *Arbitrii mei* prætulit non sine librorum

CARMEN IX.

Scis, iter ex animo sublatum triste puellæ?
Natali Romæ jam licet esse meo.

auctoritate. Itidem fecit et Heynius, insuper conjiciens : *Arbitrii quin tu me sinis esse mei.* H. Vossius edidit *non licet.* Idem *arbitrio meo* rejicit, propter sequentis carminis pentametrum, qui in cadendo eumdem sonum refert. Mirum argumentum! Cæterum horridum in modum torserunt viri docti hunc locum. Statius *sinit* ex uno prætulit, legens *arbitrio quamvis non sinit esse meo.* Guyetus *suo* optavit ; alii aliter senserunt. Nimium absolute pronuntiat Heynius *quoniam* et *quamvis* ex compendio scripturæ nata esse.

1. *Scis, iter* etc. Heynius, qui tamen in superioribus de tabellis meminerat, quas dicimus *billets*, hæc nunc fragmentum majoris carminis esse vult. Manifestum autem his paucis Sulpiciam de mutato itineris proposito, amatorem fecisse certiorem. In libris fere inscribitur carmen hoc ad *Tostratum, Theostratum, Theoratum, de ejus natali die*; corruptum procul dubio ex *Tetrastichon*; ut jam nihil sit, quod Cerinthum premat, vel ob infidam puellam angat. In Corvin. *Ad Voratum de natali die.* — Eodem animi motu et lætitia exclamat apud Terentium, Eun. Act. V, sc. IX, vers. 5, Chærea : « Scin' me in quibus sim gaudiis, etc. » In Vindob. adhæret hoc carmen superiori ; ibidem legitur *inter ex animo.* H. Voss. inscripsit *Tibullus ad Cerinthum*; quo facto omnis carminis jucunditas perit, sed jam primo versu confutatur ille.

2. *Jam licet esse meo.* Scaliger e Cujac. et Var. Lection. Wallii edidit *jam licet esse tuo.* In aliis *non sinit*, *nunc sinit*, vel *sinis*, *sinet.* Huschkius opinatur, corruptelam contraxisse hoc hemistichion ex hemistichio extremo Carminis VIII. Brouck. et Vulpius edidere *jam sinis esse tuo.* H. Voss. e Corvin. Guelf. 3, et Monac. *nos sinet esse.* Hoc sensu : veniet Sulpicia Romam, ut natalem suum una nobiscum celebret. Memoria teneas apud Vossium hæc a Tibullo ad Cerinthum scribi. Apud Wunderlichium Messala est, qui *sinit.* Huschk. *meo* de conjectura textui intulit, hæc præfatus : « Qui *tuo* scribebant, ut est in Paris. Lips. aliis, et edit. princ. Venet. 1475, Vicent. Reg. Lep. intellexisse putandi sunt, vel Messalæ, vel Cerinthi diem, carmen scriptum esse fingentes ab alio sive ad hunc, sive ad illum, prout vel *sinis*, vel *sinit* legerent. E contrario qui *suo* scribebant, quod habet Scaligeri liber, edit. Brix. Venet. 1491, 1493 ; Ald. et Plantin. 1569, de Sulpiciæ natali cogitasse videntur, quùmque iidem editores simul scripserint *non sinit esse suo*, hunc sensum intulerunt, *non sinit* Messala Sulpiciam esse natali *suo* Ro-

Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
  Qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

mæ. Hoc prorsus repugnat hexametro. Mihi nec poeta placet alienus de improviso in scenam productus, neque vero dies natalis, diversus ab illo de quo agitur carm. VIII, nec dubito quin utrumque carmen scripsisse fingatur Sulpicia ipsa ad Cerinthum, altero quærens de itinere suscipiendo, altero exsultans sublatam ex animo esse itineris tristitiam. Ergo in pronomine *tuo* vel *suo* mendum hærebit, illatum ab iis qui vocem *puellæ* a puella de semetipsa positam esse non intelligerent, quod tamen supra jam carm. VIII, vs. 3, factum vidimus, atque adeo legendum erit, vel *jam sinit esse tuæ*, quam postremam scripturam habet liber Scaligeri; vel quod mihi magis placet, *Natali Romæ jam licet esse meo.* » — Ego, qua sententia sum, ambas lectiones in unam traherem hoc modo *jam licet esse tuæ*, scilicet *puellæ*; *Natali* enim per se constare potest, neque pronomine indiget.

3. *Omnibus .... natalis agatur.* Heynius ait : Languet versus inprimis in *omnibus*. Idem in margine edit. Vicent. adscriptum vidit *genialis*. Quod Voss. in textum intulit. Huschkius notat : « Nos hanc lectionem rursus e contextu relegemus in marginem, et retineamus etiam *Omnibus*, donec quod substitui possit, aliquid aliquando reperiatur probabilius, quod protinus adscriberem, si Œdipus essem. »

4. *Nec opinanti .... forte venit.* Brouckh. scribi jubet junctis vocibus *necopinanti*; ita enim veteres solitos esse; de qua re Zinzerling. citat. Heynio, nescio qui fit, ut hæc frigere videantur, neque intelligo cur refingi voluerit : *Quum nec opinanti candidus ille venit*, e libro Ursini, cui inest : *candidus usque venit*; in Regio, *nec tibi forte*. Acerbius in textum sævit H. Voss. sic reponens : *Qui nec opinanti candidus, ecce venit. Ecce* ex ingenio. Nullus codex habet *jam tibi*, quod post Vulpium Heynius edid. Lector ignoscat tot et tam varia colligenti.

CARMEN X.

Gratum est, securus multum quod jam mihi de me

1. *Gratum est.* Ironice dictum : uti alias placet. Juvat vero, inquit puella, quod de me, hoc est, mei amoris pertinacia tam multum tibi promittis, et me ne injuria quidem provocatam moveri putas, ut ne alieno amori succumbam. Heyn. — Vulgo legitur *mihi de me permittis*, quod Heynio non omnino sensu carere videtur : per te mihi licet quidvis agere, cum quolibet esse, quum alias amatores de puellarum moribus et consuetudine valde solliciti et curiosi sint. Idem fere cum Heynio

Permittis, subito ne male inepta cadam.
Si tibi cura togæ est potior, pressumque quasillo
Scortum, quam Servî filia Sulpicia;

sentio; itaque vulgatam revocavi, sensum paulo aliter exponens: jam mihi quæcumque facere licet, præsertim quum tu eo securitatis processeris, ut etiam alias puellas easque nullius existimationis in amplexibus habueris. Hoc modo τὸ *jam* certe non friget. Et erit *securus multum*, cum verbis, *subito ne male inepta cadam* jungendum. *Tibi* ex uno Angl. Heinsius retraxit, adstipulantibus nunc Is. Voss. I, 4; Hamb. et Vindob. *promittis* inest Is. Vossii 2, 4, 5 et Vindob.; Regius, Goth. *promittas*, quod H. Voss. suscepit; omnino male. In quibusdam etiam *securis*, quod quorsum spectet, non intelligo. Statius adposuit locum. Martial. lib. VII, Epigr. V, vs. 2: « Gratum est quod Celeri nostros legis, Aucte, libellos. »

2. *Ne male inepta cadam.* Hæc, ut notavi, pendent a voce *securus multum*, id est, *plane non veritus ne* etc. Liber Sfortiæ *nec*. Porro Voss. 5, Zwic. 2, et ed. Lips. apud Heynium, *mala inepta* perperam. Catullus enim, X, 33: « Sed tu insulsa male et molesta vivis; » ubi etiam editores quidam sinceram scripturam vitiant, reponentes *mala*. Horat. Carm. lib. I, Od. XVII, vs. 25, *male dispari*; Saty. lib. I, III, 45, *male parvus*: IV, 66, *rauci male*; IX, 65, *male salsus*. Cæterum *cadere* verbum nequitiæ Heynio videtur, qui illud idem esse quod *succumbere*, immo idem quod *subsidere*, declarat. Crediderim tamen cum H. Voss. nihil tale huic verbo subesse, neque aliud significare quam *excidere fide*.

3. *Si tibi cura toga est potior.* Sic Heins. Vulgo: *Sit tibi cura togæ potior.* Quod ferri potest, quin adeo quod præferendum; imprecantis enim verba sunt, quæ juvenem scortum adire jubeat. Brouckh. opinatur lectionem *togæ* inde natam, quod verbi *est* prima litera antecedentibus adhæserit; *Si* inest Guelf. 3; quinque apud Vossium habent, *Si tibi cura togæ potior.* Hoc modo Heinsii conjectura defendi potest. Eam tamen abesse juberem, nisi cohærentia cum sequentibus aliquid tale postularet. Cæterum firmatur insuper loco Albii nostri, lib. II, Eleg. III, vers. 33. De meretricibus togatis egit cum cura Lævinus Torrentius ad Horat. lib. I, Sat. II, vs. 63, et Thomas Demsterus ad Rosin Antiq. Rom. lib. V, cap. 32. De ancillis quasillariis Scaliger hic loci.

4. *Servi filia Sulpicia.* Quidam scribunt *Servi*, et Bentleius ait: « Primus ex poetis qui hodie exstant, Propertius bis vel ter, Ovidius sæpissime, et post eum alii omnes geminum *i* usurpant. Sub Augusti scilicet senescentis ætate ista mutatio facta est. » Non ferendum esse, notat Huschk. quod Bentleius edidit ad Horat. lib. I, Od. XII, vers. 34, *Pompili*, *Tarquini*: neque enim per contractionem hæc fiunt, sed per veteris linguæ consuetudinem. Recte autem monet Wolfius ad Inscript. Tabulæ Placentinæ, pag. 35, ex adjectivo *Tarquinius* veteres non formasse *Tarquini*, sed *Tarquinii*, perinde ac *egregii*. *Sulpicii* scripsisset Tibullus, si hoc nomine pro adjectivo usus esset, ut

Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,
  Ne cedam ignoto, maxima cura, toro.

Horat. lib. IV, Od. XII, vers. 18, *Sulpiciis horreis*. Nunc sermo est de *Servi Sulpici* filia *Sulpicia*. Non erat itaque cur Heynius diceret : « Miror nusquam legi *Sulpicii*. » Cæterum Propert. non bis vel ter, sed pluries geminum *i* usurpavit, si ultra nomina propria progrediaris. Graviora quædam de Bentleii annotatione leguntur in Annal. lit. tom. I, P. 1, pag. 61.

5. *Solliciti sunt* etc. Sensus doctis interpretibus multum fucum fecit, aliis aliter exponentibus poetæ sententiam, quæ tamen nobis in aperto esse videtur : dum tu me togatæ quasillariæ posthabes, et ignobili amore ardes, solliciti sunt pro me ne tibi obscuro homini nubam ; ita et tu, et ego indigno consumpti sumus amore tu in illam, ego vero in te. *Quibus illa dolori est*, ad eosdem refero qui solliciti sunt; *illa* scortum designat, quod hoc ipso quod Sulpiciam excruciat, pariter Sulpiciæ propinquos dolore afficit : absint itaque interpretationes secundum quas *ignoto toro* ad conjugium istius juvenis cum scorto referendum esset ; *maxima cura* Sulpicia ipsa est; cura enim eorum qui solliciti sunt, non ipsius juvenis. Dicunt Latini *cedere prædæ*, ut *cedere in prædam*. Livius, lib. XLIII, cap. 21 : *prædæ alia militum cessere*.

6. *Ne cedam ignoto*. In libris quamplurimis, ut Paris. et Lips. in editis etiam ante Scaligerum omnibus, versus minor ita legitur : « Nec credam ignoto, maxima causa, toro ; » nisi quod Cyllenius in Comm. habet Scaligeri lectionem *Ne credam ;* sed *credam* commode explicari nequit. *Ne* est in octo libris apud Vossium : *cedam*, quod Statius conjectura assecutus erat, in Corv. Guelf. 4, Monac. Voss. 3. At illud merito dubium visum est, utrum legendum sit *cura*, quod habent Voss. 1, 4, Monac. Hamb. et Askew. an quod alii obtemperantes Scaligero prætulerunt *causa*. Huschkius, cui offensioni est in tam brevi carmine vocem *cura* bis deinceps occurrere, malit *causa*. Servavit tamen *cura*, recte ut opinor ; adest enim oppositio inter illam curam, qua juvenis scortum prosequitur, et hanc maximam, quæ propinquorum vel amicorum est, timentium ne forte Sulpicia, quam afflictam esse jam dolent, ipsos majore adhuc dedecore dehonestet, scilicet nuptiis parum nobilibus. Barthius adscripsit : « Hoc distichon respondet prioribus duobus. Lege *sint*, pro *sunt ;* lege *ne*, pro *ne credam*. » Ego vero adscribo : cave ne Barthio confidas ; *sunt* enim retinendum. Cod. Goth. *jura* habet pro *cura*.

CARMEN XI.

ESTNE tibi, Cerinthe, tuæ pia cura puellæ,
Dum mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah! ego non aliter tristes evincere morbos
Optarim, quam te si quoque velle putem.
Nam mihi quid prosit morbos evincere, si tu
Nostra potes lento pectore ferre mala?

1. *Tuæ pia cura puellæ.* Ex febri laborans puella, unice de Cerinthi sui amore sollicitam se esse ait. Vulgo legebatur *tuæ placituræ puellæ.* Heins. ex Ursini codice nostram scripturam reduxit, adstipulante Is. Vossii 4; in quinque Italicis *Morsne tibi, Cherinte;* quod unde venerit, eo revertatur. Ovidius, Epist. VIII, vers. 15: « At tu, cura mei si te pia tangit, Oreste. »

2. *Dum mea nunc. Dum* Heinsii emendatio est; vulgo legebatur *Qui.* At Voss. 1 habet *Quum.* Hoc proxime abest ab illa emendatione. Lips. *Qui me;* Paris. et editiones ante Brouckh. omnes *Qui mea.* Dresd. Monac. Hamb. Ask. Voss. 2, 3, et margo edit. Gryph. 1573, *Quod.* Lips. et Monac. *color.*

4. *Si quoque velle putem. Si* Scaliger e libris reduxit præeunte Statio; olim *Sic.* Vulp. τῷ *velle* aliquid obscœni subesse somniat, quum manifesto sit sensus: non aliter salva esse possim, quam si tu pariter optas me salvam e morbo egredi.

5. *Nam mihi quid prosit.* Sic Brouckhusius e duobus suis et e præstantioribus, loco τοῦ *Ah! mihi;* « voculæ *Nam* ultimum elementum absorpsit princeps litera voculæ *mihi:* unde factum est *Ha*, ac deinde *A* et *Ah.* » In quibusdam *prodest.* Pro *si tu*, Brouckh. edidit *ubi tu.* Heynius adscripsit, « nescio unde: » Nec Vossius originem hujus lectionis indagare potuit. Docet Huschkius illam a Scaligero profectam esse. Heins. *quam tu;* Ursin. *nam tu;* occurrunt etiam *quid tu, quod tu:* sed unice verum est, quod habent libri quatuor apud Brouckh. Guelf. 2, Lips. et Perreii Excerpta *si tu.* H. Voss. qui Guyetum secutus, amplexus est ex ejus conjectura *quom*, inquit: « *si tu* non probandum præcessit enim *si.* » Huschk. vero eum refellit his verbis: « Quid? nonne etiam præcessit formula *morbos evincere?* nempe totum hoc distichon, quædam quasi est ἀνακεφαλαίωσις et elegans conversio præcedentis. Ergo vel propterea reponendum erat *si tu;* hæc lectio jam nota fuit Statio. Scribit enim, *quid tu;* sic in veteribus omnibus, non *situ.* »

6. *Lento pectore.* Libri editi ante Scaligerum omnes *læto pectore;* scripti etiam ut Paris. et Lips. Bern.

CARMEN XII.

NE tibi sim, mea lux, æque jam fervida cura,
 Ac videor paucos ante fuisse dies,
Si quidquam tota commisi stulta juventa,
 Cujus me fatear pœnituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
 Ardorem cupiens dissimulare meum.

lecto, corrupte; Hamb. *putes lateo corpore* corruptius. Cod. Askew. *lento* exhibet, sicut egregie emendaverat Scaliger. Propertius, lib. I, El. xv, vers. 4: « Tu tamen in nostro lenta timore venis; » Ut recte monet Bach. *læto*, non esset infracti amoris, sed malignitatis indicium.

1. *Ne tibi sim.* Carmen hoc in libris et antiquis editionibus annexum fere superiori est, nec sejunctum video ante Scaligerum. Idem, vel ejus prius distichon, repetitum erat supra, et adjectum Elegiæ sextæ libri III. Heyn. — *Sim* Muretus primus dedit; vulgo *sit*. Excerpta Perreii *Nec tibi sim*; Pocch. *ne tibi sim*. Eodem sensu Cicero, ad Att. lib. XVI, Ep. xiii: Ne sim salvus, si aliter scribo ac sentio. » Brouckhus. loco vulgati *tam*, edidit *jam*, consentientibus libris melioris notæ.

2. *Ac videor.* Ita Brouckh. e libris. Paris. *Ac videar paucos*; Lips. *Ac videas paucos*: olim expressum erat, *Ut* pro *Ac*; illud reduxere H. Voss. et Bach.

3. *Juventa.* Reg. *senecta*; male. Is. Vossii 5, pro *quidquam*, exhibet *quæcumque*. His mendis adscribit Huschkius: « Adeo delirarunt in plano hoc carmine librarii et editores veteres. »

4. *Cujus me fatear.* Scaligeri codex recens *Quoius*. Notavit Brouckhus. (post Heinsium ad Aldin. 1515.) Heinsii codex vel Datianus *Quius*. Marius Victorin. pag. 2460, 8: « Item *Cujus* per *Quojus* literas scribebant. » Scriptura recipienda iis, qui *Quoi* pro *Cui* ponunt. Pro *fatear*, Lips. *fateor*. At idem supra *Cujus me fiat*. Editores hoc loco consentiunt in *fatear*, præter Tuscanellam Basil. 1569, qui *fateor*, paucorum librorum lectionem restituit. Paris. Askew. etc. *fatear*; ed. Rom. *Cujus ire fatear*. Huschk.

5. *Quam te solum quod.* Bern. et Vossii 5, *qui* pro *quod*; Paris. *quod solum*; duo Angl. *sub nocte*; unde Heynius ait legi posse: « Quam quod te hesterna solum sub nocte reliqui. » Aliter se habent variæ lectiones ejusdem carminis, in fine libri tertii, ubi adscriptum legitur in Lips. supra *quæ te solumque nocte*; pro *quod*, Voss. 2 *cum*; at Voss. 5, Bern. Hamb. *solam*. Barthius hic notaverat: « Duo sunt epigram-

CARMEN XIII.

NULLA tuum nobis subducet femina lectum.
Hoc primum juncta est fœdere nostra Venus.
Tu mihi sola places; nec jam, te præter, in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam possis uni mihi bella videri!
Displiceas aliis! sic ego tutus ero.

mata .... transposita hæc sunt, et ita collocanda : « Est ne tibi, Cerinthe ... Si quicquam tota ... Hesterna quam te ... Ah! ego non aliter ... Ah! mihi quid prosit ... Nec tibi sit, mea lux ... Est confusus sermo amore flagrantis. » Adscripsit lepide Huschkius : « Est confusus sermo Gasparis Barthii. »

1. Tibulli carmen arbitror, ipsa dictione ita persuadente, et numeris ad Albianum characterem artificiose conformatis. Sed sede sua excidisse puto, et referendum ad pauculas illas libelli tertii Elegias: neque enim plures libros scripsisse equitem nostrum, veteres nos critici docuerunt. BROUCKH. — *Nobis*. Cyllenius dedit *titulis*, ut nunc falso habet Vossii 1. Ille interpretatus est, stemmate nobilitatis. Huschk. notat hanc miram scripturam e libro Colot. profectam esse, ubi *donis* legitur, quod deinde a sciolo quodam in *titulis* corruptum. H. Voss. opinatur nomen *Tibulli* in margine inscriptum, huic pravæ lectioni locum patefecisse. *Subducere* in simili re a Propert. usurpatur lib. I, El. VIII, vers. 45 : « Nec mihi rivalis certos subducit amores. » Statius comparat illud Sophoclis, in Electra, 114 : ὑπεκλέπτεσθαι τὴν εὐνήν.

2. *Juncta est*. Regius, *pacta est*; Is. Voss. 3. *vincta*; itidem Askew. a prima manu; Monac. *victa*. Propert. lib. III, Eleg. XX, vers. 21 : « Namque ubi non certo vincitur fœdere lectus. »

3. *Tu mihi sola places*. Sic Brouckh. ex uno suo et e libro Scaligeri, quibus accedunt Is. Voss. 1, 3, et Askew. adde Guelf. 1, 4, Vulgo legebatur *modo*. Nonnulli ordine immutato, *nec te jam præter*; vide quæ ad hujus libri Carm. V, vers. 7, notavimus.

5. *Uni mihi bella videri*. Hoc votum Brouckhusium valde offendit. « Quid enim, ait, possis crudelius imprecari mulieri, quam ut ne placeat, nisi uni viro? » Tum consueto more exempla subjicit. Olim legebatur *posses*; Heins. emendavit *possis*, quod nunc tuentur Voss. 2, Bern. Askew. et Guelf. 1. Idem desideratur a sequente *displiceas*; pariter enim ab *utinam* pendet. Pro *uni mei*, unus Angl. *mihi tantum*; quod minus placet.

6. *Sic ego tutus ero*. Pro *tutus*, Is.

Nil opus invidia est; procul absit gloria vulgi ;
  Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possim bene vivere silvis,
  Qua nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
  Lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet e cælo mittatur amica Tibullo,
  Mittetur frustra, deficietque Venus.

Voss. 1, *tuas ;* cod. Witt. 2, pro *sic ego*, *tunc ego.*

7. *Nil opus invidia est.* A Regio exsulat *est ;* itidem ab Is. Voss. 5. Hanc occasionem in verbum substantivum sæviendi non prætermittit H. Voss.

8. *In tacito gaudeat ille sinu.* Sic Propert. lib. II, Eleg. XXV, vs. 29 : « In tacito cohibe gaudia clausa sinu. » Senec. Ep. 105 : « sic vero invidiam effugies, si scieris in sinu gaudere. ». BROUCKH. — H. Voss. e veteribus quibusdam revocavit *ipse*, ut esset *secum*, *sibi ;* satis ridicula interpretatio! Certo nullus alium in puellæ sinu gaudere jubebit.

9. *Possim bene vivere silvis.* Vulgo *possum ;* primus *possim* edidit Brouckhusius ex uno libro, cui accedunt Vossii 2, 3; Askew. Goth. Zwic. 1. HUSCHK.

10. *Sit via trita pede.* In Gothan. *tuta ;* in Monac. desunt vs. 9-20.

11. *Tu nocte vel atra.* Simile quid occurrit in Anthologia, lib. VII, Epigr. 191 : Ἢν δ' ἐσίδω Θήρωνα, τὰ πάνθ' ὁρῶ· ἢν δὲ τὰ πάντα Βλέψω, τὸν δὲ γε μή, τοὔμπαλιν οὐδὲν ὁρῶ.

12. *In solis tu mihi turba locis.* Martialis, lib. XII, Epigr. XXI, vs. 21 : « Romam tu mihi sola facis. » Locutione simili noster usus est, lib. I, Eleg. II, vers. 74 : « Jungere, et in solo pascere monte pecus. » Propert. lib. I, Eleg. II, vers. 11 : « Surgat et in solis formosior arbutus antris. »

13. *Nunc licet e cælo mittatur.* H. Voss. *e* expungit codice Is. Vossii 5. fretus, eique substituit *et* ex eodem. Deinde laudat, lib. I, Eleg. III, vers. 90 : « Videar cælo missus adesse tibi ; » sed hic res se omnino aliter habet. *E cælo missus* dicitur, qui virtutibus conspicuus vel egregia forma dignus est, qui inter divos habeatur. *Cælo missus* contra ille est, qui nec opinato ac subito quasi cælo delapsus adest : et hinc crediderim lectionem ed. min. 1472, profectam : « Nunc licet et templo mittetur, amica Tibullo. » Quæ certo ita refingenda : « Nunc licet extemplo mittatur. » Librarius aliquis, procul dubio, cui satis notum erat *cælo mitti* idem esse, quod subito adesse, *extemplo* ut interpretamentum, margini adscripserat, at alius illud textui invexit, ita ut tertius adhuc stultius scriberet *et templo* » voculam dilacerans.

14. *Deficietque Venus.* Ipsa Venus suas artes et illecebras frustra in me experietur ; omnia licet molita in me fuerit : sic Heynius : ego vero secus. — Opinor *Venerem* hic dici eodem sensu ac supra vs. 2, *juncta est nostra Venus.* Vide lib. I, Eleg. V, vers. 40.

Hæc tibi sancta tuæ Junonis numina juro,
Quæ sola ante alios est mihi magna Deos.
Quid facio demens? heu! heu mea pignora cedo!
Juravi stulte : proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures :

15. *Tuæ Junonis numina juro.* Initio versus in quibusdam libris est *Per tibi*, probante Heinsio. Brouckh. ait: « Probarem et ego, nisi me moveret majestas nescio quæ antiquæ locutionis, deam quasi præsentem testata. » H. Voss. *Per tibi* prætulit : in aliis libris, *Hoc tibi.* Virgil. Æneid. lib. XII, vers. 197 : « Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera, juro; » ubi Servius ait : « Et ornatior elocutio et crebra apud majores, quam si velis addere præpositionem ut dicas, juro per maria, per terras. » Sic Sibylla, Æneid. lib. VI, vers. 324 : « Di cujus jurare timent et fallere numen. » Palinurus, ibidem vers. 351, *maria aspera juro.* Ovid. Met. lib. II, vs. 101, *Stygias juravimus undas.* Nec mirum tamen *Per tibi* Vossio et Wunderlichio magis placuisse : passim enim hac structura utitur Tibullus vide lib. I, Eleg. V, vers. 7, *Per te furtivi fœdera lecti.*

16. *Est mihi magna.* Vulgo erat *tibi*; Scaliger e libris substituit *mihi*, ut Genium puellæ suæ dicat sibi omnium deorum esse maximum. Accedit nunc Vossii 4; in Askew. *digna;* Vossii 4, *ante alias.* Vide lib. III, Eleg. IV, vers. 93; Eleg. VI, vers. 32; inprimis, lib. II, El. IV, vers. 24 : « Sed Venus ante alios est violanda mihi. » Notum est feminas jurare solere : « Junonem meam iratam habeam. »

17. *Heu! heu! mea pignora cedo!* [illegible] Scaliger reposuit e suis, et potissima librorum parte, quorum sunt Goth. Askew. Vossii 3 et 4; at in 5°. legitur *cede*, adscripto *credo.* Sed Scaliger accipiebat *pignora cedere*, ut esset *cædere, concidere sibi sua pignora;* quasi ductum foret ab isto capiendorum et concidendorum pignorum jure, de quo Cicero, de Orat. lib. III, cap. IV, 1. Nimis acute! In vulgatis olim *pignora credo;* eodem fere sensu quo *cedo;* nam *pignora credi et cedi* æque bene dicuntur. Heinsius *credo* tuebatur laudans illud Ovid. Art. Amat. lib. III, vers. 486 : « Pignora nec juveni credite vestra novo. » — *Heu! heu!* in omnibus libris est; licet olim editum esset *heu! cui* In Corvin. est *seu cui mea pignora servo;* in Hamb. legitur *prodo.*

18. *Proderat iste timor.* Præclare Vulpius revocavit lectionem nonnullorum librorum, quæ etiam est in Reg. et ed. Lips. quamque sensus ratio exigit : ille timor et metus de mea fide et constantia, proderat, quum te in officio contineret, quum te in ordinem redigeret et coerceret, ne immoderate mea facilitate utereris. Scaliger id mutarat in *proderit*, quod sensum impeditum, vel nullum reddit; et tamen Brouckh. retinebat. In plerisque libris, etiam in ed. vet. et vulgatis, inde ab Ald. *prodeat* legebatur. *Prodeat iste tumor*, Guelf. 3. HEYN.

19. *Nunc tu me audacius.* Abest *tu* a Lips. At Zwic. et Goth. habent *me tu.* Paris. *audactius* ; ed. Rom. *nunc*

Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Jam faciam quodcumque voles; tuus usque manebo,
Nec fugiam notæ servitium dominæ.
Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aras.
Hæc notat injustos, supplicibusque favet.

tu vis auditus ures, quod Heynius facile putaret corruptum ex.: *nunc tu miserum acrius ures*, nisi esse natum appareret ex scriptura *audatius*.

20. *Hoc peperit misero garrula lingua malum.* Mollevaut hunc versum feliciter expressit :
Voilà les maux qu'enfante une langue indiscrète.

21. *Tuus usque manebo.* Is. Voss. 1, *tutus usque*; 3, *tutusque*; ed. Rom. *mando*.

22. *Nec fugiam notæ.* In Bern. *faciam*; in Colb. *nostræ*; edit. Brix. Venet. Guelf. 1, 4, Gothan. *nocte*; satis ridicule! — Cæterum *notæ*, cujus servitio adsuetus sum. Supra lib. III, Eleg. VII, vers. 27 : « Non ego, si fugiat nostræ convivia mensæ, Ignotum cupiens vana puella torum. » Propert. lib. I, Eleg. IV, vers. 4 : « Hoc magis assueto vivere servitio. » Ubi etiam *ducere* legitur.

23. *Sed Veneris sanctæ.* In Vossii 5, *Quod* pro *Sed*; in eodem, in primo et in Goth. *confidam*, etiam in Reg. In Vossii 3, *consistam*; in Hamb. *junctus*; in Gothan. *victus*. Confunduntur passim *uinctus*, *iunctus*, *uictus*. Epitheton *sanctæ*, Veneris proprium fuisse docet Brouckhusius e lapidibus, et e locis Catulli quibusdam.

24. *Hæc ... supplicibusque.* Cod. Heins. et ed. Rom. *Nec*, vix dignum notatu; fuit enim in libro *Hec* pro *Hæc*. Eadem editio omittit *que*. Is. Voss. 1, *fovet* pro *favet*. Husch. Heyn. ait : « Possis quoque *injustas* puellas hoc loco desiderare : non *injustos*. Etsi hoc genus alterum complecti solet. » Acerbius, quam par erat, interpretatus est hunc versum Bach. quum verbo *notat* flagella et verbera subesse somniaret, ex imagine, qua ultionem divinam declarare solent poetæ, ut Horat., lib. III, Od. XXVI, vs. 11 : « Regina sublimi flagello Tange Chloen semel arrogantem. » Ego crediderim, *notare* esse hoc loco censorium verbum, ut propius ad scopum accessisset Bach. si, quum Horatii citandi desiderio teneretur, illud e Sat. lib. I, III, vs. 24, laudasset : « Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari. »

CARMEN XIV.

RUMOR ait nostram crebro peccare puellam
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non hæc sunt nostro sine jacta dolore.

1. *Peccare.* H. Voss. existimat hoc verbum de minoribus delictis intelligendum esse, poetamque comiter loqui : mihi vero secus videtur neque abs re erat, quod in Witt. 1, inscriptum legebatur : *Tetrastichon puellæ de infamia.* — Paris. cum aliis, ed. maj. ann. 1472 ; Vicent. Reg. Lep. Venet. etc. *Rumor ait crebro.* Contra Lips. unus Brouckh. Hamb. et edit. min. ann. 1472 : *Rumor ait nostram crebro.* Hæc vera est structura. Statius laudat Propertium, lib. IV, Eleg. IV, vers. 47 « Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe. » Unus Brouckh. *peccasse*, pro *peccare*. quod idem tamen pro diversa lectione exhibet. HUSCHK.

2. *Surdis auribus esse velim.* Propertius, lib. II, Eleg. XX, vs. 13 : « De te quodcumque, ad surdas mihi dicitur aures. »

3. *Crimina ... jacta.* Regius cum aliis male *carmina*, quod Cyllenius de hoc tetrasticho intelligebat. *Jacta* Pontani conjectura, cui accesserunt etiam Heinsius et Brouckhus. Illos H. Voss. idcirco valde reprehendit; arridet enim ei lectio *ficta*, jam a Mureto et Statio e libris suscepta. Si hisce contentus fuisset H. Voss. nihil esset cur eum vituperare posses ; sed non potuit quin aliquid ex ingenio effutiret hoc modo : « Non hæc sunt nostro nisi ficta dolori ; » negat enim voculas *non sine* commode separari posse, laudatque illud Horatii, *non sine Dis*, et Albii nostri, lib. I, Eleg. VII, vers. 9 : « Non sine me est tibi partus honos ; » et Eleg. VIII, vers. 6, *Non sine verberibus.* Libri magno numero habent *facta ;* Lips. *fata.* Cæterum *facta* et *ficta* etiam commutantur apud Propertium, lib. I, El. XVIII, vs. 25 : « ... neque arguto ficta dolore queri. » Jam monuimus nostrum *jacta* conjecturam esse Pontani ; inest tamen illa codici Voss. 2, et Goth. Huschk. ait : « Nec semper *non sine* conjunctim, sed etiam interdum interposita una et altera voce ponitur, ut apud Virgilium, Æneid. lib. II, vers. 777, quem locum laudat Vulpius. Jam dicunt Latini, *fingere crimina* et *jacere crimina.* Hoc autem inprimis tum, quum aliquis interdum aliquid, obiter suspicionis movendæ, pungendi, irridendi causa, dicit. Tacit. Annal. lib. XI, c. 19 : *incertum an falso jacta ;* Seneca, lib. III, cap. 37, de Ira : *in convivio* quorundam *te sales et in dolorem tuum jacta verba tetigerunt.* Utrumque verbum conjungit Propertius, lib. III, El. XXIII, vs. 14 : « Non bene de nobis crimina ficta jacis. »

Quid miserum torques, rumor acerbe? tace.

4. *Quid miserum torques ... tace.* Brouckhus. edidit *surdum*, Barthio confisus. Unus Statii *sile*. In codice Paris. hæc leguntur: « Albii Tibulli, poetæ illustris, explicit liber tertius et ultimus. ». Sequitur Epitaphium Tibulli et Vita. Sic etiam res se habet in cod. Dresd. Alii libri inverso ordine primum *Vitam Tibulli*, deinde *Epitaphium* exhibent. Eodem modo inter se discrepant editiones veteres. Edit. maj. ann. 1472, quæ huic Carm. XIV subjectam habet vocem græcam Τέλως, Vicent. et Reg. Lep. Carmini XIV statim adjungunt vitam, hoc titulo: *Summa vitæ Albii Tibulli.* Sequitur *Epitaphium Tibulli.* Cui in iisdem subjungitur, *Ovidii Nasonis Epistola, in qua conqueritur de morte Tibulli.* Hæc abest ab ed. min. ann. 1472, quæ primo loco *epitaphium*, deinde *breve poetæ elogium* exhibet (Panzer. tom. IV, pag. 7, 31.) Heynius ita: « In ed. Lips. et libro Cyllenii ne hoc quidem (*epitaphium*) subjungebatur. » Atqui in ed. Venet. 1491 epitaphium subjungitur Carm. XIV, minoribus tamen literis excusum; cui succedunt duo hæc disticha post epitaphium posita, sicut in ed. Rom. et Corvin.:

Sub teneris annis tenerorum scriptor amorum
Decedens dura hac ecce Tibullus humo.
Donec erunt ignes arcusque cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.

Summa vitæ Albii Tibulli rejecta est in commentarium. At ed. Venet. 1493, hæc omnia habet in Commentario. Cod. Lips. post epitaphium Domitii Marsi: « Finis Tibulli huc usque constat. » Sequuntur duo elegidia, ad præstantissimam virginem *Ypsotam de Nagarolis*; quibus accedit *Vita Tibulli*. Adjuncta sunt novem carmina recentiora. HUSCH.

FINIS CARMINUM.

EPITAPHIUM TIBULLI

A DOMITIO MARSO

COMPOSITUM.

Te quoque Virgilio comitem non æqua, Tibulle,
  Mors juvenem campos misit ad Elysios:
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,

1. *Te quoque Virgilio comitem non æqua*. Domitius Marsus vixit temporibus Augusti, et epigrammatum scriptor habitus est, inprimis nobilis atque excellens. Multa de eo ejusque fragmentis docte disputat Brouckh. Heyn. Vide etiam Quintilianum, Inst. Orat. lib. III, cap. I, 18. — *Te*. Unus Statii, *Me*. Edit. Gryph. 1573 in margine, *æque*, pro *æqua*. Hæc ad Virgilium spectant, paulo ante morte consumptum. Scaliger *non æqua* ita intelligebat, ut mors Virgilium senem, Tibullum vero juvenem oppresserit. Utrumque H. Voss. contra veram rei rationem esse ait, cui si confidas, neque ille senex erat, neque hic revera juvenis.

2. *Campos misit ad Elysios*. Codex Bibl. Reg. quem laudat Burmannus ad Anthologiam Lat. tom. I, pag. 416; Lips. et ed. min. ann. 1472, *in* pro *ad* Elysios. Illud amplectitur Huschk. Nos vero, ut jam in nota ad lib. I, Eleg. III, vs. 58, p. 40, diximus, τὸ *ad* servamus, consentiente librorum maxima parte.

3. *Ne foret aut elegis molles*. Reg. *miseros*; idem in Hamb. Gothanus *teneros*; Askew. et Hamb. *elego*, quod edidit Pithœus, propter τὸ *forti* sequentis versus; sed perperam. *Molles* retinere præstat, ut docet illud Ovid. ex Ponto, lib. III, El. IV, vs. 85: « Ferre etiam molles elegi, etc. » Huschkius, qui ejusdem nobiscum sententiæ est, nititur præterea Hermesianactis elegia, vers. 35, apud Ruhnkenium, Ep. Crit. II, p. 290: Μίμνερμος δὲ τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο, πολλὸν ἀνατλὰς Ἦχον, καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου Καίετο μὲν Ναννοῦς; quem locum eximie emendat una litterula mutata πολλὸν ἀνακλὰς, id est: Mimnermus *qui* dulcem *invenit*, fortem infringens sonum et *mollis pentametri spiritum*, vel *mollem* pentametri *spiritum*.— Hermesianax Mimnermo non inventionem elegiæ tribuit universe, sed inventionem elegiæ amatoriæ, quod bene demonstravit post alios Franckius de Callino, p. 9. Dicitur autem masculus carminis heroici, vel elegiæ antiquioris sonus, exquisite πολὺς ἦχος, *fortis*, vel *vehemens sonus*, quia facta celebrat *fortium virorum*... Hunc vehementiorem Elegiæ

Aut canerèt forti regia bella pede.

sonum emolliens Mimnermus et argumento amatorio temperans eleganter dicitur *fortem* sonum *infregisse*, plane ut is de quo agit Ovidius, Trist. lib. II, vs. 411 : « Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem, Infregisse suis fortia facta modis. » Hinc *molles* cantus et *infractos* conjungit Seneca, Ep. 90 ; hinc grammaticus Hephæstion, quoddam metri genus ἀνακλώμενον dicit, et ῥυθμὸν κεκλασμένον Longinus, sect. XLI, 1. HUSCHK.

4. *Regia bella.* Margo ed. Venet. 1475, monente Heinsio ad Ald. habet *Martia.* Statio sunt *regia bella,* quæ inter reges fuere. Burm. junior proposuit *ferrea.*

Antonius Panormita ultimum hujus Epitaphii distichon imitatus est, sequenti carmine quod paulo ante mortem sibi ipse scripsit :

Quærite, Pierides, alium, qui ploret amores;
Quærite qui regum fortia facta canat.
Me pater ille ingens hominum sator atque redemptor
Evocat, et sedes donat adire pias.

ALBII TIBULLI

IMITATIONES

GALLICIS CARMINIBUS EXPRESSÆ.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

Licet suo loco et sub ipso textu occurrant quædam gallicæ imitationis fragmenta, non potui, quin metricas quasdam versiones tibi, amice lector, hic offerrem. In prima Elegia certamen inter optimos nostros poetas ortum est, *La Harpe*, *Lebrun*, *Loyson*, quorum unusquisque felicem Tibullo operam impendit : neque in decima defuere interpretes elegantia insignes; quæ Tibullus latine, Morellus græce cecinit; accedunt *Lebrun* et *Andrieux*. Prior insuper primi et secundi libri Elegias vertit, quæ tertio loco leguntur; alter, Terentii apud nos æmulus, musis gallicis gloriæ non exiguam partem adjecit.

IMITATIONS DE TIBULLE,

EN VERS FRANÇAIS.

LIVRE I, ÉLÉGIE I,

IMITÉE PAR LA HARPE.

QU'UN autre, poursuivant la gloire et la fortune,
Troublé d'une crainte importune,
Empoisonne sa vie, et perde son sommeil;
Que, dévouant à Mars sa pénible carrière,
La trompette sinistre et le cri de la guerre
Retentissent à son réveil[1].
Pour moi, qui des grandeurs n'ai point l'ame frappée,
Puissé-je, sans rien craindre, et sans rien envier,
Cacher tranquillement, près d'un humble foyer,
Ma pauvreté désoccupée[2]!
Que, souriant à mes loisirs,
Toujours la flatteuse espérance
M'offre dans le lointain la champêtre abondance,
Ornant l'étroit enclos qui borne mes desirs!
Que des biens que j'attends l'agréable promesse
Suffise à mes amusemens!
Je soignerai ma vigne et mes arbres naissans;
Armé de l'aiguillon, de mes bœufs indolens
J'irai gourmander la paresse.

[1] Martia cui somnos classica pulsa fugent.

[2] Me mea paupertas vitæ traducat inerti.

Qu'avec plaisir souvent j'emporte dans mon sein
L'agneau s'égarant sur la rive,
Le chevreau qu'en courant sa mère inattentive
A délaissé sur le chemin[1]!
J'offrirai de mes biens les rustiques prémices
Aux dieux de la vendange, aux dieux du laboureur.

Divinités des champs, qui l'êtes du bonheur,
Vous recevez toujours mes premiers sacrifices:
J'épanche le lait pur en l'honneur de Palès,
Je présente des fruits sur l'autel de Pomone,
Et, des épis que je moissonne,
J'assemble et forme une couronne,
Que ma main va suspendre au temple de Cérès.

Vous, jadis les gardiens d'un plus ample héritage,
Avant que des destins j'eusse éprouvé l'outrage,
Mais de ma pauvreté devenus protecteurs,
O Pénates consolateurs!
Jadis le sang d'une génisse
Vous payait le tribut de mon nombreux troupeau:
Aujourd'hui le sang d'un agneau
Est mon plus riche sacrifice!
Vous l'aurez, cet agneau, le plus beau de mes dons;
Vous verrez du hameau la folâtre jeunesse,
Autour de la victime exprimant l'allégresse[2],
Demander en chantant des vins et des moissons.
Ah! prêtez à leurs chants une oreille facile,

[1] Non agnamve sinu pigeat fetumve capellæ
Desertum, oblita matre, referre domum.

[2] Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos,
Nunc agna exigui est hostia magna soli.

Et ne dédaignez pas notre simplicité;
Le premier vase, aux dieux autrefois presenté,
Fut pétri d'une simple argile.

Je n'ai point regretté le bien de mes aïeux[1],
Content de mon champêtre asile,
Content de reposer sur la couche tranquille,
Où le sommeil ferme mes yeux.
Oh! qu'il est doux, lorsque la pluie
A petit bruit tombe des cieux,
De céder à l'attrait d'un sommeil gracieux!
Qu'il est plus doux encor, la nuit, près de Délie,
De se sentir pressé dans ses bras amoureux,
Et d'entendre mugir l'aquilon en furie!
Ce sont là les plaisirs que je demande aux dieux.
Qu'il soit riche, celui que des travaux sans nombre
Ont comblé de trésors si chèrement payés:
Je suis pauvre, et je vais chercher le frais et l'ombre,
Assis près d'un ruisseau qui murmure à mes pieds.

Ah! périsse tout l'or de la superbe Asie,
Si, pour l'aller ravir, il faut quitter Délie,
S'il faut lui coûter quelques pleurs!
Que Messala prétende aux lauriers des vainqueurs,
Et que des ennemis les dépouilles brillantes
Ornent de son palais les portes triomphantes[2]:
Moi, je suis dans les fers d'une jeune beauté;
Je vis sous les lois de Délie.

[1] Non ego divitias patrum fructusque requiro.

[2] Ut domus hostiles præferat exuvias.

Pourvu que je te voie, ô maîtresse chérie,
Je renonce à la gloire, à la postérité;
Il n'est point d'honneurs que j'envie;
Rien ne vaut mon obscurité.
Oui, j'irais avec toi, sur un mont solitaire,
Conduire un troupeau sur tes pas;
Je consens à n'avoir d'autre lit que la terre,
Pourvu que tu sois dans mes bras.
Eh! d'un lit somptueux l'éclatante parure
N'en écarte pas les ennuis;
La pourpre et le duvet, les eaux et leur murmure
Ne font pas la douceur des nuits.
Qu'importe à nos désirs la couche la plus belle,
Lorsqu'on y veille dans les pleurs,
Lorsqu'on appelle en vain la maîtresse infidelle,
Qui porte ses amours ailleurs?
Hélas! sans les amours, comment souffrir la vie?
Quel cœur, quel cœur d'airain, ô ma chère Délie!
Goûtant le bonheur d'être à toi,
Pourrait te préférer une gloire frivole?
Les triomphes du Capitole
Valent-ils un regard que tu jettes sur moi?
Ah! que ma paupière mourante
Se tourne encor vers toi dans mon dernier moment;
Que, par un dernier mouvement,
Je presse encor tes mains dans ma main défaillante[1]!
Tu pleureras sans doute auprès de mon bûcher:
Tes yeux, ces yeux si pleins de charmes,

[1] Te spectem, suprema mihi quum venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.

Répandront sur moi quelques larmes;
Tu n'as pas un cœur de rocher[1].
Tu pleureras, Délie; et l'amant jeune et tendre,
Et l'amante, objet de ses vœux,
Te verront honorer ma cendre,
Et s'en retourneront les larmes dans les yeux.
Mais garde d'outrager ta belle chevelure[2],
De blesser de ton front l'ivoire ensanglanté;
Aux mânes d'un amant c'est faire trop d'injure,
Que d'attenter à ta beauté.

Hâtons-nous, dérobons à la Parque inflexible
Le moment de jouir, d'aimer et d'être heureux;
Le tems entraîne tout dans sa course insensible;
La mort viendra bientôt de son voile terrible
Couvrir nos amours et nos jeux.
Le tems n'épargne point les amans et les belles,
Et l'amour ne sied pas au déclin de nos ans[3];
Il ne repose point ses inconstantes aîles
Sur une tête à cheveux blancs.
Je suis encore à lui, je vis sous sa puissance;
Content du peu qui m'est resté,
Je coule en paix mes jours sans chercher l'opulence,
Et sans craindre la pauvreté[4].

[1] ... non tua sunt duro præcordia ferro.

[2] ... sed parce solutis Crinibus.

[3] Dicere nec cano blanditias capite.

[4] Quanto præstat quod cecinit Albius!
Despiciam dites, despiciamque famem.

LIVRE I, ÉLÉGIE I,

IMITÉE PAR LEBRUN.

Ah! qu'un autre se plaise à grossir un trésor!
Qu'il n'ait de dieu, d'ami, d'amante que son or,
L'insensé qui, jaloux d'une vaine richesse,
Inquiet, soupçonneux, veille et tremble sans cesse!
Un pénible bonheur flatte peu mes désirs;
Ma douce pauvreté me fait d'heureux loisirs [1].
Content sous mes foyers de voir la flamme agile
Égayer vers le soir mes Pénates d'argile,
Pomone ne sait point éluder mon espoir,
Ni ma vigne tromper l'attente du pressoir.
Le sauvage arbrisseau, qu'entame *un fer utile*,
Ici doit à mes soins sa blessure fertile;
Là, dans mes prés qu'altère un soleil dévorant,
Le docile ruisseau me suit en murmurant [2];
Mon verger s'embellit sous les mains de son maître;
Qu'il m'est doux de cueillir un fruit que j'ai vu naître!
Je ne dédaigne point de tracer des sillons;
J'aime à voir mes troupeaux errer dans les vallons;
Je ramène au bercail la génisse indolente,
Et l'agneau qui s'égare, à sa mère bêlante.

O dieux amis des champs! dieux paisibles et doux,
Pan, Vertumne, Palès, je vous honore tous.

[1] Me mea paupertas vitæ traducat inerti.

[2] Longe quod scripsit Tibullus sensu et verbo jucundius est,
.... ad rivos prætereuntis aquæ.

Veille sur mes jardins, toi dont la faux puissante
Donne aux brigands de l'air une utile épouvante;
Que mes épis dorés, prémices des guérets,
Couronnent tes cheveux, bienfaisante Cérès!
Dieux, jadis protecteurs d'un superbe héritage,
De ses débris, hélas! recevez l'humble hommage;
J'offrais une génisse en des tems plus heureux,
A présent un agneau suffit *avec mes vœux :*
Qu'il tombe à vos autels! Qu'autour de lui rangée,
La rustique jeunesse, en deux chœurs partagée,
S'écrie : Accordez-nous les vins et les moissons [1].
Dieux, ne rejettez point ces autels de gazons.
Cette argile est encor la même, où nos ancêtres
Présentaient un lait pur à vos autels champêtres;

Loin, loin de mes brebis, ravisseurs *ténébreux,*
Loups cruels, insultez un bercail plus nombreux [2]!
Je ne regrette point les trésors de mes pères [3],
Ni leurs palais ravis par des mains étrangères;
Que me faut-il? ces champs, un lit et du repos;
Un lit, où l'amour seul écarte les pavots.
Ah! dans l'horreur des nuits que l'aquilon tourmente,
Quel charme de presser le doux sein d'une amante!
Qu'une pluie orageuse, et l'air tumultueux,
Font bien goûter la paix d'un lit voluptueux!
Que tel soit mon bonheur, dieux! et que la fortune
Soit toute à ces mortels qui fatiguent Neptune :

[1] .... Io! messes et bona vina date.

[2] .... de magno est prædà petenda grege.

[3] Non ego divitias patrum.......... requiro.

Qu'ils cherchent des climats et des biens étrangers;
En est-il d'aussi doux que mes champs, mes vergers?
Mon univers est là; là je borne ma course;
Là, rêvant sous un arbre, au doux bruit d'une source,
J'évite du midi les brûlantes chaleurs;
Mon absence à l'amour n'a point coûté de pleurs.
Ah! que les diamans, ah! que tout l'or périsse[1],
S'il faut, pour les ravir, qu'une beauté gémisse!
C'est à toi, Messala, né pour les grands exploits,
De combattre, de vaincre et d'enchaîner les rois.
C'est à moi de subir une amoureuse chaîne,
Et d'assiéger long-tems une porte inhumaine[2].
Délie, ah! qu'on insulte à mon oisiveté!
Que m'importe la gloire, où n'est point la beauté?
Sois de mes humbles champs la nymphe tutélaire,
De mes jeunes brebis daigne être la bergère;
Viens sous un antre frais reposer dans mes bras;
Et puissé-je y dormir vainqueur de tes appas!
Que sert un lit de pourpre, où veillent les alarmes?
Il le cède à la mousse, où sommeillent tes charmes.
L'or, le duvet, les eaux, les chants harmonieux,
Rien ne peut assoupir un œil ambitieux.
Eh! quelle ame d'airain, quel aveugle courage,
Pouvant te posséder, s'arme et vole au carnage?
Qu'il enchaîne l'Asie à ses fiers étendarts,
Qu'il aille de la terre éblouir les regards;

[1] O quantum est auri potius pereatque smaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias.

[2] Et sedeo duras janitor ante fores.

Qu'avec toi, que pour toi je vive, ô mon amante!
Et te presse en mourant de ma main défaillante [1].
Sur le bûcher funèbre, hélas! mis à tes yeux,
Tu pleureras Tibulle, en accusant les dieux;
Tu pleureras : cent fois tes lèvres adorables
Mouilleront de baisers ces restes déplorables!
Nul amant, nulle amante, en voyant tes douleurs,
En voyant mon bûcher, ne retiendra ses pleurs;
Ils s'en retourneront, l'œil humide de larmes [2],
Mais que ton désespoir n'offense point tes charmes,
Mon ombre en gémirait: que dis-je! ah! mes beaux jours
Bravent encor la Parque, et sont tout aux amours.
Mais l'âge à *pas muets* se glisse, ô ma Délie [3]!
La jeunesse s'envole; une aimable folie
Sied mal aux fronts glacés qu'outragent les hivers :
C'est au printems qu'Amour *cueille ses myrtes verds.*
Chère amante, suis-moi dans sa douce mêlée;
C'est là que ma valeur fut cent fois signalée :
Bon soldat, chef heureux [4], *là je suis un héros;*
Et le nom de Tibulle est connu dans Paphos.
Trompette, éveille au loin les amans de la gloire;
Que Mars dispense ailleurs le prix de la victoire:
Riche de mon amante, heureux, libre de soin,
Ma fortune se rit de l'or et du besoin.

[1] Te teneam moriens deficiente manu.

[2] Amœnissima hujus loci verba omisit *Lebrun* :
..... nec in tenero stat tibi corde silex.

[3] Hæc pariter omisit:
Jam veniet tenebris mors adoperta caput.

[4] Hic ego dux, milesque bonus....

LIVRE I, ÉLÉGIE I,

IMITÉE PAR LOYSON.

QU'UN autre cherche l'or sur un lointain rivage;
Qu'un autre, possesseur d'innombrables sillons,
D'un farouche ennemi craigne le voisinage,
Et s'éveille en tremblant au bruit des fiers clairons.
Pour moi, que, loin des camps, paisible et nonchalante,
Ma pauvreté me rende à ma vie indolente [1],
Pourvu qu'un feu modeste échauffe mon foyer [2];
Qu'avec moi l'espérance habitant mon domaine,
Me montre au bout de l'an ma grange toujours pleine,
Et d'un vin généreux [3] garnisse mon cellier.
A ce prix sans rougir, et sans craindre la peine,
Tour à tour laboureur, vigneron, jardinier,
Je veux tailler un cep, ou planter un pommier;
Prendre en main l'aiguillon et la bêche grossière,
Et le soir, dans mes bras, rapporter au troupeau,
Ou la brebis naissante, ou le jeune chevreau,
Seul au milieu des champs oublié par sa mère [4].

Chez moi, sans y manquer, l'eau sainte tous les ans
Purifie avec soin bergers et bergerie;
Mon lait offre à Palès d'agréables présens,

[1] Me mea paupertas vitæ traducat inerti.

[2] Dum meus exiguo luceat igne focus.

[3] .... pinguia musta.

[4] .... oblita matre.

Car Palès fut toujours ma déité chérie;
Palès reçoit mes vœux, soit qu'un tronc délaissé
Me montre dans un champ son image rustique [1],
Soit que parmi des fleurs, sur le chemin placé [2],
Son buste s'offre à moi, fait d'une pierre antique;
Tous les ans j'offre au dieu qui veille en nos guérêts,
Les prémices des fruits que la saison me donne.
Je veux à ton autel, bienfaisante Cérès,
De mes premiers épis suspendre une couronne [3];
Et que dans mon jardin Priape avec sa faux [4]
De mes arbres en fruit écarte les oiseaux.
Et vous, jadis gardiens d'un héritage immense,
Dont il ne me resta que ce chétif enclos,
Pourriez-vous être exclus de ma reconnaissance?
O mes dieux paternels! Jadis un fier taureau
Fut d'un troupeau nombreux l'offrande légitime;
Mais, hélas! aujourd'hui vous n'aurez qu'un agneau,
Pour un bercail si pauvre assez riche victime [5]:
Autour de cet agneau, qui tombe en votre honneur,
Voyez-vous ces bergers vous demander en chœur
De fertiles moissons et d'heureuses vendanges?
Ah! ne rejettez point leurs vœux et leurs louanges;

[1] ..... seu stipes habet, desertus in agris.

[2] Optime hæc vertit :

Seu vetus in trivio florea serta lapis.

[3] Tò, *flava Ceres*.

[4] Optime quoque hæc :

Terreat ut sæva falce Priapus aves.

[5] .... exigui est hostia magna soli.

Agréez nos festins sans recherche apprêtés,
Et nos dons dans l'argile humblement présentés.
Autrefois, d'une main grossièrement habile,
Le premier vase aux champs fut fait de simple argile.
Mais vous, brigands cruels, et vous, loups ravisseurs,
Fuyez, laissez en paix mes pauvres pâturages,
Et, loin de mes brebis détournant vos fureurs,
Sur un troupeau plus riche exercez vos ravages [1];
Je ne regrette point les biens de mes aïeux,
Ni leurs riches moissons, mon antique héritage;
Ce que j'ai, me suffit; et j'en rends grâce aux dieux.
Il suffit que je puisse, en mon humble hermitage,
Passer en paix mes jours, et, las de mes travaux,
Retrouver chaque soir mon lit et le repos.
Quel plaisir d'écouter la tempête en furie,
A l'abri dans ma couche étendu mollement,
Et d'embrasser alors mon amante chérie!
Que j'aime à me sentir assoupi doucement,
Au bruit que sur mon toit fait en tombant la pluie!

Dieux! donnez-moi ces biens [2], et rendez opulent
(Il vous paye assez cher ce funeste avantage)
Celui qui peut braver et les flots et l'orage.
Moi, de peu désormais, je sais vivre content;
Je ne veux plus errer de voyage en voyage,
Mais le long d'un ruisseau qui fuit parmi les fleurs
J'irai goûter le frais sous un épais ombrage.
O périsse Plutus et toutes ses faveurs,

[1] .... de magno est præda petenda grege.

[2] Hoc mihi contingat.

Avant que mon départ pour un lointain rivage
Puisse à quelque beauté coûter encor des pleurs [1] !
Toi, combats, Messala, sur la terre et sur l'onde [2],
Et pare ta maison des dépouilles du monde ;
Ce sont-là tes destins : fait pour un autre emploi,
Moi je suis arrêté dans les fers d'une belle,
Qui jour et nuit m'enchaîne à sa porte cruelle.
Que m'importe la gloire, ô Délie ! avec toi,
Je consens qu'on m'appelle et lâche et sans courage [3];
Avec toi, ma Délie, habitant d'un village [4],
Je veux moi-même au joug attacher mes taureaux,
Et garder mes brebis au penchant des côteaux.
Je veux goûter, Délie, un sommeil plein de charmes,
Dans tes bras caressans, sur la terre étendu;
Eh! que sert dans un lit de soie et d'or tendu,
Une nuit sans amour, et condamnée aux larmes ?
Voit-on que le duvet, les rideaux somptueux,
Et les tapis de pourpre, et leur riche peinture,
Et l'onde des ruisseaux avec son doux murmure,
Trouvent l'art d'assoupir un amant malheureux ?
Grands dieux ! quel nom donner au mortel insensible [5],
Qui pouvant sur ton cœur régner amant paisible,
Cherche l'or et la gloire au milieu des combats ?

[1] Quam fleat ob nostras ulla puella vias !

[2] Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias.

[3] *Lâche et sans courage :* talia verba nusquam Tibullus pronuntiavit; is sese otio gaudere ait, nullo modo socordia et ignavia.

[4] Cur vicum hic exstruerit *Loyson*, non liquet.

[5] Hic quoque Scalig. interpolationibus adhæsit, ut alii gallici interpretes.

Dût-il, jusques au fond de leurs lointains climats,
Suivant des ennemis les troupes fugitives,
Planter ses étendards sur leurs villes captives;
Et d'or resplendissant, sur un fougueux coursier,
Éblouir tous les yeux de son éclat guerrier.
Quand mon heure viendra, puissé-je, ô mon amante!
Pour la dernière fois sur ton sein me pencher,
Puissé-je te presser d'une main défaillante,
Et d'un dernier regard en mourant te chercher!
Qu'alors tu pleureras, en me voyant sans vie
Sur ma couche funèbre attendre le bûcher!
Oui, couvrant de baisers ma dépouille chérie,
Tu pleureras; les dieux, les dieux, ô ma Délie!
Ne t'ont point fait un cœur de fer, ou de rocher [1].
Eh! quelle amante, hélas! quel amant sans entrailles,
Pourra voir d'un œil sec mes tristes funérailles [2]?
Mais crains de m'affliger au-delà du trépas,
Et dans ton désespoir épargne tes appas.
Aimons-nous; la vieillesse arrive à tire-d'aile;
Un crêpe sur le front [3] la mort vient derrière elle :
Et lorsque nos beaux ans nous ont fuis sans retour,
Il ne sied plus d'aimer, ni de parler d'amour.
Aimons donc; que Vénus sous ses lois nous enchaîne,
Tant que je puis encor, jeune, intrépide aux coups,
Affronter un rival, et briser des verroux [4].

[1] ..... non tua sunt duro præcordia ferro.

[2] Lumina......... sicca referre domum.

[3] ..... tenebris mors adoperta caput.

[4] ..... dum frangere postes.
Non pudet, et rixas inseruisse juvat.

Ce sont-là mes exploits; soldat ou capitaine,
Voilà mon champ d'honneur, mes combats, mes lauriers.
Loin de moi, fiers clairons, étendards meurtriers!
Allez, portez à l'ame ambitieuse et vaine,
Portez lui l'opulence, et peut-être la mort [1];
Cependant que tranquille et bénissant le sort,
Sûr de couler mes jours dans une douce aisance,
Je me ris des trésors, et brave l'indigence [2].

[1] In longius protracta sunt hæc.

[2] Despiciam dites, despiciamque famem.

LIVRE I, ÉLÉGIE II,

IMITÉE PAR LEBRUN.

VERSE, verse, ô Bacchus! ta liqueur favorable;
Assoupis les chagrins d'un amant misérable;
Défends aux importuns de troubler mon repos,
Si l'amour qui gémit goûte encor les pavots [1]!

Ma Délie est soumise aux ordres d'un barbare:
Une porte d'airain l'enferme et nous sépare.
O porte inexorable à mes vœux les plus doux,
Que l'orage et les vents, que la foudre en courroux
Te brise [2]!.... Ah! plutôt cède à mon impatience;
Ouvre-toi sans trahir un timide silence.
Si quelque injure échappe au dépit d'un amant,

[1] ...... infelix dum requiescat amor.

[2] Te Jovis imperio fulmina missa petant.

Pardonne, il expîra ce fol égarement.
Hélas! rappelle-toi de plus douces offrandes;
Combien pour t'embellir j'ai tressé de guirlandes [1] :
Toi, Délie, ose fuir un Argus odieux;
Ose; Vénus sourit aux cœurs audacieux.
Soit qu'un jeune amant tente une porte connue,
Soit que l'ouvre en tremblant sa nymphe *à demi-nue*,
Vénus sait leur apprendre à s'écouler d'un lit [2],
A suspendre leurs pas que l'ombre ensevelit,
A tromper un jaloux, et même en sa présence,
Par des gestes parlans animer leur silence.
Doux secrets, vous fuyez ces mortels indolens,
Dans l'horreur de la nuit paresseux et tremblans.

Jeunes amans, dans l'ombre errez sans défiance;
Tout amant est sacré; Vénus est sa défense.
Sous l'aile des amours qu'il brave les fureurs,
Et les avares mains des sombres ravisseurs.
Jamais les nuits d'hiver, la froidure et l'orage,
N'ont insulté ma tête, ou glacé mon courage.
Faibles maux, quand Délie ouvre enfin à mes vœux,
Et m'appelle au doux bruit d'un signal amoureux [3]!

Profanes, gardez-vous d'éclairer ces mystères,

[1] ..... quum posti florea certa darem.

[2] *Bertin* in his imitandis felicior, hæc disticha sic expressit:

Il faut oser; Vénus seconde le courage,
Vénus instruit l'amant au milieu de la nuit,
A descendre en secret de sa couche paisible;
Vénus enseigne encor l'art de poser sans bruit
Sur d'inconstans parquets un pied sûr et flexible.

[3] Et vocet ad digiti me taciturna sonum.

D'envier nos plaisirs aux ombres solitaires;
Fussiez-vous dans le Styx, malheureux indiscrets!
Le seul bruit de vos pas divulgue nos secrets.
Mais si quelque imprudent a vu.... Le téméraire!
Au nom de tous les dieux qu'il jure de se taire [1]!
Il saura que Vénus, s'il révèle nos feux [2],
Est du sang et des flots un mélange orageux.
Que dis-je? Ah! pour jamais ton jaloux est paisible,
Et j'en crois de Médée une élève infaillible.

Je l'ai vue, agitant ses magiques flambeaux,
Ravir Diane aux cieux, et les morts aux tombeaux.
Son cri perce l'Érèbe, et fait trembler la terre;
Dans sa chute enflammée il suspend le tonnerre;
Mais c'est peu d'enchaîner la foudre, les torrens,
L'enfer, la triple Hecate et ses chiens dévorans ;
En faveur de l'amour, et des jeunes épouses,
Son art trompe l'hymen, et ses fureurs jalouses.
Ton époux, loin d'en croire un rapport envieux,
Me verrait dans son lit, sans en croire ses yeux [3].
Mais n'étends point le charme : il n'est que pour Tibulle,
Et je rends pour moi seul ton époux incrédule.
Elle m'a dit bien plus : ses philtres dangereux
Pourraient même tarir la source de nos feux.
Tandis que m'épurant d'une flamme lustrale,
Sa main sacrifiait à la troupe infernale,

[1] Si quis et imprudens adspexerit, occulat ille,
Perque Deos omnes se meminisse neget.

[2] Is Venerem e rabido sentiet esse mari.

[3] Non sibi, si in molli viderit ipse toro.

Je demandais aux dieux, non de ne plus aimer,
Mais qu'un égal amour du moins sût t'enflammer [1],
Je sais trop que Vénus par nos feux embellie,
Qu'amour même jamais ne plaira sans Délie.

[1] Non ego, totus ut abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam.

Lebrun in hac imitatione, iterum Scaligero confisus, magnam carminis partem omisit.

LIVRE I, ÉLÉGIE III,

IMITÉE PAR LEBRUN.

PARS, suis dans l'Orient les drapeaux de la gloire;
Cherche à travers les flots l'Asie et la victoire;
Mais que ton souvenir flatte le triste sort
De Tibulle, enchaîné sous l'aile de la mort [1].
O mort, suspends tes coups! ô mort, que ta furie
Attende à me frapper au sein de ma patrie;
Je chercherais envain, dans ces sauvages lieux,
Un sein pour recueillir mon ame et mes adieux.
Y verrais-je une mère, une sœur, une amante,
Baigner de quelques pleurs ma cendre encor fumante?
Que n'en croyais-je, hélas! les larmes de l'amour,
Quand Délie implorait les dieux et mon retour!
Ils flattaient son espoir; mais une horreur secrète
Attachait à mes pas sa tendresse inquiète [2].

[1] In hac elegia *Lebrun* nullo certo duce vagatur, multaque Tibullo prorsus ignota adtulit, qui certe nunquam, se catena sub diræ mortis alis adligatum esse questus est.

[2] Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret, nostras respiceretque vias.

Combien je reculai ces funestes momens!
Quels pleurs attendrissaient nos longs embrassemens!
A mes derniers adieux j'en ajoutais encore :
Eh! peut-on s'arracher à tout ce qu'on adore?
Cent fois interrompant de sinistres apprêts,
L'amour lui ramena mes pas et mes regrets.
Je pars; un noir présage en secret m'épouvante;
Mais le plus triste augure est de fuir une amante;
Au mépris de ses pleurs échapper à ses bras,
C'est irriter les dieux, c'est courir au trépas.
Pardonne, Amour; Délie, excuse un téméraire,
Déjà trop malheureux d'avoir pu te déplaire.
Si la mort t'obéit, Isis; si tes autels
N'abusent point les vœux des crédules mortels,
Daigne sauver des jours consacrés à Délie!

Périsse des combats la sanglante folie!
C'est elle qui troubla des jours purs et sereins.
O paix! de l'âge d'or ramène les destins!
Un printems éternel caressait la nature;
La terre prodiguait des moissons sans culture.
Ses flancs en longs chemins n'étaient pas sillonnés [1],
Et de murs soupçonneux au loin emprisonnés;
Les forêts, dépouillant leurs antiques ombrages,
N'allaient point sur les mers défier les orages.
L'aveugle ambition, trop féconde en revers,
N'avait point divisé les cœurs et l'univers;
Du coursier, du taureau, la liberté sauvage,
Et du frein et du joug rejettait l'esclavage.

[1] ...... prius quam
Tellus in longas est patefacta vias.

Mars n'avait point encor déployé ses drapeaux ;
La haine était sans glaive, et l'orgueil sans faisceaux.
Les sermens n'étaient point l'organe du parjure ;
Et les prêtres des dieux ignoraient l'imposture.
Les cris de la trompette et la soif des combats,
A des crimes heureux n'excitaient point nos bras ;
Le soupçon n'avait point inventé les partages ;
La foi servait alors de terme aux héritages,
Loin du crime et des arts, l'homme eut ses mœurs pour lois,
La vertu pour ses dieux, et les dieux seuls pour rois.

Mais d'un sceptre d'airain le ciel frappant la terre,
L'or brille, le fer luit, le sang coule, et la guerre,
Fille de la vengeance et mère des forfaits,
Exile de nos cœurs l'innocence et la paix.
Ils m'ouvrent le cercueil : ah! s'il faut que j'y tombe,
Que du moins l'univers lise un jour sur ma tombe :
« Tibulle ici repose, au printems de ses jours [1] ;
» Mars l'enlève à Délie, et la Parque aux amours ».
Déjà Vénus en pleurs me guide aux rives sombres,
Vers les bosquets sacrés des innocentes ombres ;
Là, Zéphyr, éveillé par de tendres concerts,
Promène l'harmonie et l'amour dans les airs ;
Sur des lits de gazon la volupté sommeille :
On n'y voit que la rose et sa moisson vermeille ;
Un jeune essaim d'amans vole autour des berceaux,
Qu'arrosent du Léthé les caressantes eaux ;
Vous qui chantiez l'amour, doux et tendres poètes,
L'amour vous réunit dans ces douces retraites.

[1] Hoc loco, Tibulli prorsus oblitus esse videtur.

Plus loin, du noir chaos les gouffres entr'ouverts,
Recèlent le Tartare, et la nuit des enfers;
Là frémit Alecton; là, Tysiphone errante
Fait siffler les serpens de sa tresse sanglante [1];
Cerbère agite encor de ses triples abois
Les ombres que le Styx emprisonne neuf fois;
De triples dents d'airain ses trois gueules armées
Y gardent des enfers les portes enflammées.
Là, près du fier géant que déchire un vautour,
Ixion, sur sa roue, expie un fol amour.
Filles de Danaus, là, votre urne fatale
Voit fuir l'onde échappée aux lèvres de Tantale:
Cette onde y venge un sang que protégeait Vénus;
Et d'un perfide hymen les forfaits sont connus.

Tombe dans les enfers toute amante parjure [2],
Tout rival, dont ma flamme a reçu quelqu'injure.
Un rival!.... ô soupçon! ô tourmens! ô revers!
Ah! c'est trop respirer le poison des enfers;
Ombres, Parque, Achéron, fuyez sanglante image:
Ah! Délie, ah! ton cœur ne peut être volage.
Je t'aime, mon amour me répond de ta foi.
Échappé du tombeau, je vole jusqu'à toi:
J'entends la vieille esclave, assidue à tes veilles,
D'un récit fabuleux t'allonger les merveilles,
Quand le soir rallumant l'*étoile du berger*,
Voit fuir l'humide lin sur ton fuseau léger;

[1] .... impexa feros pro crinibus angues.

[2] Nescio quo exclamandi furore raptus, nativam hic Albii simplicitatem omnino deformaverit.

Mais le sommeil enlève, en frappant ta paupière,
La quenouille à tes mains, à tes yeux la lumière [1].
Que je t'éveille alors [2], et puissent *tes appas*
Voir au lieu de Morphée un amant dans tes bras [3] *!*
Ce lit qui t'attendait plaintive et solitaire,
Du flambeau des plaisirs s'embellit et s'éclaire.
Un désordre amoureux te livre à mes regards,
Je dispute ton sein à tes cheveux épars;
Doux baisers!... jour heureux, que ma tendresse implore,
Beau jour, échappe-toi des portes de l'aurore!

[1] Paulatim somno fessa remittat opus.

[2] Quæ sequuntur ad finem usque, perquam ridicula mihi videtur finxisse. *Bertin.*

J'entrerai tout-à-coup sans me faire annoncer:
Tu cours, les bras tendus, à mon cou t'enlacer.

ἘΛΕΓΙΑΚῸΝ

ΠΕΡῚ ΠΟΛΈΜΟΥ ΚΑῚ ΕἸΡΗ͂ΝΗΣ

Φεδ. Μορέλλου Δ. Β. ἑρμηνεύσαντος.

Οἱ πρῶτοι [1] κακόεργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν,
Νηλεὲς ἠδ' ἀτρεκὲς χάλκεον ἦτορ ἔχον.
Ἦ τότ' ἐπιχθονίοισι φόνος, πόλεμοί τε μάχαι τε
Κἄτραπος ἐς θάνατον λευγαλέον γέγονε [2].

[1] Οἱ πρῶτοι, plurali numero sensum languidiorem efficit; quanto vividius exclamat Albius noster !

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?

[2] Propius ad metam accessit gallice *Lebrun :*

Il ouvrit à la mort des routes plus rapides.

Vel etiam *Andrieux :*

Du trépas aux mortels abrégea le chemin.

Οἱ δ' οὐκ ἦσάν γ' αἴτιοι· ἡμεῖς δ' ἐς κακὸν αὐτοῖς
Ἐτράπομεν πρὸς τοὺς θῆρας ἕτοιμον ὅπλον.
Ἦν δ' ἄτη χρυσοῖο μεγάνορος· οὐ πόλεμος γὰρ
Ἦν ὅτ' ἐν εἰλαπίναις φήγινος ἦε κάλυξ.
Οὐ τάφρος, οὐ πύργος γένεθ'· ὕπνου δῶρον ἔκηλος
Ποιμὴν εἰροπόκοις ἐν ὀΐεσσι λάβε.
Ζῆν τότε μοι φίλον ἦν· λαοῦ δ' οὐκ ἔντεα γνοίην
Μέρμερα, σάλπιγγος δ' οὐκ ἀΐοιμι τρέμων[2].
Νῦν πρὸς φυλόπιδ' αἰνὴν ἕλκομαι· ἦ τάχα δή τις
Δήϊος ἐν δόρυ μοι πηξόμενος φορέει[3].
Σώζετ' ἀτάρ με, θεοὶ πατρῷοι, θρεψάμενοί περ
Ὅπποτε παῖς γονάτων προὔδραμον ὑμετέρων.
Οὐχ αἰδὼς, πολιοῖο τετύχθαι ἐκ στελέχους· ὡς
Ναίετε ἀρχαίους μου προγόνοιο δόμους[4].
Ἔσχον δὴ τότε πίστιν ἀμείνω, εὖτε σεβασθεὶς
Ἱδρύσθη ξύλινος πᾶς θεὸς ἐν τεμένει.
Ἔνθα θεῷ σταφυλὴν λείβων κεχαρισμένος ἦεν,
Δούς τε κόμῃ στεφάνους ἀσταχύων ἱερῇ,
Εὐχωλῶν τε τυχὼν, ψαιστὸν φορέεσκε μὲν αὐτός;
Κύτταρον εἶτα δ' ἔχουσ' ἦλθεν ὄπισθε κόρη.
Χάλκεα δ', ὦ μάκαρες, πατρῷοι, ἀπείργετε κῆλα,
Θῦμα δ' ἄγροικον σῦς ἐκ συφεοῖο καλοῦ.
Σὺν καθαρᾷ δ' ἐσθῆθ' ἕπομαι, κοφίνους τε δεθέντας
Μυρσίνῃ φορέω, κακκεφαλήν τε δεθείς.

[1] .... In sævas quod dedit ille feras.

Τρέμων, longe abest a *corde micante;* quæ verba a nostris interpretibus omnino prætermissa sunt.

[3] Hujus loci venustatem nullatenus adsecutus est.

[4] Sic veteris sedes incoluistis avi.

Ὧδ' ὑμῖν ἁδέοιμ'· αἰχμητὴς δὲ κρατερός τις [1],
Ἐχθρῶν ἡγεμόνας δοῦλος Ἄρηος ἕλοι.
Ὄφρα ἐμοὶ πίνονθ' ἑὰ φαίδιμα ἔργα κατειπὼν
Ὁπλοφόρος στρατὸν ἐν δαιτὶ πότῳ τε γράφῃ.
Πορφύρεον πότμον προκαλεῖν πολέμῳ μανί' ἄκρα.
Οὗτος ἐπισκήπτει σιγαλέῳ πόδ' ἰών.
Οὐ καλὰ λήϊ' ἔνερθε πέλει [2], οὐ γουνὸς ἀλωῆς·
Κέρβερος ἄρ, ναῦλης τε Στυγός ἐστιν ἐκεῖ.
Ἐνθάδε δρυπτοπάρειος καὶ τριχόκαυστος ἀλᾶται
Τειρόμενος δνοφερῷ χλωρὸς ὄχλος παρ' ἕλει.
Ζηλωτὸς δὲ πλέον κεῖνος, τόν γ' ἀγλαόπαιδα
Λυσιμελὲς φθάνει γῆρας ἐν οἰκιδίῳ.
Ἕσπεται οὗτος ἑοῖς μήλοισιν, καὶ παῖς ἀμνοῖς,
Θερμὴν δ' ἐντύνει κοπτομένῳ ἄλοχος.
Τοῖος ἐγὼν εἴην, πολιοκρόταφός τε γενοίμην,
Ὡς ἀρχαῖ' εἰδὼς ἔργα λαλοῖμι γέρων [3].
Εἰρήνη δ' ἐν ἀγροῖς ναίοι. Εἰρήνη ἀγαστὴ
Ἦγεν ἀρωσσόμενον ζευγάριον βοϊκόν.
Ἄμπελον εἰρήνη ἔθρεψε, χυλὸν δ' ἐνέθηκε
Βότρυϊ, ὄφρ' ἀσκὸς υἱεῖ ῥεῦσε πατρός.
Εἰρήνῃ σκαπάνη χ' ὕνις θάλλουσι, τὰ δ' ὅπλα
Αἰχμητοῦ εὐρὼς ἐν σχολίᾳ κατέχει.
Οἰνοβαρὴς δ' ἀγρότης ἐξ ἄλσεος ἐννοσιφύλλου
Οἴκαδ' ἀμαξοφορεῖ τέκνα, δάμαρτά θ' ἑήν [4].

[1] Sic placeam vobis......

[2] Non seges est infra......

[3] Temporis et prisci facta referre senem *Andrieux* sic vertit:
Me plaire à raconter les faits du bon vieux tems.

[4] Uxorem plaustro progeniemque domum.

Θερμάνθη δὲ τότ' ἔργ' Ἀφροδίτης, μέμφετο κούρη
  Κοφθεῖσάν τε κόμην, ῥηγνυμένας τε θύρας.
Κλαίει δ' ἥδε γ' ἐρυθροπάρηος· παρθενοπίπης
  Αὐτὸς ὀδύρεθ' ἑὰς τόσσα σθένειν παλάμας[1].
Ἀγκυλότοξος ἔρως ἔριδος μεμαὼς κακοχάρτου
  Ἐν μέσῳ ἀμφοτέρων ἕζεται, ἀτρέμας ἄν[2].
Ἦ λίθος, ἠδὲ σίδηρος[3], ὃς τὴν ἔπληξε κορίσκην,
  Οὐρανόθεν κεῖνος ἀθανάτους ἐρύει[4].
Ἀρκεῖ δ' ἐκ μελέων μαλακὴν ἐσθῆτ' ἀποτμῆξαι[5],
  Ἀρκεῖ κρήδεμνον ἐκ κεφαλῆς ἀφελεῖν.
Δακρυχέουσαν ὁρᾷν ἅλις· ὃς γὰρ τρὶς μάκαρ, οὗπερ
  Ἁβρὰ χολωσαμένου δάκρυα χεῦσε κόρη.
Ὅς δ' ἀδικαῖσιν χερσὶν ἐπαίρεται, ἀσπίδ' ἴδ' αἰχμὴν
  Σχὼν, ἑκὰς ἔστω δὴ μειλιχίης Παφίης[6].
Δεῦρ' ἴθι πότνια Εἰρήνη· στάχυν ἐλθὲ δ' ἔχουσα,
  Καὶ μήλοις ἐρατοῖς κόλπος ἴδοιτο γέμων.

[1] Sibi dementes tam valuisse manus.

[2] Longe præstat :

Inter et iratum lentus utrumque sedet.

[3] Ah! lapis est, ferrumque.....

[4] .... et cælo deripit ille Deos.

[5] Sit satis e membris tenuem perscindere vestem.

[6] .... et miti sit procul a Venere.

ÉLÉGIE X,

IMITÉE PAR LEBRUN.

PÉRISSE l'inventeur du glaive meurtrier!
Ce barbare sans doute avait un cœur d'acier [1] :
Il forgea l'instrument des combats homicides;
Il ouvrit à la mort des routes plus rapides [2]....
Que dis-je? il nous armait d'un glaive protecteur,
Des tigres, des lions innocent destructeur.
L'or seul fut criminel! l'or enfante la guerre.
Quand l'homme eut un mets simple en un vase de terre,
L'homme connut la paix! Le guide du troupeau
Dormait paisiblement près du paisible agneau.
Que ne vivais-je alors! les cris de la trompette
Ne m'eussent point troublé dans ma douce retraite;
Mais Bellone m'entraîne : un guerrier assassin
Peut-être aiguise un trait, qui m'ouvrira le sein.

Dieux Lares! dieux témoins des jeux de mon enfance,
Vous qui m'avez nourri, veillez à ma défense!
Simples divinités de mes simples aïeux [3],
Un tronc, un art grossier vous figure à nos yeux.

[1] Hic *Lebrun* propius Horatio accedit, quam nostro;

Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat. (L. I, Od. III.)

[2] Felix fuit in hoc versu,

Tunc brevior diræ mortis aperta via est.

[3] Omissum est τὸ *Cursarem*, non sine magna jucundi sensus jactura.

Ah! n'en rougissez point! vos rustiques images
D'une foi plus sincère ont reçu les hommages.
Des pampres, des épis suspendus en festons,
Sûrs de les obtenir, sollicitaient vos dons.
Le père offrait le jus de la grappe vermeille,
La fille présentait le nectar de l'abeille [1].

Moi je vous offrirai, loin des combats sanglans,
Cet animal qui gronde et s'engraisse de glands!
Habillé d'un lin pur, le myrte sur la tête,
Je suivrai la victime à cette heureuse fête :
Puissé-je ainsi vous plaire [2]! et qu'aux sanglans hasards
Un autre aille briguer les faveurs du dieu Mars,
Afin que le soldat, oisif dans nos murailles,
D'un doigt ivre, en buvant, trace un jour ses batailles.

Quelle aveugle fureur nous entraîne aux combats!
Insensés! nous courons au-devant du trépas.
Quel charme a le Cocyte et ses brûlantes rives?
Les ris ne volent plus sur ses ondes plaintives.
Ce n'est plus l'Hippocrène et ses flots argentés;
Ce n'est plus Amathonte et ses bois enchantés;
Il n'est plus de Zélis sur les rivages sombres :
Un terrible Cerbère y fait trembler les ombres,
La mort n'y voit errer, autour de ses flambeaux,
Que des mânes sanglans, voilés d'affreux lambeaux [3].

[1] Postque comes purum filia parva favum.

[2] Sic placeam vobis....

[3] Diu in hac descriptione moratus, multa excogitavit, de quibus Tibullus ne voculam quidem emisit.

En essuyant ses pleurs, pleurez à ses genoux :
Les orages d'amour rendent ses feux plus doux.

Toi que n'amollit point l'aspect de tant de charmes,
Mortel au cœur d'airain, prends le casque et les armes :
D'un tube foudroyant charge ton bras guerrier,
Ceins tes flancs endurcis d'un large baudrier,
Pour vieillir en héros, couvert de cicatrices,
Sous un chaume indigent seul prix de tes services.

Là, du camp de Vénus exilé pour jamais,
L'hymen, le sombre hymen te rira désormais.
Là, vainqueur mutilé, traînant sa lourde chaîne,
Épouse en tes vieux jours la discorde et la haine ;
Mais que ton front chargé de rides et d'hivers,
Des vainqueurs d'Ilion redoute les revers.
Un Égyste, souillant ces rides belliqueuses,
Immolera ta gloire à ses flammes honteuses ;
Et la paix que tu crains, et l'amour que tu fuis,
Te verront expirer dans ces mornes ennuis.

Ah! loin de tes amans ces destins déplorables,
Douce paix! rends ma gloire [1] et mes plaisirs durables.
C'est pour moi, pour Zélis que brillent tes beaux jours,
Et Vénus dans ton char promène les Amours.

[1] De fama nihil omnino Tibullus, neque de illa Veneris deambulatione quæ statim subsequitur.

ÉLÉGIE X,

IMITÉE PAR ANDRIEUX.

QUEL est-il le cruel, dont la fatale main
Forgea le premier glaive et la première lance?
Le barbare! Ah! sans doute il eut un cœur d'airain.
Par lui, l'art des combats, homicide science,
Du trépas aux mortels abrégea le chemin [1].
Que son affreux génie a fait verser de larmes!
Mais non, tristes humains, n'en accusez que vous:
Contre le tigre et l'ours il inventa ces armes [2],
Que notre bras coupable aiguise contre nous.
C'est le crime de l'or, métal riche et stérile;
Et l'homme plus heureux ignorait les combats,
Quand sa table s'ornait d'une coupe d'argile [3]:
De murs et de remparts on ne l'entourait pas;
Au milieu du troupeau paissant dans la prairie,
Le paisible berger goûtait un doux sommeil.
Oh! que les dieux alors n'ont-ils marqué ma vie [4]!
La trompette jamais n'eut hâté mon réveil;
Le sang à mes côtés n'eût point rougi la terre.
Des cruels, malgré moi, m'entraînent à la guerre;

[1] Tunc brevior diræ mortis aperta via est.

[2] ...... in sævas quod dedit ille feras.

[3] Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.

[4] Tunc mihi vita foret.

Déjà quelqu'ennemi, monstre altéré de sang,
Saisit le javelot qui doit percer mon flanc.
Mes Pénates chéris, veillez à ma défense,
Vous dont l'œil protecteur garantit mes foyers,
Vous qui, dans les beaux jours de ma première enfance,
Me regardiez courir et jouer à vos pieds [1]!
Ah! ne rougissez point de votre forme antique;
La naïve candeur, la bonne foi rustique,
Régnaient chez nos aïeux, lorsque, sous d'humbles toits,
Ils adoraient des dieux faits de pierre et de bois [2].
On ne leur offrait point de pompeux sacrifices;
Quelques fleurs suffisaient pour les rendre propices,
Ou leur porter les vœux d'un cœur reconnaissant;
Ils estimaient l'hommage, et non pas le présent.

O mes dieux paternels, acceptez mes offrandes!
Loin de nous de la guerre écartez tous les traits;
Un jeune agneau, paré de myrte et de guirlandes,
Couvrira votre autel, et paîra vos bienfaits.

Qu'un autre aux ennemis arrache la victoire;
J'aime mieux qu'à ma table, après ces jours d'effroi,
Le guerrier désarmé, s'enivrant avec moi,
De ses périls passés me retrace l'histoire.

Ah! pourquoi de nos ans vouloir hâter le cours [3]?
La mort, à pas furtifs, s'avance tous les jours;
Il n'est plus de printems, plus d'été chez les ombres;

[1] Cursarem vestros quum tener ante pedes.

[2] Stabat in exigua ligneus æde Deus.

[3] Quis furor est atram bellis arcessere mortem?

Mais une nuit profonde, une nuit sans amour,
Et l'effrayante horreur de ces demeures sombres,
Et l'eau noire du Styx qu'on passe sans retour :
Des mânes infernaux, troupe affreuse et plaintive,
Gémissent dispersés sur la fatale rive.

Oh ! plus heureux le sort du mortel ignoré
Qui vieillit sous son toit, de ses fils entouré!
L'abondance y sourit, et le bonheur y brille :
Il aime, il est aimé d'une tendre famille.
Puissé-je ainsi blanchir, et, dans l'hiver des ans,
Me plaire à raconter les faits du bon vieux tems [1] !

Que la paix cependant fertilise nos plaines [2] ;
La paix conduit le soc qui creuse nos sillons;
Elle échauffe et colore, au feu de ses rayons,
Le nectar que Bacchus nous verse à tasses pleines.
Dans sa cuve laissant son vin et sa raison,
Sur un rustique char à la marche bruyante,
Le vendangeur, le soir, ramène à la maison
Sa famille, de joie et de santé brillante.
La rouille a dévoré les casques et les traits [3] ;
Les amans seuls entr'eux font la guerre ou la paix :
Vénus a ses combats, ses trèves, ses ruptures,
Ses aimables fureurs, et ses douces blessures.

Viens donc, divine paix, fais briller dans tes mains
Avec l'or des épis la pourpre des raisins.

[1] Temporis et prisci facta referre senem.

[2] Interea pax arva colat.

[3] Militis in tenebris occupat arma situs.

LIVRE II, ÉLÉGIE III,

IMITÉE PAR LEBRUN.

QUEL insensible cœur peut habiter la ville[1] !
Mon amante a volé vers un champêtre asile :
Déjà Vénus la suit *de guérets en guérets*
Au spectacle riant des fêtes de Cérès ;
Et déjà pour lui plaire, accourant au village,
Le jeune Amour essaie un rustique langage[2].

Oh! que, pressant du pied la bêche au large fer,
Ne puis-je ouvrir pour elle un champ qu'a durci l'air!
Oh! qu'il me serait doux, animé par sa vue,
De peser sur le soc en poussant la charrue;
Et, nouveau laboureur *par les grâces formé,*
Affronter ou la bise, ou le sud enflammé!

Il n'est rien qu'à ses lois la beauté ne soumette;
Apollon amoureux fut pasteur chez Admète.
Son luth, ses végétaux n'ont pu le secourir :
Contre les feux d'amour que peut l'art de guérir?
Son immortelle main tressait le jonc sauvage
En paniers arrondis, où filtrait son laitage.
O que de fois Diane a rougi de le voir[3]
Porter l'agneau tardif égaré vers le soir!

[1] Eheu! ferreus est, quisquis in urbe manet.

[2] Verbaque aratoris rustica discit Amor.

[3] Dicitur occurrens erubuisse soror!

Que de fois ses brebis, bêlant sur la colline,
Ont troublé les accords de sa lyre divine!
Souvent des plus grands rois l'encens, les vœux offerts,
L'ont enfin appelé dans ses temples déserts;
Souvent ses cheveux d'or, tout souillés de poussière,
Ont fait gémir l'orgueil de sa superbe mère.

Soleil, que faisais-tu de ton sceptre de feu[1]?
Sous ce toit de roseaux reconnaîtrai-je un dieu?
Oui, dans les bras d'Issé tu l'étais plus sans doute,
Qu'au sommet éclatant de la céleste voûte.
Banni des cieux en vain par leur maître irrité,
Tu retrouvas l'Olympe au sein de la beauté.
Les dieux goûtaient alors un bonheur ineffable;
Ils aimaient! la raison dit que c'est une fable:
Importune raison! j'en crois peu tes discours;
Un amant peut-il croire à des dieux sans amours?

Et toi qui me ravis une douce présence[2],
Puisse la terre ingrate étouffer ta semence,
O cruelle Cérès! Et toi, dieu des buveurs,
Puisse leur soif en vain implorer tes faveurs!
Périssent la vendange et les moissons nouvelles,
S'il faut les acheter par l'exil de nos belles!
Et ces fruits de nos champs sont-ils si précieux?
Valent-ils le bonheur que goûtaient nos aïeux?
Eux-même à leur repos ne faisaient point la guerre.
Sans fatiguer leurs bras à fatiguer la terre,

[1] In his versibus latinum poetam ne intellexisse quidem videtur *Lebrun*, quippe qui multa contra sincerum sensum effutierit.

[2] Scaligeri somniis confisus, seriem carminis turbat.

Sobres et fortunés, sans vignes, sans moisson,
Le gland sut les nourrir, l'onde fut leur boisson.

Mais nul soin douloureux ne vint troubler leur ame;
Ils respiraient l'amour : ils vivaient de sa flamme.
Ardens à recueillir les moissons du baiser,
Ivres de son nectar sans jamais l'épuiser,
Sans cesse ils jouissaient à l'ombre des vallées,
Aux bords rians des eaux, sous les vertes feuillées :
Vénus était partout; partout des lits de fleurs;
Et l'absence jamais n'y fit couler de pleurs.
Point d'Argus, de verroux, de portes indociles,
Les cœurs étaient ouverts ainsi que les asiles.

Revenez, douces mœurs [1]! temps heureux, revenez!
Mais que dis-je? il n'est plus de ces jours fortunés,
Et notre art criminel a changé la nature.
Eh bien! je me dévoue aux champs, à leur culture,
Au joug même : quels maux effraîraient un amant?
Où la beauté commande, il n'est plus de tourment.

[1] .... mos, precor, ille redi.

FIN DES IMITATIONS FRANÇAISES.

EXCURSUS MYTHOLOGICI

IN

TIBULLI CARMINA.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

En habes, amice lector, excursus quosdam Mythologiam spectantes; scilicet Isidem, Venerem Libitinam, Cererem, Bacchum, et quoscumque deos in carminibus memorat Tibullus, in eumdem locum convocavimus, ne Priapo quidem omisso. Adsit et ipse, dummodo se caste gerat, pudiceque bonam, quæ subsequitur, Deam reveritus.

Noli tamen putare me ita vanum esse, ut sub prætextu novæ proferendæ doctrinæ eadem nunc recantem, quæ passim in omnibus lexicis reperiuntur. Nova sunt, revera nova, quæ hic leges; neque ita audaculus sum, ut meis ipsius somniis confisus, Mythologiam, quæ prius erat, subvertam. Sed apud Germanos illustris vir Fred. *Creutzer* paucis abhinc annis eximium in lucem opus edidit; quod simul ac prelis exiit, tanta opinionum commutatio facta est, ut nullus doctorum esset, quin illico exclamaret Mythologiam huc usque obscuris tenebris involutam latuisse, et nunc demum nactam esse idoneum interpretem.

Nimis fortasse viribus propriis confisus, Gallice vertendæ SYMBOLICES provinciam susceperam. Quin adeo absoluta jam operis magna parte, ipse Heidelbergam me contuleram; ubi quam comiter egregius ille vir, Germaniæ nunc maximum decus, me exceperit, quanta indulgentia tentamentis arriserit, vix enarrare possem..... Sed Diis aliter visum, qui gravia severi muneris negotia dulci studio mihi mutantes, sibi æque ac Creutzero alium inter Gallos vatem delegere. Nam dum publicorum judiciorum opera a vetustis-

simis Deorum aris me prohiberent, summa doctrina ornatus juvenis *Guigniaut* (hoc illi nomen est), majoribus velis usus, rem quam ipse inchoaveram perfecit; quod simul ac compertum habui, maximo dolore affectus, nihil non feci, ne me Olympo dejiceret. At ille, ut scopo propior, ita componendæ liti difficilior, omnem igitur societatem detrectans, solus ad metam properavit, et Deos Deasque omnes abducens, mihi *portam cæli* præclusit.

Verum enimvero ita accidisse nunc ipse lætor: nam ex quo mihi paginas quasdam legere contigit, earum quæ nunc prelo subsunt, cognovi, amice lector, tibi lucro fore, non damno istam interpretis permutationem. Perbrevi temporis spatio, ipse dijudicare poteris, quanta elegantia, quantaque simul doctrina, eruditus *Guigniaut* Gallis ad Symbolicam iter aperuerit. Non is sum qui mihi soli provideam. Ill. *Creutzer* apud nos aptum validumque interpretem consecutus est; jam nihil amplius video quod me cruciare possit: ergo nos doctum ac luculentum auctorem secuti, ipsos excursus aggrediamur, quos latiore tractatu, quam Tibullus poscere videtur, explicatos forsitan reperies, sed orbe angustiori contrahere nec potui, nec volui, propter inauditam exquisitamque eruditionis molem, qua passim repletos ad tuam utilitatem maximam convertere poteris, dummodo eorum studiis indulgere non pigeat.

EXCURSUS MYTHOLOGICI

IN

TIBULLI CARMINA.

EXCURSUS PRIMUS.

DE ISIDE.

AD LIBRI PRIMI ELEGIAM TERTIAM, v. 23:

« Quid tua nunc Isis mihi..... ? »

Ex ipsis Tibulli verbis patet Deliam, antequam ipse Roma discederet, in Isidis castu preces fudisse. Quo consilio hoc fecerit jucundissima puella, inter interpretes parum constat. Nonne animo jam providebat amatorem Corcyræ valetudini obnoxium fore? An fortasse idcirco sacra adiit, quia navigaturus erat Tibullus: prius perabsurdum; alterum Brouckhusio placet; Heynio contra minus; quippe qui omnino negat Isidem illa ætate Romæ, eo nomine, cultam fuisse. Idem addit: *tantum in curandis morbis potens habebatur*. Nos videamus quid de hac superstitione statuendum sit, caveamusque simul, ne Dea illa inter Ægyptios maxima, diminutam ulciscatur potentiam: sed altius repetenda res est.

Ill. Creuzer in egregio, quod de Mythologia conscripsit, opere, sic fere de Iside orditur: Isidem et Osirin Saturni (Χρόνου) et Rheæ prolem esse perhibent. Sin autem aliis quibusdam confidas, Mercurius, in ludo tesserarum victor, Lunæ unius cujusque diei septuagesimam partem abstulit, et inde quinque dies confecit: per hos quinque dies Osiris, Arueris, Typho, Isis et Nephthys in lucem editi sunt.

At fabulæ referunt Isidem et Osirin, jam in ipsa matris alvo mutuo incensos amore, corpora miscuisse, et sic natum esse Aruerin. Isis primo triticum et hordeum invenit; Osiris vero aratrum,

ligonem, et rastrum. Hic boves sub jugum misit primus, hominum generi arborum fructus dedit; et leges, nuptias ritusque sacros apud eos instituit. Postquam egregiis suis institutis Nili regionem ditasset, jam reliquum orbem istorum participem esse voluit; magnumque exercitum eduxit; armis tamen abstinuit, docendo et persuadendo, adhibitis carminibus et musica, plerosque alliciens.

Osiridi vero protervus erat frater nomine Typho; hic invidia incensus, absentis regnum lubenter occupasset, nisi a proposito eum Isis, cui imperii cura demandata erat, constantia ac fortitudine sua prohibuisset. Reverso autem Osiride ex itinere, Typho adscitis sibi in conjurationem duobus et septuaginta viris, et conatum adjuvante Æsone, regina Æthiopiæ, solemnes indicit ludos, atque inter convivia arcam, mirum artis opus, apportari jubet; hanc illius fore declarat qui eam corpore ab omni parte impleret. Verum enimvero res nulli prospere cessit; nam Osirin clam metitus Typho, ad hujus staturam exacte arcam apparaverat. Osiris itaque post alios ingreditur in illam; vix autem decubuit, ecce undique exsiliunt Typhonis socii, eumque firmiter inclusum plumbo circumfundunt, et in medium projiciunt Nilum, unde in mare per Taniticum ostium devectus est, quod inde Ægyptiis infaustum et nominatu abominabile fuit. Sic interiit Osiris, anno vitæ, vel, ut alii volunt, imperii duodetricesimo, die mensis Athyr decima septima, vel, quæ nostra ratiocinandi consuetudo est, novembris decima tertia.

Osiride vix interempto, Panes et Satyri integram Ægyptum ululatu ac ploratu de illius morte certiorem fecerunt. Isis tunc temporis forte circa urbem Chemmin agebat: quæ simul ac facinus compertum habuit, sibi ipsa pectus pugnis feriens, e cincinnis unum abscidit, lugubremque vestem induit, mariti corpus terra marique quæsitura. Vagatur itaque Dea, neque ullus in itinere occurrit, quin illum interroget; donec tandem pueruli quidam obvii fiant, ostium indicantes, quo a Typhone sociisque arca in mare delata sit.

At olim Osiris cum Nephthy Typhonis uxore simul ac sorore clanculum et nescius concubuerat: error inde natus, quod in eadem habitarent domo. Isis vero, coronam adspiciens e meliloto confectam quam ille apud Nephthyn reliquerat, cognoverat quid actum esset. Ex hoc autem fortuito concubitu natus est Anubis, eadem quidem

qua pater indole, sed canino capite insignis, pariterque caninis moribus. Hunc Anubin sibi nunc itineris comitem sumit Isis, et ambo arcam quærunt, qua inclusus latet Osiris; sed diu frustra huc illuc discurrunt: nam arca vix uliginosum littus juxta urbem Byblum attigerat; et jam divina vis ericen in immensum egerat truncum, ita ut rex Phœniciæ Malkandros, arborem miratus, ex ea columnam ædibus suis præcidere jussisset. Anubis et aves sacræ hac de re Isidem edocent, quæ humili et ancillæ habitu Byblum venit, et ad fontem juxta urbis mœnia consedit lacrymans, ubi reginæ ancillas comiter alloquitur; et crines replicans ex se miram fragrantiæ suavitatem, corporibus earum asdpirat. Regina, admiratione capta, jubet ut Isidem arcessant; quam simul ac videt, ei pueri recenter nati curam commisit. At Isis, nutriendo puero, loco mammæ digitum ori inseruit, et noctu in medium ignem immisit illum, quo a mortalium infortuniis in posterum immunis esset. Quum interea puer in dies prospere cresceret, mater ipsa latens quæ Isis noctu ageret observare voluit; sed ubi ignem adspexit, præ subito terrore vehementer clamavit. Quo facto, Isis, subito Deæ formam recuperans, regiam integram fulgore replevit ac tonitru concusssit, seseque illico ad illam contulit columnam qua inclusus erat Osiris; hanc manu percutiens, in diversas disjecit partes, quæ adhuc in Isidis fano servantur. Dea autem ad arcem accessit, idque tanto ejulatu, ut filiorum regis natu major Maneros præ pavore vita cesserit, unde in regionibus circa Nilum Manerotis canunt nænias.

Aufert nunc mariti corpus Isis, atque diu dolori indulgens, ultionem parat. Filium suum Horum fidæ cuidam amicæ Buti asservandum dederat; arcam itaque in nemore occultans, ut filium conveniat, iter instituit: sed accidit, ut Typho inter venandum in arcam incideret. Hic cadaver nunc in quatuordecim minutas discerpsit partes, et passim disjecit. Isis, simul ac novum facinus compertum habuit, papyreo lembo per septem Nili navigans ostia, conjugis corpus reficere conatur, singulis partibus in unam redintegratis; tredecim tamen tantum reperit, decimam quartam vero, qua vir fuerat Osiris, nullo modo recuperare potuit: hanc enim in mare devexerat Nilus; quinadeo Dei mentulam deglutierant pisces qui inde ab illo tempore infausti ominis sunt. Isis itaque e sycomoro ligneam illius loco confecit, atque phallum consecravit ad perpetuam facti memo-

riam. Deinde mortuum conjugem Philæ sepelivit, unde hæc urbs Ægyptiorum sepultura maxime insignis. Loca vero cætera ubi membra fuerant reperta, fanis ac templis ornata', omnibus religioni fuere. Quinadeo nulla fere regio erat quæ non sese jactaret Osiridis hoc vel illud membrum olim possedisse.

At ecce tandem ultor Horus prodit : hunc ex Iside susceperat Osiris, quum vividissimo flore ætatis vigeret. Osiris ex inferis Horo ultionem imperare visus est; nec mora; Horus ex omnibus Ægypti nomis amicos convocat; concurritur; Typho jam captus Isidi custodiendus traditur; sed quum vincula solverit, ardens ira, matris diadema Horus aufert, in cujus locum Mercurius Isidi galeam e bovis capite factam nec etiam cornibus carentem imposuit. Neque profuit intempestiva illa clementia. Typho enim Horo diem legitimorum natalium dixit; sed Horus genuinus judicatur, et Typho, una cum nigris comitibus in vastam pellitur solitudinem. Horus paterno potitus regno, Deorum ultimus, in Ægypto sceptrum tenuit. Isis ex Osiride jam vita functo ac dilacerato, Harpocraten concepit, qui doloris et querimoniæ filius, claudus fuit semper et debilis.

In hac fabula opponuntur bona malis, salutaria perniciosis; neque ullum aliud ex hac narratione intelligendum esse crediderim, nisi piscatorum et pastorum ad agriculturam et ad aptiorem deorum cultum transitum.

Diodorus, lib. I, cap. XXI, nos docet quo modo Isis, repertis Osiridis membris ad sepeliendum illum processerit. Ait ille : Ἑκάςῳ τῶν μερῶν περιπλάσαι λέγουσιν αὐτὴν τύπον ἀνθρωποειδῆ παραπλήσιον Ὀσίριδι τὸ μέγεθος, ἐξ ἀρωμάτων καὶ κηροῦ· εἰσκαλεσαμένην δὲ κατὰ γένη τῶν ἱερέων, ἐξορκίσαι πάντας μηδενὶ δηλώσειν τὴν δοθησομένην αὐτοῖς πίςιν· κατ' ἰδίαν δ' ἑκάςοις εἰπεῖν ὅτι μόνοις ἐκείνοις παρατίθεται τὴν τοῦ σώματος ταφήν· καὶ τῶν εὐεργεσιῶν ὑπομνήσασαν, παρακαλέσαι θάψαντας ἐν τοῖς ἰδίοις τόποις τὸ σῶμα, τιμᾷν ὡς Θεὸν τὸν Ὀσίριν· καθιερῶσαι δὲ καὶ τῶν γινομένων παρ' αὐτοῖς ζώων ἓν, ὁποῖον ἂν βουληθῶσι· καὶ τοῦτο ἐν μὲν τῷ ζῆν τιμᾷν, καθάπερ καὶ πρότερον τὸν Ὀσίριν, μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν τῆς ὁμοίας ἐκείνῳ κηδείας ἀξιοῦν. Pergit Diodorus, paucis intermissis, hoc modo : Διὸ καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἑκάςους τῶν ἱερέων ὑπολαμβάνειν παρ' ἑαυτοῖς τεθάφθαι τὸν Ὀσίριν, καὶ τά τε ἐξ ἀρχῆς ἀφιερωθέντα ζῶα τιμᾷν, καὶ τελευτησάντων αὐτῶν ἐν ταῖς ταφαῖς ἀνανεοῦσθαι τὸ τοῦ Ὀσίριδος πένθος. Hinc factum, ut ubique Osiridis sepulchra vi-

serentur, quorum præcipua in insula *Philæ* dicta in urbe Abydo, et apud Memphim erant, in sacrario *Phtaah* nuncupato. Id insuper tibi nota, aliam esse narrationem, secundum quam Isis Osiridis collecta membra ligneæ inclusisset vaccæ, Busirideque sepelivisset. Tertiam adhuc memoria teneas, qua, Osiride mortuo, ejus anima Apin taurum init, et, hoc pariter mortuo, in novùm iterum Apin migrat. Apis enim, ut ait Plutarchus, intelligendus est formosa animæ Osiridis imago : Οἱ δὲ πλεῖστοι τῶν ἱερέων εἰς τὸ αὐτό φασι τὸν Ὀσίριν συμπεπλέχθαι καὶ τὸν Ἆπιν, ἐξηγούμενοι καὶ διδάσκοντες ἡμᾶς ὡς εὔμορφον εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν.

Ægyptios adhuc tenebris involutos contemplati sumus, quo tempore integra gens animalium fere omnium fetus veneratione prosequebatur. Aves, serpentes, feles et alia ejusmodi summo loco habebantur. Nunc vero horum omnium vitam, in unius animalis corpore quasi conflatam vidimus, et jam iste fetuum cultus, qui in plura ferebatur ac dividebatur, unus ac idem universæ regioni apparet ; de corporibus multis unum tantum, idque sacrum, restat. Neque jam animæ circa corpora vagantur incertæ, sed constituta lege migrant in novas formas; nam Osiris, quæ mundi ingens est anima, in Apis corpore nulla intermissione reviviscit. Apparent, ni fallor, hic lineamenta allegoricæ doctrinæ cujus ope hominum quoddam nobilius genus, pastores et piscatores ægyptios agricultura simul et melioribus vitæ præceptis donavit.

Ægyptii annum auctumnali æquinoctio inchoant mense thoth, qui nobis september est, tunc quum sol signum init libræ. Hunc ordine excipiunt phophi (october), athyn (november), choeak (december), tybi (januarius), mechyr (februarius), phamenoth (martius), pharmuthi (aprilis), pachon (maius), pauni (junius), epiphi (julius), mesori (augustus). Satis notum est, priscam Ægyptum duplici satione, pariterque duplici messi gavisam esse. Prior satio februario, altera exeunte septembri fiebat, messes vero julio et novembri. Hinc Osiridi bis quotannis moriendum, Isidi vero bis lugendum erat. Prior Dei mors a mense Martio ad Julium usque perdurabat; quo tempore Ægyptum æstus maxime torret, herbæ exarescunt, semina languent, ipse ventus, quippe qui Libyæ arenas prætervectus sit, aerem accendit : serpentes insuper, et aliæ id genus pestes aculeo minantur. Morbi denique letales ac lues sæviunt; quinadeo

ipsum cælum, rubro ac sanguinolento colore obductum, Typhonis potentiam esse ita declarat. Per hanc enim temporis periodum exercet ille regna sua; Isis vero, quæ nihil aliud est nisi ipsa Ægyptus, sitiens nunc, luctu ac ploratu fertilem invocat aquam, sed incassum; perferenda est dira tempestas. Osiris adhuc sopitus apud nigros detinetur Æthiopes, et a reditu scopulis prohibetur, quasi carcere, cujus janua rupes juxta Elephantinen sita esse videtur. Osiris, exhausto itaque hoc sensu, pro languido ac desiccato Nilo habendus. Hic tunc nullam canalibus aquam immittere potis est, et ultra cataractam exsulat, magno Isidis, vel, si mavis, Ægypti dolore ac damno. Typho, frater ille invidus, per deserta loca tauros ignem spirantes agens, Isidique maxime infensus, Reginæ Æsonis σύμμαχος est. Illius septuaginta socii pro totidem diebus habendi qui Osiridis reditum præcedunt. Typho, invisæ solitudinis Libycæ amator, ibi imperat; Ægyptus contra, ubertate insignis, quamque Nilus divitiis ornat variis, Isidis est. Hæc regio etiam appellatur Chemia, ob nigrum, humidum, calidum et simul pingue solum. Typho Plutarcho dicitur Σμὺ, quippe qui omnia comburat, atque lento igni torreat.

Verum enimvero somnum excutit Osiris, et mox vincula rumpit Nilus, spumantiumque aquarum mole rupes superans, Ægyptum versus defertur. Hoc mense maio incipit, majoribus in dies incrementis, ita ut junio jam appareant ac manifestentur: neque tamen ante adventum Leonis, agriculturæ prodest fluvius, qui non nisi æstivo solstitio altitudinem consequitur maximam; tunc primum rupibus superatis, in Ægyptum irrumpit, eamque ita mergit, ut integra navibus pervia fiat; tunc et die quæ apud nos septembris numeratur vigesima quarta, aperiuntur ubique aggeres, maximo omnium plausu adjuvante. Tunc denique nuntii huc illuc discurrunt per integram regionem, clamitantes undas nunc idoneam attigisse altitudinem; ubique lætitia exsultant; ubique alacritatis index clamor.

Attamen sol Scorpii subit signum mense Athyr: tunc denuo luget Ægyptus; Osiris enim iterum moritur, tota regione aquis submersa. Jam advolat obscura anni tempestas; jam dies decrescunt; a fluctibus spes omnis evertitur. Unde fabula infaustum ac inimicum illum Δαίμονα, sensu prorsus diverso, pro mari, pro hieme,

pro tenebris intelligit. Osiris, cui vis sementiva inhabitat, jam nullus manifestari potest; quippe qui undis quasi arca inclusus sit. Solis jam nulla potestas; virile Osiridis membrum piscibus pabulo est. E sole fit Harpocrates, parvulum ac infirmum lumen. Isis luna fit, neque ulla vis ei conceditur. Tales sunt auctumnales sationis feriæ, quas ostendam in posterum ubique terrarum luctuosas fuisse.

Isis defunctum vita Osirin iterum quærit, donec undecimo mensis Tybi die (kal. fere januariis) Ægyptus nova lætitia exsultet. Tenebras egreditur sol, reperitur Osiris, celebratur phallus. Semina solum findunt, et natura universa, vitam novam consecuta, quasi renovatur ac redintegratur [1].

Hæc fere Creuzer profert, quem utinam longius prosequi liceret, præsertim in ingeniosa explicatione de loto, et de anno ægyptiaco. Sed nobis non cum Osiride res est. Isis adeunda nunc, ut, cognitis quæ gesserit, etiam diversas illius perlustremus curas de humanis negotiis, idque anquiramus utrum etiam navigationi ac nautis præfuerit. Isidis quæcunque tutelæ committantur, ex narratione quam supra retulimus, facile cognoscuntur.

Isis, ut notat Plutarchus, ἑλληνικὸν ἡ Ἶσις ἐςί. Dea vero aliquando Μωὺθ, nonnunquam Ἀθυρὶ, quandoque Μεθυὲρ nominatur. Sub prima voce mater intelligitur; secunda οἶκον Ὥρου κόσμιον significat, tertia σύνθετόν ἐςιν ἔκ τε τοῦ πλήρους καὶ τοῦ αἰτίου. Ex iis quæ Plutarchus de mundi disserit, pariterque ex iis quæ Ill. Creuzer materia de nocte, nihil superest dubii quin Isis Athor pro omnium rerum principio habenda sit. Ægyptiis autem Deorum ordines tres erant: primo majores octo inerant, inter quos Isis-Athor; secundo ordini quoque inest Isis, nomine Neith adjecto, quo etiam *ignis femina* designatur, supra lunam vagans; hoc sensu Isis Dearum omnium proprietates una exhibebat; tertii denique ordinis cum minoribus Diis erat Isis-Io, seu Luna; nam Eustathius, ad Dyon. Perieg., p. 23: Ἰὼ ἡ Σελήνη κατὰ τὴν Ἀργείων διάλεκτον. Poteris itaque Græcorum superstitionem conferre, quæ haud dubie Ægypto tribuenda. Hinc Lucianus ille protervus de Jove refert in Dialogis Deorum ubi im-

[1] Aries multis Ægyptiorum zodiaci primum signum esse videtur, quo sensu Ammoni arietis cornua et caput tribuunt. Vide Theonis scholia in Arati Phænom., p. 69; *Jablonski*, p. 240, et Panth., II, p. 249.

perat Mercurio ut Argum in Nemea silva pascentem interimat : ipsam vero Io per pelagus in Ægyptum abducat, atque Isin faciat, quæ Isis maximum sit Ægyptiis numen, et Nilum crescentem adtollat, et immittat ventos, et servet navigantes, qua de re Orpheus apud Valerium Flacc. Argonaut., lib. IV, v. 348:

« ...Hæc procul Io
Spectat ab arce Phari, jam Divis addita, jamque
Aspide cincta comas, et ovanti persona sistro.
Bosporon hinc veteres errantis nomine Divæ
Vulgavere. Juvet nostros nunc ipsa labores,
Immissisque ratem sua per freta provehat Euris.
....
Dixerat, et placidi tendebant carbasa venti. »

Est itaque Io eadem quæ Isis tertii ordinis, neque bovina cornua desunt, quibus etiam in vetustissimis Thebaidos anaglyphis insignis est Dea. Ait Valer. Flaccus : « Spectat ab arce Phari. » Ait ipse Tibullus : « Tibi dicere laudes Insignis *turba* debeat in Pharia. » Ovidius quinadeo, lib. III, Art. Am., v. 635 :

« Quum sedeat Phariæ sistris operata juvencæ. »

Martialis, lib. X, epigr. XLVIII :

« Nuntiat octavum Phariæ sua turba juvencæ. »

Superest ut indagemus cur tandem Pharia dicta sit ; Creuzer rursus adeundus est ; ait ille in notula : « Cave ne credas mari omnino abstinuisse veteris Ægypti Pharaones ; patet contra ex ipsa orbis terrarum cognitione, quæ apud eos non despicienda aderat, magnas tunc temporis expeditiones suscepisse Ægyptios, præsertim Indiam versus. Herodotum adi, lib. II, cap. CII, et Diodorum, lib. I, cap. LIII ; adi pariter librum cui titulus : *Description de l'Égypte*, t. II, p. 63, ubi hæc mea sententia anaglyphis Medinæ-Tabu, in palatio quod Sesostridis esse putaverim, plane confirmatur. Fieri potuit tamen ut e maris Mediterranei littoribus, publicis de causis, naves arcerentur ; quæ prohibitio progressu temporis, et rebus paulatim immutatis, mitescere debuit, ita ut mox obsoleta esset, et littoris incolæ, quibus victus maxime a mari erat, Isidem, Ægypti maximum numen, etiam mari præfecerint, licet olim infensum Typhonis numen hoc rexerit. Hinc Isis propter Pharum ambulans

conspicitur, veste ventis agitata, in manu sistrum tenens, et simul velum pandens. » Ut merito notat Creuzer, videntur Ægyptii Isidis tutelam adversus sævum dominatorem maris, Typhonem, invocasse. Varro etiam de Iside Pharia refert quæ pariter ventos et fluctus moderatur, pariterque vela pandit. Accedit denique ara Isidis apud Gruterum, LXXXII, Ins. 4, in cujus fronte cornu copiæ variis fructibus plenum, ad dextrum latus patera, ad lævum sistrum ægyptiacum, cum tribus virgulis mediis, a tergo orbis cui serpens circumvolutus sese erigit et gubernaculum nauticum....... Sanandis morbis, non inficior, invocabatur Isis, cujus vas serpente involutum salutare erat; quinadeo medicaminum inventrix dicebatur, et Diodorus, lib. I, cap. XXV, addit eam καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους τοῖς ἀξιοῦσι διδόναι βοηθήματα. Sed cur Heynius huc præcipue Tibulli locum traxerit, non intelligo, neque cur negaverit *Isidem ista ætate Romæ eo nomine cultam fuisse*. Nusquam, ait, reperimus hujus superstitionis vestigia; at ipse obloquitur Tibulli locus, quem minus intelligit; nam epitheton *Pharia* jam indicio erat de maritimo Deæ cultu hic agi. Isis enim eo sensu *Pharia* dicitur, præcipue, quum de nautis ac navigatione sermo sit. Per *Phariam* turbam itaque non Alexandrini intelligendi, ut fecerat magnus vir quem confutat Brouckhusius, sed quicunque Isidi Phariæ operati sunt. Minime me movet quod Heynius addit « Nihil etiam, hoc » loco, de periculo maritimo, in quo dea suam opem desiderari » passa sit, sed de morbo agitur, quicum conflictatur poeta; et » v. 27, eo nomine laudat Deam, quod mederi possit, non navi» gantes servare......... Haud dubie Tibullus ea tempora respicit, » quum adhuc Romæ esset, et Deliam frequenter pro sua utriusque » salute Isidi sacra facere videret; itaque addit *toties*. » Dixerit hæc et plura ille, quid refert? semper in mentem redit, quod jam Turnebus et Brouckhusius dixere, Tibullum, antequam ex urbe discederet, non ægrotasse. Imminebat iter maritimum, quod ritu ægyptiaco Isidis tutelæ committendum erat. Prorsus peregrina erat Osiridis religio, cujus templa senatus aliquoties everti jussit (Dio, XL, 47). Percrebuit tamen Romæ hic ritus qui certo, non pro parte tantum, susceptus, integram de Iside doctrinam complectebatur, ita ut simul de navium tutela, de sanandis morbis, de Osiride, de Nilo innotuerint omnia quæ circumferebantur ore

Ægyptiorum. Nec perspicio, cur singulis ac minutis partibus irrepserint diversæ hujus religionis superstitiones. Sane qui talia asserit, ei probationis onus incumbit, neque ille suo *nusquam reperimus* litem dirimere potest. In aperto enim responsio est : patet Isidem ex Ægypto Romam cum cultu ac ritu pervenisse. Nos *nusquam reperimus* eorum ullam partem a Romanis omissam fuisse ; nullo itaque fulcro nititur exceptio, quam statuerat Heynius, et sic prorsus rejicienda erit.

Hæc sunt de quibus te, amice lector, monitum esse volumus. Lubenter omnia quæcunque illustris Creuzer de Iside præcepit, huc congesserim. Tu te ad eximium opus confer, quod brevi doctus *Guigniaut* gallice editurus est ; ibi videbis quantis ingenii viribus germanicus professor arcana Ægypti explicuerit, atque scrutatus sit. Adi etiam sextum excursum, qui ipsa Creuzeri manu, ne vocabulo quidem immutato, scriptus in commentationibus Herodoteis 15, 16, 17, legitur.

EXCURSUS SECUNDUS.

DE VENERE LIBITINA,

AD LIBRI PRIMI ELEGIAM TERTIAM, v. 37 :

« Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios. »

Vulgo nullus ψυχαγωγὸς est nisi Mercurius, cui præcipue mortuorum in Elysios campos ducendorum cura demandatur, quem tamen interdum Proserpina hoc in negotio adjuvat, ut ex epigr. Tom. III, Anal. Brunk., p. 304, patet : Ἀλλὰ σὺ — τὴν δ᾽ ἄγε εἰς εὐσεβίων χῶρον ἑλοῦσα χερός. Sed quid hæc cum Venere? Quid jucundissima Dearum cum tristi Orco?

Dionysius Halicarn., lib. IV, et Titus Livius tradunt Romæ Venerem, ut sepulchrorum præsidem, cultam fuisse. Servius Tullius in ejusdem fano pro singulis mortuis, singulos nummos reponi jussit, et mox locatio funerum ad fanum idem facta. Fanum Diony-

sius ita designat. (Antiq. Rom., I, 15.) Τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην. Plutarchus in Quæst. Rom. veram rei causam nobis attigisse videtur hoc modo : Διὰ τί τὰ πρὸς τὰς ταφὰς πιπράσκουσιν ἐν τῷ τεμένει τῷ λιβιτίνης; νομίζοντες Ἀφροδίτην εἶναι τὴν Λιβιτίνην; πότερον καὶ τοῦτο τοῦ Νουμᾶ τοῦ βασιλέως φιλοσοφημάτων ἕν ἐςιν, ὅπως μανθάνωσι μὴ δυσχεραίνειν τὰ τοιαῦτα, μηδὲ φεύγειν ὡς μιασμόν; ἢ μᾶλλον ὑπόμνησίς ἐςι τοῦ φθαρτὸν εἶναι τὸ γεννητόν; ὡς μιᾶς Θεοῦ τὰς γενέσεις καὶ τὰς τελευτὰς ἐπισκοπούσης. Καὶ γὰρ ἐν Δελφοῖς Ἀφροδίτης ἐπιτυμβίας ἀγαλμάτιόν ἐςι, πρὸς ὃ τοὺς κατοιχομένους ἐπὶ τὰς χοὰς ἀνακαλοῦνται. Sequitur hinc, ante Romanos etiam Græcos ἐπιτυμβίαν coluisse Venerem; quinadeo cur hæc fecerint additur : ut commonefierent homines pereundum esse omnibus quæ nascerentur. Venus, quæ amore omnia gignit atque parit, funeribus quoque, ac interitui præsidet. Quam interpretationem secutus, ostendit ille Creuzerus hanc Aphroditen cum Dione, cum Pasiphae, cum Proserpina, unam esse ac eamdem, hancque omnes ad partum pellicere, et rursum interitus ope, illius fieri omnia animantia. Hæc inter quercus, quippe quæ leti arbores sint, late regnat. Idem Creuzerus alio in loco Venerem Libitinam agnovit sub Pasiphaes nomine latentem, vid. p. 98. Gyraldus ait: (Histor. Deor., Syntagm. XIII.) « Nescio vero an hæc eadem sit quam M. Varro Libentinam Venerem vocasse videtur, a libendo denominatam. » Meminit et Cicero, de Natur. Deor.: « Eadem sane fuit; nam Festus, qui eadem Libentinæ appellatione utitur, lucum illi Romæ fuisse asserit, qui certe idem est de quo supra Dionysius. » Horatius pro, mortem effugere, *Libitinam vitare* dixit. A Libitina quoque libitinarii apud Latinos dicti, qui a Græcis νεκροθάπται et νεκροφόροι vocantur. Cæterum si ad ægyptiacas rediremus superstitiones, eamdem inveniremus doctrinam. Creuzerus, Comm. Herod., p. 122, ait. « Athor, sive Venus Libitina allicit, et infra ad se rapit Osiridem. *Tellus* vim humoris vegetantem combibit, concipit semen, et ad tempus occultat. » Idem doctus vir voci *telluris* hanc subjecit notam, quam integram transcribere lubet. « *Sive Venus inferum.*
» Venerem enim Ægyptiis dici Athor diserte testatur Orion apud
» Etym. Magn., p. 26, qui idem mensem anni tertium ei cognomi-
» nem fecisse dicit, Ἀθύρ. Cæterum qui Plutarchi verba *de tenebris*
» legerit *eo mense crescentibus*, is commode explicatam a Jablons-

» kio esse dixerit Deam Athor, nimirum *noctem*. (Vide ejus Panth. » Ægypt. I, 1; et ejusdem Voc. ægypt., p. 21.) Hinc *mus* in » ejus Deæ manibus visitur in nummis apud Zoegam, Num. Ægypt. » Imp. Tab., XXI, n° 8. Recta autem ratio docet, si rem diligen- » ter excutias, ipsam Isidem in Deam Athor quasi resolvi, quando- » quidem terra supera et infera contigua est. Ac reapse Isis Ægyp- » tiis et ipsa dicta est Ἀθυρί. Vid. Plutarch., de Isid. et Osirid., qui » eam vocem inquit significare *domum Ori mundanam*, addens: » ὡς καὶ Πλάτων χώραν γενέσεως καὶ δεξαμένην. *Receptaculum* autem » *et locus ortus* quantopere huc pertineant, nemo est quin intelli- » gat. « Venus itaque non solum apud Romanos nomine *Libitinæ*, sed etiam apud Græcos nomine ἐπιτυμβίας, denique si altius rem repetas, apud Ægyptios jam Athor dicta, funeribus præfuit. Non mirum itaque si Tibullus, qui *facilis tenero* fuerat *semper amori* Venere, potius quam Mercurio pro ψυχοπόμπῳ uti vellet. Par erat eum qui sub hujus Deæ tutela vixerat, morientem sese ejusdem manibus committere, ut Dea ipsum ἑλοῦσα χερὸς εἰς εὐσεβέων χῶρον duceret.

EXCURSUS TERTIUS.

DE PRIAPO,

AD LIBRI PRIMI ELEGIAM QUARTAM, v. 7:

« Sis ego : tum Bacchi respondet rustica proles. »

Parentes huic tribuunt diversi diversos. Plerique tamen in id consentiunt, Bacchi fuisse filium hunc Deum, quem Strabo tamen, lib. XIII, tantum a recentioribus Olympo annumeratum esse dicit. Patet ex Afranii prologo quosdam veteres originem illi minus illustrem concessisse, quippe qui Priapum Panos aut Sileni filium esse statuerint, quin adeo leporis.

Nam quod vulgo prædicant hunc aurito parente natum, haud ita est. Sed Macrobius est, qui de lepore hæc somniavit, idque satis absurde. Qui vero Bacchum ut patrem agnoscunt Priapi, ii de matre dissentiunt, Naida nescio quam adducentes loco Veneris, vel

etiam Chionen Nympham. Creuzerus, qua sagacitate est, in Priapi fabula nexum phœniceæ religionis cum Asiæ superioris cultu τοῦ *Lingam* subodoratus est; quam antequam exscribamus, Dionysius inducendus est. Is Ægypti narrationes cum Priapi ritu arcte nectit hoc modo : Μυθολογοῦσιν οὖν οἱ παλαιοὶ τὸν Πρίαπον υἱὸν εἶναι Διονύσου καὶ Ἀφροδίτης, πιθανῶς τὴν γένεσιν ταύτην ἐξηγούμενοι. Τοὺς γὰρ οἰνωθέντας φυσικῶς ἐντετάσθαι πρὸς τὰς ἀφροδισιακὰς ἡδονάς· τινὲς δέ φασι τὸ αἰδοῖον τῶν ἀνθρώπων τοὺς παλαιοὺς μυθῳδοὺς βουλομένους ὀνομάζειν, Πρίαπον προσαγορεῦσαι· ἔνιοι δὲ λέγουσι τὸ γεννητικὸν μόριον, αἴτιον ὑπάρχον τῆς γενέσεως τῶν ἀνθρώπων καὶ διαμονῆς εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα, τυχεῖν τῆς ἀθανάτου τιμῆς. Οἱ δ᾽ Αἰγύπτιοι, περὶ τοῦ Πριάπου μυθολογοῦντες, φασὶ τοὺς Τιτᾶνας τὸ παλαιὸν ἐπιβουλεύσαντας Ὀσίριδι, τοῦτον μὲν ἀνελεῖν, τὸ δὲ σῶμα αὐτοῦ διελόντας εἰς ἴσας μερίδας καὶ λαβόντας ἀπενεγκεῖν ἐκ τῆς οἰκείας λαθραίως· μόνον δὲ τὸ αἰδοῖον εἰς τὸν ποταμὸν ῥίψαι, διὰ τὸ μηδένα βούλεσθαι τοῦτο ἀνελέσθαι· τὴν δὲ Ἶσιν τὸν φόνον τοῦ ἀνδρὸς ἀναζητοῦσαν, καὶ τοὺς μὲν Τιτᾶνας ἀνελοῦσαν, τὰ δὲ τοῦ σώματος μέρη περιπλάσασαν εἰς ἀνθρώπου τύπον, ταῦτα μὲν δοῦναι θάψαι τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τιμᾷν προστάξαι ὡς Θεὸν τὸν Ὄσιριν. Τὸ δὲ αἰδοῖον μόνον οὐ δυναμένην ἀνευρεῖν, καταδεῖξαι τιμᾷν ὡς θεὸν, καὶ ἀναθεῖναι κατὰ τὸ ἱερὸν ἐντεταμένον. Περὶ μὲν οὖν τῆς γενέσεως τοῦ Πριάπου καὶ τῆς τιμῆς τοιαῦτα μυθολογεῖται παρὰ τοῖς παλαιοῖς τῶν Αἰγυπτίων. Τοῦτον δὲ τὸν θεὸν τινὲς μὲν Ἰθύφαλλον ὀνομάζουσι, τινὲς δὲ Τύφωνα. Τὰς δὲ τιμὰς οὐ μόνον κατὰ πόλιν ἀπονέμουσιν αὐτῷ ἐν τοῖς ἱεροῖς, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς ἀγροικίας ὀπωροφύλακα τῶν ἀμπελώνων ἀποδεικνύντες, καὶ τῶν κήπων· ἔτι δὲ πρὸς τοὺς βασκαίνοντάς τι τῶν καλῶν, τοῦτον κολαστὴν παρεισάγοντες· ἔν τε ταῖς τελεταῖς οὐ μόνον ταῖς Διονυσιακαῖς, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄλλαις ἁπάσαις οὗτος ὁ θεὸς τυγχάνει τιμῆς τινὸς, μετὰ γέλωτος καὶ παιδιᾶς παρεισαγόμενος ἐν ταῖς θυσίαις. Hæc Dionysius; nos integrum locum transcripsimus; nam, præter fabulæ originem etiam initio rationem indicat et causam, cur inter Deos relatus sit Priapus. Nunc Creuzerum audiamus breviter, sed ingeniose, disserentem. Secundum fabulam quam hic referre operæ pretium est, Bacchus, antequam in Indiam proficisceretur, cum Venere concubuit; hæc eo absente, Adonidi nupsit, et e duplici coitu Priapus ille horridus natus est, qui in posterum Veneri comes ac famulus fuit, quinadeo integrum illa chorum hujus generis consecuta est; nam poetæ de Tychone, de Conisalo, de Orthane, de Lordone, de Cybdaso, etc., multa narrant, quorum

nomina jam satis declarant quales ipsi fuerint. Ut jam notavimus, ill. Creuzer de Siva hic meminit et de Lingam, et Phœniceam religionem cum Indorum ritu cohærentem ostendit. Idem Sicklerum in nota citat, qui in opere Cadmi nomine inscripto, nihil aliud Priapi appellationi subesse putat, nisi forte aliud nomen e Lampsacenis Mysteriis Pani additum magno, qui in Ægyptiorum et Græcorum mysteriis celebratur. Sicklerus autem nomen derivat a פְּרִי, fructus, אָב, pater, et עָז, vis. Doctus Hug eodem modo e Phœnicea lingua Priapi nomen explicat, eum fructuum patrem dicens. Ut ut est, hunc Deum Lampsaci natum esse volunt plerique. Lilius Gyraldus, in Hist. Deor., Synt. VIII, fabulam adducit, quam Stephanus quoque ex Apollonii interpretibus hauserat. « Venus, ad » Lampsacum sedens, eum quem utero gerebat infantem edere vo» lebat. Juno vero zelotypia acta, maleficiis usa, ejus ventrem » manu atttigit, effecitque ut puerum pareret, quum cætera in» formem, tum maxime ob virilis membri immanitatem, quem » Priapum appellavit : quem videns Venus, indignum rata est ut » tolleret, quum propter alia invisum illum habens, tum maxime » propter membri supra quam par erat indecentiam. Quapropter Ve» nus ipsum suum esse abnegavit, atque hoc est ἀπαρνηθῆναι, et » inde Aparnis urbs vocata, quæ postea litteræ immutatione dicta » est Abarnis. » Servius inquit : « Priapus fuit de Lampsaco, civi» tate Hellesponti, de qua pulsus propter membri virilis magnitu» dinem, post, in numerum Deorum receptus, meruit numen esse » hortorum. Virgilius, in IV Georg. 110 :

» Et custos furum atque avium, cum falce saligna
» Hellespontiaci servet tutela Priapi. »

» De hoc etiam Horatius, Lib. I, Sat. VIII, 4 :

» Nam fures dextra coercet,
» Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus. »

Priapus multa commisit libidinose, neque omnia hic narrare possumus, quæ de eo circumferuntur. Lubet tamen Lactantii locum citare, qui, postquam dixit ad Lampsacum Priapo litabilem victimam esse asellum, subjicit; « Quum Dii omnes ad festum Matris Magnæ » convenissent, epulisque satiati, noctem lusibus ducerent, quie-

» visse humi Vestam, somnoque indulsisse: ibi Priapum somno ejus » ac pudicitiæ insidiatum: sed illam intempestivo clamore aselli, quo » Silenus vehebatur, excitatam: libidinem vero insidiatoris esse detec» tam. Hac de causa Lampsacenos asellum Priapo quasi in ultionem » mactare consuevisse: apud Romanos vero eumdem Vestalibus » sacris in honorem pudicitiæ conservatæ panibus coronari.... Re» ferunt ii, qui φαινόμενα conscripserunt, quum de duabus Cancri » stellis loquuntur, quas Græci ὄνους vocant, asellos fuisse qui Li» berum patrem transvexerint, quum amnem transire non possit; » quorum alteri hoc præmium dederit, ut humana voce loquere» tur: itaque inter eum Priapumque ortum esse certamen de » obscœni magnitudine; Priapum victum et iratum occidisse victo» rem.» De his fabulis utram eligas, parum refert; fortasse etiam idcirco asellum immolabant, quia magnitudo membri virilis enormis est. Non potuit certe ei monstro aptior victima inveniri, quam quæ ipsum, cui mactatur, posset imitari. Ill. Creuzer, priorem narratiunculam recitans, addit hinc fieri ut lucernæ domesticum ignem servantes, asininis capitibus insignes essent, utpote quas Vesta in tutela haberet. Idem memorat mensi Junio pompam Vestæ, asino coronato duci. E lusibus in Priapum constat hircum etiam vel porcellum ei mactatum fuisse, quin adeo et minoribus donis contentus erat, ut apparet a carm. 85:

> Mihi corolla picta vere ponitur;
> Mihi rubens arista sole fervido;
> Mihi virente dulcis uva pampino;
> Mihi glauca duro cocta oliva frigore:

Noli mirari eumdem qui propagationis Deus esset, hominum generi, etiam agrorum, vineæ, et hortorum fertilitati præfuisse. Causam jam Dionysius, loco quem transcripsimus indigitavit. Gyraldus addit: « Ponebatur porro Ithyphallus (ἰθύφαλλος est arrectus Priapus) in » hortis ad generationem ubertatemque eorum: iis enim præesse » dicitur, propter fœcunditatem, cujus ipse symbolum putabatur. » Nam, ut ait Servius, in not. ad v. 110, Georg. IV, Virgil. quum » alia terra semel creet aliquid, horti nunquam sine fructu sunt. » Hinc ergo Columella in carmine de Hortis, lib. X, 31:

> « Sed truncum forte dolatum
> » Arboris antiquæ, numen venerare ithyphalli. »

Immo vero palus ille obscœnus ad aves arcendas adhibebatur una cum falce. In Lusibus cecinit aliquis :

« Sed ruber hortorum custos, membrosior æquo. »

Tibullus, lib. prim. Eleg. I, 17 :

« Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut sæva falce Priapus aves. »

Horatius, in sermone de Priapo, Sat. I, VIII, I :

« Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum :
Quum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum : Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido : nam fures dextra coercet,
Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus;
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis. »

Sub dio plerumque Priapi icones erant; qua de causa avium contumelias sæpe experiebatur. Poeta vetus, in Priapeis :

« Abegimus voce sæpe, quum tibi
Senexve corvus, impigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput. »

Horatius, in satyra supra laudata, vs. 37 :

« Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum
Julius, et fragilis Pediatia... »

Divus Augustinus, in Civ. Dei : « Quid hoc dicam, ibi sit et » Priapus, nimium masculus, super cujus immanissimum et turpis- » simum fascinum sedere nova nupta jubebatur? » Matronæ nonnunquam in cærimoniis obscœnam Priapi imaginem cum risu ludoque circumferebant. Cæterum fascinum sæpe dicebant veteres pro ingenti Priapi membro virili. Sic Horatius, Epod. VIII, 10 :

« Minusve languet fascinum. »

Sic quoque in Carm. Priap.

« Pædicabere fascino pædali. »

Quibus locis hæc addit Gyraldus « Muto Priapus etiam dictus a » Latinis : unde mutoniatus, mentulatus... Idem dicitur et *mutinus*,

» ut habet in Priapeis, *Rubricato minare mutino*. Tertullianus in » Apolog. legere videtur *Mutunus* : ita enim ridens Romanorum » religionem : *Sterculus, inquit, et Mutunus et Laurentina provexit* » *imperium*. Arnobius item in quarto : *Etiamne*, inquit, Mutunus » cujus immanibus pudendis, horrentique fascino vestras inequi- » tare matronas et auspicabile ducitis et optatis. Augustinus etiam » *Mutunum* et *Tutunum* legere videtur; tametsi in codicibus Lac- » tantii quibusdam, nunc *Futinus* legatur et *Tutunus*. »

Non mirum, ait doctissimus Creutzer, si Priapus, fabularum de Adonide particeps fuit, quippe quæ lascivia insignes Astarten etiam Babyloniæ Mylittæ persimilem exhibebant, præcipue vero in feriis quæ Bybli celebrabantur.

EXCURSUS QUARTUS.

DE BONA DEA.

AD LIBRI PRIMI ELEGIAM SEXTAM, V. 23:

« .... Illam sequar unus ad aras. »

In nota ad hunc versum Brouckhusium confutavimus, qui serio asserebat puellas male crinitas in sede Bonæ Deæ ornari olim, ut virorum conspectum vitarent. De Bona Dea vero plura attulit doctus interpres, quæ memoratu digna sunt. Sed, antequam de ritu colendæ illius Deæ disseramus, numen ipsum quale fuerit examinandum est. Lactantius, in libro quem de falsa religione conscripsit, c. 22: « Faunus » in Latio sororem suam Fatuam Faunam, eamdemque conjugem » consecravit; quam Gabius Bassus Fatuam nominatam tradit, quod » mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus viris. Eamdem Varro » scribit tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo eam quoad vixerit, præter » virum suum, mas viderit, nec nomen ejus audierit. Idcirco illi mu- » lieres in operto sacrificant, et Bonam Deam nominant. Et Sextus » Clodius, in eo libro quem græce scripsit, refert, Fauni hanc uxorem » fuisse : quæ quia, contra morem, decusque regium clam vini

» ollam ebiberat, et ebria facta erat, virgis myrteis a viro usque ad » mortem cæsam. Postea vero, quum eum facti sui pœniteret, et » desiderium ejus ferre non posset, divinum illi honorem detu- » lisse; idcirco in sacris obvolutam vini amphoram poni. »

Hucusque Lactantius; Cornelius vero Labeo et Macrobius contendunt Bonam Deam unam ac eamdem esse cum Maia, cum Matre Magna, cum ipsa Terra, quin adeo cum Ope; et *Creutzer*, qui nullum attingit locum quin illico lumine clarissimo eum illustret, etsi perpauca de Bona Dea dixerit, tamen perspicue demonstrationem absolvit, cur cum Cerere jungi potuerit illa. Ceres, vetustissima Pelasgorum opinione, Ceres Cabeira telluris ac necis numen erat. Tellus Dæmones emittit, emittit etiam fruges et varia bona. Telluris autem numina atque interitus, veteribus bona numina dicebantur et erant; sic quoque Ceres χθονία, eamdem, quam antiquæ Italiæ Bona Dea in mysteriis habuerat, naturam consecuta est. Eæ, licet in cultu et vulgi opinione separarentur, nihilominus unius ac ejusdem numinis diversæ erant personæ, ratione singularium proprietatum quibus erant insignes. Huic egregii professoris interpretioni favet certe Labeo, quum referat, *Bonam* dici, quod omnium ad victum bonorum causa est, *Faunam* quod omni usui animantium favere putaretur; *Opem* quod ipsius auxilio vita constare crederetur; *Fatuam* vero a fando, quod infantes partu editi non prius vocem edere, crederentur quam terram ipsam attigerint.

Quidam, hanc narrationem aliorsum trahentes, Fauni filiam, non uxorem huc adducunt, adduntque eam a patre amatam; qui, quum nihil proficeret, virga myrtea filiolam verberavit: neque vinum profuit; sed, serpentis formam induens, voti tandem compos factus est. Hanc esse causam dicunt cur myrtea virga a Bonæ Deæ templis exulet. Sed Plutarchum audire lubet de hac superstitione in Quæst. Rom.: Διά τί τῇ γυναικείᾳ θεῷ, ἣν Ἀγαθὴν καλοῦσιν κοσμοῦσαι σηκὸν αἱ γυναῖκες, οἴκοι μυρσίνας οὐκ εἰσφέρουσι, καίτοι πᾶσι φιλοτιμούμεναι χρῆσθαι τοῖς βλαστάνουσι καὶ ἀνθοῦσι· πότερον (ὡς οἱ μυθολογοῦντες ἱστοροῦσι) Φαυλίου μὲν ἦν γυνὴ τοῦ μάντεως, οἴνῳ δὲ χρησαμένη κρύφα, καὶ μὴ λαθοῦσα, ῥάβδοις ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἐκολάσθη μυρσίνης· ὅθεν μυρσίνην μὲν οὐκ εἰσφέρουσιν, οἶνον δὲ αὐτῇ σπένδουσι, γάλα προσαγορεύουσαι; ἢ πολλῶν μὲν ἁγναί, μάλιστα δὲ ἀφροδισίων, τὴν ἱερουργίαν ἐκείνην ἐπιτελοῦσιν· οὐ γὰρ μόνον ἐξοικίζουσι τοὺς ἄνδρας, ἀλλὰ καὶ πᾶν ἄῤῥεν ἐξε-

λαύνουσι τῆς οἰκίας ὅταν τὰ νενομισμένα τῇ θεῷ ποιῶσι. Τὴν οὖν μυρσίνην ὡς ἱερὰν Ἀφροδίτῃ ἀφοσιοῦνται· καὶ γὰρ ἣν νῦν μουρκιὰν Ἀφροδίτην καλοῦσιν, μυρτίαν τὸ παλαιὸν (ὡς ἔοικεν) ὠνόμαζον.

Auctore P. Victore, duas ædes habebat Romæ Bona Dea, alteram in duodecima, alteram in tertia decima urbis regione. Hæc quidem erat in colle Aventini, ea parte quæ *Remuria* dicebatur, ut notavit Alexander Donatus, lib. III, Romæ, cap. 13. Ovidius, Fast. lib. V, vers. 147.

« Quo feror? Augustus mensis mihi carminis hujus
  Jus dabit; interea Diva canenda Bona est.
Est moles nativa : loco res nomina fecit.
  Appellant saxum : pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
  Prima Palatinæ signa dedistis aves.
Templa patres illic, oculos exosa viriles,
  Leniter acclivi constituere jugo.
Dedicat hæc veteris Clausorum nominis heres,
  Virgineo nullum corpore passa virum.
Livia restituit : ne non imitata maritum
  Esset, et ex omni parte secuta virum. »

Illam vero *Subsaxanam* appellabant in radicibus montis Aventini. Cui quum novam ædiculam cum pulvinari atque ara dedicasset virgo Vestalis Licinia, sed populi injussu, rem omnem inritam habuit collegium Pontificum A. U. DCXXX, Q. Cæcilio Metello, T. Quinctio Flaminino Coss. Cicero, Orat. pro domo sua, cap. 53. « Quid, quum Licinia virgo Vestalis, summo loco nata, » sanctissimo sacerdotio prædita, T. Flaminino, Q. Metello Coss. » aram, et ædiculam, et pulvinar sub sacro saxo dedicasset, non eam » rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium Sex. Julius Prætor » retulit? Quum P. Scævola, pontifex maximus, pro collegio res» pondit, quod in loco publico Licinia C. F. injussu populi de» dicasset, sacrum non videri. » Ad hanc *Subsaxanam* pertinere opinatur Brouckhusius, cujus hæc sunt, verba ex grandi marmore apud Gruter. videndo, p. CCXXVIII, 8.

NATALI. AVGVSTAE. MVLSVM. ET. CRVSTVLA.
MVLIERIB. VICANIS
AD. BONAM. DEAM. PEC. N. DEDIMVS.

Saeerdotes Bonæ Deæ, sive antistitæ, ibidem memorantur, pag. CCXXVII, I.

IMP. CAES. DIVI. FIL.
AVGVSTO
TERRA. MARIQ.
VICTORI
SACERDOT. BONAE. DEAE.
ET. COLLEG. VII. VIR. EPVLON
COMMVN. POP. VOTO
RAVENAT
D. D.

Est et hæc voti suscepti solutio mulieris libertinæ, p. LXXXII, I.

BONAE. DEAE
SANCTAE
SACR
VOTO. SVSC.
MERITO. LIBENS
TERENTIA
THALLVSA
FECIT.

Extra has duas ædes, in Urbe erat et sacellum haud procul, inter Ariciam et Bovillas. Cicero, Orat. pro Milone, cap. 31: « Nisi forte » hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium » Bonæ Deæ, quod est in fundo T. Sextii Galli, in primis ho- » nesti et ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam Deam, » quum prælium commisisset, primum illud vulnus acceperit, quo » teterrimam mortem obiret: ut non absolutus judicio illo nefario » videretur, sed ad hanc insignem pœnam reservatus. »

Attamen sacra Bonæ Deæ fiebant in domo ejus consulis, cujus eo mense fasces erant; ibi ara statuebatur, et quicunque vir, etiam imprudens, sacra adspexisset, extemplo luminibus oculorum orbabatur. De mulieribus, non nisi primariæ admittebantur, ut perspicue ostendit Plutarchus in Cæsaris atque in Ciceronis vita. Viros ne nomen quidem Bonæ Deæ scire fas erat, ut expressis verbis testatur Cicero de Harusp. Respons. c. 17. Ita viri his sacris arce-

bantur ut, quum in Italia, actis ante se bobus Geryonis Hercules transiret, et ei petenti aquam, mulier responderit se ei præstare non posse, quod feminarum Deæ dies celebraretur, nec ex eo apparatu viris gustare liceret: exsecratus hoc sacrum, et ipse a suis sacris mulieres arcendas Pinario et Potitio, sacrorum suorum custodibus, præcepit. Perantiquam fuisse hanc superstitionem te docet hæc fabula, amice lector, quod etiam Cicero, loco supra laudato, firmat hoc modo. « Quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc » quod a regibus æquale huic urbi accepimus? Quod autem tam oc» cultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed » etiam errantes, quo non modo improbitas, sed ne imprudentia » quidem possit intrare? Quod quidem sacrificium nemo, nisi » P. Clodius, omni memoria violavit, nemo unquam adiit, nemo » neglexit, nemo vir adspicere non horruit: quod fit per virgines » Vestales, fit pro populo Romano, fit in ea domo quæ est in » imperio, fit incredibili cærimonia, fit ei Deæ, cujus ne nomen » quidem viris scire fas est. »

Attamen paulatim libido hæc sacra invasit; ita ut ibi quasi mercatus stuprorum fieret: ob hanc ipsam causam, quod viri illinc longe arceri putarentur. Ovidius, ipse testis est, rem se, dum viveret, longe aliter habuisse quam Ciceronis ætate, licet pauci intercidérint anni. Cecinit ille, Art. Am. lib. III, vers. 633.

« Quid faciat custos, quum sint tot in urbe theatra?
  Quum spectet junctos illa libenter equos?
Quum sedeat Phariæ sacris operata juvencæ;
  Quoque sui comites ire vetentur, eat?
Quum fuget e templis oculos Bona Diva virorum,
  Præterquam si quos illa venire jubet? »

EXCURSUS QUINTUS.

DE BELLONÆ SACRIS.

AD LIBRI PRIMI ELEGIAM SEXTAM, v. 43:

« .... Sic magna sacerdos. »

Ad hunc versum notavimus : « Fuit autem Bellonæ sacrum inter » superstitiones peregrinas, quæ Romam inter bella civilia in- » vaserant. » Et sane si fide dignus est Hyginus, græcam nomini Bellonæ significationem profert. Bellone, ait, prima acum invenit quæ Græce βελόνη appellatur. Verum autem nomen Deæ græce Ενύω erat; hæc Marti currum ad pugnam et arma parat. Strabo, qui de ea meminit, Comana Cappadociæ huic religioni assignat, et Hirtius, de Bell. Alex. c. 66, de Sacerdotio Bellonæ sic loquitur: « Biduum Mazecæ commoratus, venit Comana, vetustissimum et » sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta reli- » gione colitur, ut sacerdos ejus Deæ majestate, imperio et po- » tentia secundus a rege, consensu gentis illius, habeatur. Id homini » nobilissimo Lycomedi Bithynio adjudicavit, qui, regio Cappado- » cum genere ortus, propter adversam fortunam majorum suorum » mutationemque generis, jure minime dubio, vetustate tamen in- » termisso, sacerdotium sibi repetebat. »

Peregrinam fuisse hanc superstitionem diximus. Strabo testatur insuper Scythicam fuisse. Τά δὲ ἱερά ταῦτα δοκεῖ Ὀρέστης μετὰ τῆς ἀδελφῆς Ἰφιγενείας κομίσαι δεῦρο ἀπὸ τῆς Ταυρικῆς Σκυθιᾶς, τά τῆς Ταυροπόλου Ἀρτέμιδος· ἔνταυθα δὲ καί τὴν πένθιμον κόμην ἀποθέσθαι, ἀφ' ἧς καί τοὔνομα τῇ πόλει. Diana est itaque, si Strabonem sequimur, quæ, Ἐνυοῦς appellationem consecuta, mox Marti addita, bellum cum eo curabat, quod forte inde profectum, quod Scythæ, qua indole erant, hanc Deam bellicosis saltationibus venerabantur. Sunt qui Bellonam Marti aurigam fuisse velint, ut Virgil. Æn. VIII, 703:

« Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello. »

Nunc lubet quædam Lilii Gyraldi transcribere e Syntagm. Hist. Deorum; ibi enim sic de Bellona orditur:

« Bellona, quæ et ab antiquis Duellona, ut duellum bellum, dicebatur, soror fuit et uxor Martis, ut ait Augustinus in Civit. Dei. Suidas uxorem, et Placidus, Lactantius, Claudianus poeta sororem dixerunt. Alii ex Enyo et Jove Martem natum tradunt. Dea hæc fuisse traditur belli, quæ Marti in bella eunti currum et equos pararet, ut a Statio in Theb. canitur. Sane Hyginus in fabulis, Bellonam invenisse acum his verbis prodit : « Bellone prima acum » reperit, quæ græce Belone appellatur, hoc est ἡ βελόνη. »

Enyo vero a Græcis dicta est; idem Statius:

« .... Tu Martia testis Enyo. »

Et Martialis, VI, XXXII, 1, de Othonis morte :

« Quum dubitaret adhuc belli civilis Enyo. »

Idem poeta, Spectacul. XXIV, 3 :

« Nec te decipiat ratibus navalis Enyo. »

Scribit Phurnutus de Enyo, quod eam aliqui matrem, alii filiam, plerique Martis nutricem dixere : in nullo differentes tamen. Nam, inquit, Enyo quasi immittens, vel addens animum et virtutem pugnantibus, id est ἐνιοῦσα. Lycophronis interpres putat Enyo epitheton fuisse Junonis : alibi tamen hanc putat fuisse Gorgonum sororem. Hesiodus etiam in Theogon. Phorcynos et Celo filiam prodidit, Græarum sororem, cæterarumque Phorcynidum; quod et interpres notat. Pausanias ex carmine Homeri putat Enyo una cum Pallade bellis præesse, et bella ipsa curare; dicta quasi ἐνιοῦσα ab immittendo, videlicet furorem roburque pugnantibus: vel quod parum clemens sit. Hinc et *Enyalius* Mars dictus est. Et ut quidam interpretati sunt Ἐνιοῦς υἱόν, id est Enyus filium. De Bellona vero Statius in Achilleide :

« Ecce novam Priamo facibus de puppe levatis
Fert Bellona nurum ..... »

Idem in secundo Thebaidos libro.

« Nec magis ardentes Mavors, hastataque pugnæ
Impulerit Bellona tubas. »

Hujus Deæ sacerdotes Acron in Horatii Commentariis appellat Bellonarios. Hi se ipsi cultris feriebant, et proprio sanguine numen placabant, furentesque vaticinabantur: qua de re Tertullianus Septimius in Apologet. Longius, inquit, excurro, hodie istic Bellona sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus, et suis datus signatis. Lactantius in primo Divin. inst. Alia, ait, sacra virtutis quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant; sectis namque humeris, et utraque manu districtos tenentes gladios currunt, et efferuntur et insaniunt. Tibullus sacra hæc ita describit:

« Hæc ubi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.
Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inepta Deam,
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos Dea magna monet. »

Scribit et alia pleraque Apuleius de his fanaticis.
Juvenalis IV, 124:

« .... Sed ut fanaticus œstro
Percussus, Bellona, tuo divinat, et: ingens
Omen habes, inquit......... »

Horatius in sermon. II, III, 223:

« Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis. »

Lucanus in primo, 565:

« ..... Tum quos sectis Bellona lacertis
Sæva movet cecinere Deos.... »

Fingebatur Dea flagello pugnas concire, eodemque ita canente Lucano in septimo, 568:

« Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum. »

nunc cum face, nunc tuba bellicum canere. Romæ vicus Bellonæ fuit in alta semita, hoc est in sexta urbis regione, ut P. Victor scribit. Bellonæ vero templum in nona regione ante portam Carmentalem fuisse, idem est auctor; et ante templum columella fuit, quæ bellica dicebatur, super quam hastam jaciebant, bellum in-

dicturi, ut scribit Festus. Non procul vero fuit a Circo Maximo. Ovidius in Fastis VI, 207:

« ..... Hinc solet hasta manu belli prænuncia mitti
In regem et gentes, quum placet arma capi. »

Appius Claudius auctor fuisse dicitur hujusce ædis condendæ: quod et Ovidius ostendit, canens Fast. VI, 201:

« Hac sacrata die Thusco Bellona duello
Dicitur, et Latio prospera semper adest.
Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata,
Multum animo vidit, lumine cæcus erat. »

Bellonæ ædem inter Martis et Apollinis quidam statuunt. Nam et extra urbem Vitruvius hujus Deæ ædem construendam præcipit. Dabatur etiam senatus apud ædem Bellonæ, plerumque e bello redeuntibus ducibus et legatis exterarum gentium, quod ex historiis facile colligitur, et inprimis Livianis ut in V. Dec. M. inquit, Pompeius consul Romam rediit, senatusque extemplo ad ædem Bellonæ vocatus. *Ma* quidem Bellona a Carmanis vocabatur, in Antilabano: ut Strabo in libro XII scribit; ut vero Stephanus, a Lydis hoc nomine Ma Rhea nuncupabatur.

Thressa virago ab Ausonio, Epigr. 1, appellata est Enyo, ubi de Gratiano imperatore agitur:

« .... Bella (inquit) horrida Martis
Odrysii Thressæque viraginis arma retractat. »

Quare his cognominibus Mars et Enyo dicti sint, in Marte prodidi, quod scilicet Thraciæ populi semper bellaces fuerint. »

Hucusque Gyraldus. Nos pauca addamus. Nota tibi, amice lector, hic agi de sacerdote femina: quod ideo factum arbitratur Brouckhusius, quod Romæ Bellonarii, itidem ut Galli matris Deum atque Isiaci, tanquam vulgi fæces de mendicabulo contemnerentur, nisi a mulierculis et hominibus superstitiosis. In promptu sunt passim exempla apud poetas. Alibi meliore fuerunt conditione. Romæ contra, hoc etiam pontificium vile fuit, ac contemptibile; certe gladiatores fæcem ac lutum urbis, post missionem

factos fuisse Bellonarios discimus ex Juvenale satira VI, v. 103, ubi de Hippia Fabricii Veientonis senatoris:

> « Qua tamen exarsit forma, qua capta juventa est
> Hippia? quid vidit, propter quod Ludia dici
> Sustinuit? Nam Sergiolus jam radere guttur
> Cœperat, et secto requiem sperare lacerto.
> Prætereá multa in facie deformia, sicut
> Attritus galea, mediisque in naribus ingens
> Gibbus, et acre malum semper stillantis ocelli.
> Sed gladiator erat...... »

Cæterum, ut e Lampridio discimus, Bellonarii non semper revera membra secabant, sed plerumque vulneribus fictitiis inficetum vulgus ad miserationem sui, decipientes adducebant; quod jam Casaubonus subodoratus est in notis ad hunc Lampridii locum. Commodus ibi dicitur studio crudelitatis præcepisse, ut Bellonæ servientes *vere* brachium exsecarent. Notat Casaubonus: observa vocem Lampridii *vere*: nam ex illa discimus, plerumque ficta et simulata fuisse tantum vulnera Bellonariorum.

Quantum interest inter hos viles ac omnium contemptui obnoxios sacerdotes, et illum Cappadociæ de quo Cicero, lib. XV, Epist. 4, ad Fam. « Quumque magnum bellum in Cappadocia con» citaretur, si sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defen» deret, adolescens et equitatu et peditatu et pecunia paratus, et » toto iis qui novari aliquid volebant: perfeci ut e regno ille » discederet, rexque sine tumultu ac sine armis, omni auctoritate » aulæ communita, regnum cum dignitate obtineret.

EXCURSUS SEXTUS.

DE OSIRI.

AD LIBRI PRIMI ELEGIAM SEPTIMAM, V. 27:

« ..... Atque suum pubes miratur Osirim. »

In primo Excursuum, qui de Iside agit, jam promissis satisfecimus, quod ad Osirim attinet, quæcumque coacervantes quæ

doctus Creutzer et alii de hoc summo Ægyptiorum numine docuerint. Restat tamen ut ex egregio ejusdem Creutzeri opere quod inscribitur *Commentationes Herodoteæ* quædam ad verbum transcribamus. Quis enim, post luculentum Symbolices auctorem, auderet ea quæ tam lucide præcepit ille, inverso ordine et male recocta iterum apponere. Malumus te magni viri ipsis verbis frui; Hunc itaque sequere, amice lector; sic enim orditur, §. 15 supradicti operis.

§ XV.

Sacra Philensia.

Hæc hactenus. Revertendum est enim ad sacra, quæ Philensium insulam tam insigniter nobilitarunt. Quæ res post Francogallorum expeditionem magis ad oculorum sensum explicata est. Supersunt enim bonam partem templa, florente Pharaonum imperio ædificata, monumentaque artis religionumque alia haud pauca. Quæ qui penitus cognoscere cupiat, consulat grande opus, quod *Descriptionis Ægypti* nomine insignitum sæpius laudavimus. Habet autem ea insula, ut hoc delibem, qua parte meridiem versus porrigitur, duo fana, juncta inter se columnarum serie, alterum Isidis, alterum Osiridis; a quibus occidentem versus exiguo intervallo distat Typhonium; contra orientalis tractus, fanis illis adjacens, habet Osiridis sepulchrum. Atque in ruderibus, quæ occidentem spectant, repertum est descriptumque anaglyphum, quod, quoniam conjunctissimum nostro cum argumento est, age et ipse paucis verbis delineabo [1]. Pertinet ad mortem Osiridis. Cujus dei cadaver impositum conspicitur dorso crocodili (Typhonis), qui illud asportat in loca juncis obsita ac paludosa (mare significantia). Scenam ambiunt solis orbis, luna dimidiata ac plures stellæ. Nihil igitur in eo anaglypho magnopere desideres, quod ad Osiridis sacra Philensia inprimis facere videretur. Loquitur classicus locus Diodori

[1] Secundum comment. *Lancreti* in l.: *Description de l'Égypte antique*, vol. I, pag. 44. Alia a vett. scriptoribus ac superioribus peregrinatoribus adhibita suppeditare potest unicuique *Zoega* de obelisce. pag. 286.

Siculi I, 22, pag. 25 sq. Wess. Ἔνιοι δέ φασι οὐκ ἐν Μέμφει κεῖσθαι τὰ σώματα τούτων τῶν θεῶν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ὁρῶν τῆς Αἰθιοπίας καὶ τῆς Αἰγύπτου, κατὰ τὴν ἐν τῷ Νείλῳ νῆσον, κειμένην μὲν πρὸς ταῖς καλουμέναις Φίλαις, ἔχουσαν δὲ προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἱεροῦ πεδίου· σημεῖα δὲ τούτου δεικνύουσιν ἐν τῇ νήσῳ ταύτῃ διαμένοντα, τόν τε τάφον τὸν κατεσκευασμένον Ὀσίριδι, κοινῇ τιμώνενον ὑπὸ τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερέων, καὶ τὰς περὶ τοῦτον κειμένας ἑξήκοντα καὶ τριακοσίας χοάς· ταύτας γὰρ καθ' ἑκάστην ἡμέραν γάλακτος πληροῦν τοὺς πρὸς τούτοις ταχθέντας ἱερεῖς, καὶ θρηνεῖν, ἀνακαλουμένους τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα. Διὰ ταύτην δὲ τὴν αἰτίαν καὶ τὴν νῆσον ταύτην ἄβατον εἶναι πλὴν τοῖς ἱερεῦσι. Vides sacram insulam, a nemine attingi solitam nisi a sacerdotibus, illustrem Osiridis tumulo, cui a sacerdotibus quotidie ex pateris trecentis et sexaginta (tot numero, quot priscus veterum populorum numeratus annus est) lac pro inferiis infunderetur cum ritu lugubri ac deorum invocatione. — Non est opus multis verbis. Ubi Osiridem colebant plangebantque sacerdotes, noli dubitare eos et annuum cursum solis et Nili vicissitudines, quæ ei cursui responderent, declarare voluisse. Eam in rem nihil luculentius potest cogitari, quam locus Heliodori in Æthiopicis, qui ita habet lib. IX, cap. XXII, pag. 381, ed. *Coray*. (Ne longum faciam, latinum continuo adscribam.) « At quum festum prædicarent, et Nilum magnis laudibus attollerent, Orum [1] et vitæ auctorem appellantes, et Ægypti totius, superioris quidem servatorem, inferioris vero patrem et opificem, novum limum quotannis advolventem [2], unde et Nilum Græcis appellatum esse, et annuas temporis vicissitudines exponentem, æstivam quidem incremento, autumnalem vero recessu, vernam autem floribus, qui ex ipso nascantur et crocodilorum partu; et nihil aliud esse omnino Nilum, quam annum, hoc et appella-

[1] In antecedentibus Osiridem dixerat Nilum. Qua de re monuit etiam Coraïus in Annott. pag. 313. Huc facit Plutarchus, dicens, quidquid in terra, ventis, aquis, cælo et stellis ordinatum est, æquabile et sanum, id defluxus et imago est Osiridis (Ὀσίριδος ἀποῤῥοὴ καὶ εἰκὼν ἐμφαινομένη. De Isid. et Osirid. pag. 371, pag. 519 Wytt.)

[2] Recte admonet Coraïus loci Herodotei II, 5. Quæ sequuntur etymologica pertinent ad voces νέα et ἰλὺς, dudum explosa a viris orientalium literarum intelligentibus. Vid. Jablonskii voce Ægyptt. pag. 443 seq.

tione confirmante. Literis enim, quæ eo nomine continentur, in calculos [1] distributis, ter centum quinque [2] et sexaginta unitates, quot etiam dies sunt anni, congregabantur, etc. » Quid quæris? pertinent hæc ad rationem arcanæ disciplinæ, quam orientalium terrarum homines a vetustissimo inde ævo ad hunc diem usque arcanis item literarum notis designare solent. Erat illis in oris, si populi sensa explores, Osiris quasi ipse saluber fluvius, cujus vigor, conditus quasi profundo in puteo, statis vicibus et emergebat et rursus desidebat. Ac reapse ibi terrarum φρεατίαν appellabant ipsum nilometrum (vid. Heliodor. l. I.) quasi *putealem* diceres. Quocirca nil mirum habitos esse Nilum et solem, tantopere inter se congruentes suis et accessibus et recessibus, pro uno eodemque deo; quem et mori dicerent et reviviscere, quatenus sol debilitatus ac deficiens, vires deinceps recipit, ac novus quodammodo redit. Unde Horus filius vindicare patrem Osiridem a Typhone, et suo ipse vigore ac virtute virtutem vigoremque patris referre dicitur. Quatenus vero vis divina quasi sepulta latitare videtur in profundo, ac velut in tumulo retineri in suis fontibus mirificis, quibus illius oræ incolæ ἀβύσσων nomen indiderant [3]: hactenus quotidie in occultati dei memoriam non minus lactis inferias profundere poterant sacerdotes Philenses, quam Acanthiorum in urbe quotidie trecenti et sexaginta sacerdotes aquam Nili rite infundebant in dolium pertusum [4]. Has ego causas originesque religionum *Osiridis* tanto anti-

[1] Id est numeros, quorum notæ sunt literæ, *les chiffres :* recte vertente Coraïo ψήφους.

[2] Nimirum additis quinque ἡμέραις ἐπαγομέναις, unde solidus fit qui solstitiali orbe circumagitur annus. Vid. Wessel. ad Diodor. l. l. pag. 26, ibiq. laud. Diodor. I, 13; I, 50. Cæterum adde Wesselingianis Jo. Lydum de mensib. pag. 42, qui item de anno tanquam deo agit, et Sardium nomen item redigit ad numerum anni dierum.

[3] Herodot. II, 28: ὡς δὲ ἄβυσσοί εἰσι αἱ πηγαί, videlicet Nili, prosilientes inter Syenen atque Elephantinen: quam posteriorem h. l. ipsas Philas esse vult Jomard.

[4] Diodori Sicul. I, cap. 97, pag. 108 et 109 Wessel. Ac poterant *fragores* usque et usque ad catarrhactarum scopulos allidentis *Nili*, ut fert nativus

Jam videndum est de ea origine, quam sibi nuper earumdem informavit *Zoega*, inprimis usus testimonio Herodoti. Hujus ego ipsa verba præmittam : — Cheops et Chephren Ægypti reges erant per centum et sex annos II, 128 : Ταῦτα ἓξ τε καὶ ἑκατὸν λογίζονται ἔτεα, ἐν τοῖσι Αἰγυπτίοισί τε πᾶσαν εἶναι κακότητα, καὶ τὰ ἱρὰ χρόνου τοσούτου κατακληϊσθέντα οὐκ ἀνοιχθῆναι. Τούτους ὑπὸ μίσεος οὐ κάρτα θέλουσι Αἰγύπτιοι ὀνομάζειν, ἀλλὰ καὶ τὰς πυραμίδας καλέουσι ποιμένος Φιλιτίωνος (al. Φιλίτιος), ὃς τοῦτον τὸν χρόνον ἔνεμε κτήνεα κατὰ ταῦτα τὰ χωρία. « Istorum regum odio ne nomina quidem memorare volunt; sed pyramides etiam illas (nimirum quas Cheops et Chephren exstruxerant) vocant pastoris Philitionis (Philitidis), qui per id tempus in illis locis pecora sua pavit. »

Jam Zoega de obeliscc. pag. 389 not. 20 ita : « Latet in his obscurus mythus, quem ipse Herodotus primis tantum labiis degustaverat. De Hyksos, qui Ægyptum subjugavere, hic cogitare non possum : nam hi breve tempus Memphin tenuere, neque hujusmodi ædificia sunt pro nomadum ingenio [1]. Num pastor ille Philitis ipse est Osiris Philensis, cui mortuorum domicilia consecrata fuere? Vocabulum Σὼς, quod proprie pastorem denotat, poetis autem atque sacerdotibus regem significabat, eadem ratione, qua Homero dicuntur ποιμένες λαῶν, opportunam occasionem præbere potuit interpretibus pecudes fingendi pascentes in campis, alta arena undique obtectis, nec ullo vegetationis germine dotatis. Forsan reverentia erga sacratissimas moles in causa fuit, ut conditorum nomina tacerent Ægyptii, dum eas appellarent *arces regis Philensis*, nec cuivis proderent, qui veterum regum in illis sepulti jacerent. » Quæ priusquam dijudicamus, interponenda videtur plane diversa sententia adeoque nostri loci interpretatio Jablonskii in Vocc.

τὰς φίλας ἔτι τιμωμένην apud Marinum de vit. Procli, pag. 47, pag. 16 ed. Boissonadii, quem consule, pag. 109. Fabulam attigit etiam a Gaisfordio nuper editus Scholiastes ad Gregor. Naz. carmina, pag. 50.

[1] Contra *Heeren* in *Ideen* II, p. 549 sq. ex hoc ipso rudioris populi ingenio hæc rudia immaniaque, ut dicit, monumenta commode explicari posse arbitratur. Neque tamen idem ibid. nota 6, ubi Zoegæ suspicionem attigit, ei refragari est conatus. Quod miror. Neque congruere videntur ea, quæ posuit idem vir doctus, pag. 594 supr.

Ægyptt. pag. 346, quam nemo, quod sciam, adhuc Herodoto adhibuit. Quocirca integram apponam : « Quum autem Ὑκσὼς, ut explicuimus, significet [1] aut *magum pastorem*, aut *pastorem armatum*, utrumque illud ad *Mosen*, ex sententia Ægyptiorum, potest referri. Erat certe pastor, non tantum ex gente pastorum Israelitarum oriundus, sed qui etiam pastoris provinciam in Midiam apud socerum suum gessit. Dicitur Moses προσδιδασκόμενος εἰς ἡγεμονίαν ποιμενικήν, ap. Clement. Alex. lib. I; Strom. pag. 345 (415). Inprimis legatur Philo de vita Mosis, pag. 612 (90, 91). Eo forte respicit *Herodotus*, narrans, lib. II, cap. 128, imperasse Ægypto reges quosdam improbos, qui templa deorum occluderent, et populum ad exstruendas Pyramides cogerent, atque has ab Ægyptiis vocari Pyramides *Pastoris Philitionis*, ποιμένος Φιλιτίωνος. Annon hic latet [2] pastor *Philistæus* sive *Palæstinus*, i. e. Judæus? Quum vero addat Herodotus imperasse istos reges per CVI annos, videndum, an hoc sit regnum Heracleopolitarum, quod Manetho apud Eusebium p. 15 affirmat durasse C annos. Heracleopolin vero esse Gosen, terram Israelitarum in Ægypto, alibi docui. Habebatur idem Moses pro Mago seu sacerdote Ægyptiorum, et credebatur disciplinis sacris Ægyptiacis ita imbutus, ut cum Magis auderet decertare, ac tot tantaque ederet miracula [3]. »

[1] Josepho nemo nescit Ὑκσὼς esse βασιλεῖς ποιμένες, *Reges pastores*, contra Apion. lib. I, 14, pag. 1039, ed. Colon. pag. 445 ed., Havercamp.

[2] Te Waterus V. C. ad hæc ita : « Ingeniosæ huic conjecturæ minus favet auctoritas plurium codicum, in quibus pro Φιλιτίωνος legitur Φιλίτιος, quod Gronovius probavit, et Wesselingius in textum recepit. » Hæc ille. At quod Gronovius propterea codicis Medicei, deliciarum suarum, lectionem h. l. potiorem habuit, *quia Φιλίτιος ex vero Ægyptium esset* : hac de re contendere noluit Schweighæuserus; sed, codicibus tamen aliis suadentibus, dedit rursus Φιλιτίωνος. Ac certe codex F. (Schellersh.), quem iterum consului, exhibet Φιλιτίωνος. Neque hoc codice Mediceus est præstantior. Quæ quum ita sint, *hactenus* sic satis in salvo videatur conjectura Jablonskii, quatenus de loci lectione quæras.

[3] Constat inter eruditos, a Josepho Manethonis locum de pastoribus (*Hyksos*) ad ipsos *Israelitas* esse relatum. Qua de re nolo repetere quæ post Marshamum, p. 103, Can. Chron. disputarunt alii viri docti, quorum sententias docte et tamen brevissime exhibet in copiosissimo libro : « Anleitung zur ge-

Jam, ut priorem partem conjecturæ, quæ Zoegam auctorem habet, excutiam: equidem in ipsa continuo genitivi forma Φιλίτιος vel Φιλιτίωνος hæreo: nam, quum Græcis hæc verbis narrata sint, causam non video cur, si Philis in insula ortus rex significatus esset, non potius Φιλάτου dixerit Herodotus (Vid. Stephanum Byzant. pag. 739, Berkel. ubi τὸ ἐθνικὸν τῆς νήσου dicit esse Φιλάτης [1] vel Φιλίτου; nam, sive Φιλίτιος malueris sive Φιλιτίωνος, neuter genitivus in has Philas videtur cadere. Deinde quod Homerici sermonis admonet vir doctus: per se patet, eo nihil effici, ubi de *Ægyptiaco* vocabulo quæritur. Quod vero a *sacerdotibus* dicit reges appellatos esse pastores: non inficias ibo, apud alios populos hanc appella-

nauern Kenntniss der allgemeinen Welt-und Volkergeschichte I, 1, p. 296 seqq. » C. D. Beckius V. C. Ac ne ipse prorsus ἀσύμβολος discedam ab hoc loco in rebus Ægyptiis primario (cf. Heerenii Ideen II, pag. 551), admonebo loci Manethonis, qui cum testimoniis ap. Josephum contra Apion. I, §. XIV; p. 1039 sq. Colon. p, 444 sq cum Syncello, p. 61, d. et Eusebio, p. 97, Scaligeri, componi debet. Exstat autem Manethonis locus ap. Scholiastam Platonis ad Timæum, pag. 202, Ruhnken. et emendatior apud Bastium in comment. palæogr. ad Gregor. Corinth. pag. 827, qui eum ex cod. Parisino exhibet: Ἐκ τῶν Μανεθῶ Αἰγυπτιακῶν· ἑπτακαιδεκάτη δυναστεία ποιμένες ἦσαν ἀδελφοὶ Φοίνικες, ξένοι βασιλεῖς, οἳ καὶ Μέμφιν εἷλον, ὧν πρῶτος Σαΐτης ἐβασίλευσεν ἔτη ιθ´, ἀφ' οὗ καὶ ὁ Σαΐτης νομὸς ἐκλήθη — ὁμοῦ ργ´ (id est summa facta annos 103) ὁ δὲ Σαΐτης κ. τ. λ. Convenit autem ille numerus centum et trium annorum optime cum Eusebio in Chron. qui item CIII annos sex regibus Pastorum assignat. Quod apud Heerenium in libr. Ideen II, p. 548, Josephus istis regibus centum et sexaginta dicitur attribuere, subest vitium typographicum, quum apud Josephum summa sit fere 260 annorum. Quod vero Kircherus Dynastiæ decimæ et sextæ, quam Pastorum dicit, assignaverat Menam regem sive Osirin (nam pro uno eodemque habet): hoc nomine dudum reprehensus est a Perizonio in origg. Ægyptiacc. I, v, pag. 80, ed. Leid. Cæterum si recte conjiciunt auctores operis *Description de l'Égypte* Antiqq. vol. II, pag. 244: hodieque exstant anaglyphis delineata hæc bella pastores inter atque Ægyptios, nimirum insculptis tabulis, quæ ornant palatium regium Thebaicum prope *Karnak*.

[1] Sic certe Stephani codices et editiones, posteaquam duarum insularum mentio injecta fuerat, et ejus, quæ in Herodoti libris IV, 178 scribitur Φλὰ (Stephanus legit Φίλα) et vero Ægyptiacæ, quæ numero plurali vocatur Φίλαι. Berkelius autem conjicit Φιλίτης.

tionem invaluisse [1] : sed numquid etiam apud Ægyptios ? Ego alia omnia comperi. Vel Moses loquatur, apud quem in ipsa Ægypto Josephus ad fratres suos ita, ap. LXX, sermocinatur Genes. XLVI, 34, ἐρεῖτε· ἄνδρες κτηνοτρόφοι οἱ παῖδές σου ἐσμὲν..... βδέλυγμα γάρ ἐστι τοῖς Αἰγυπτίοις πᾶς ποιμὴν προβάτων [2]. Ac plane in eamdem sententiam Manetho ap. Joseph. advers. Apion. I, XIV, pag. 1039, G. pag. 444 : de pastoribus illis quos *Hyksos* appellat : καὶ παραδόξως ἐκ τῶν πρὸς τὴν ἀνατολὴν μερῶν ἄνθρωποι τὸ γένος ἄσημοι καταθαρσήσαντες ἐπὶ τὴν χώραν ἀνεστράτευσαν. Igitur et huic Ægyptii illi pastores sunt obscuri homines atque contempti [3]. Quæ qui legat, is minime sibi persuaderi patietur, *sacerdotes* Ægyptios, quibus maxime infesti exstiterant isti pastores bellatores, hoc ipsum pastorum nomen suis regibus imposituros fuisse ? Deinde illud universe concedo, quod Zoega memorat, Ægyptios reverentia prosecutos esse sacratissimas moles pyramidum. Verumtamen illarum pyramidum conditores vehementer exosus erat populus. Lege antecedentia in Herodoto (II, 24) : Cheops templa claudit, a sacrificiis arcet Ægyptios, uno verbo, ad omne facinorum genus processisse dicitur. Tum cunctos ad opus faciendum adigit, quo sibi pyramidem exstruat [4].—

[1] Sic, ut hoc utar, Abydenus apud Eusebium in Chronico, ex cod. Armen. nuper edito a Maio V. C. I, VI, pag. 35, ed. Mediol. princ. de Aloro regum primo ita scribit : « Deque hoc homine id tantum narratur, a Deo nempe providentissimo *pastorem populo suo datum.* »

[2] Ex accuratioris linguæ legibus supervacaneum erat extremum vocabulum, si grammaticis fides, qui distinguunt ποιμένα et αἰπόλον, et illum ovibus reservatum volunt. Scholiast. Theocrit. Idyl. I, 6 ; Ammonius, pag. 9, ed. Valckenaer. Ποιμὴν δὲ, ὁ ἐπὶ τῶν προβάτων. Utut est, illud attende : et κτήνεα et ποιμένα pariter in loco Herodoteo legi atque in LXX interprett.

[3] Atque ab ipso adeo dedecore pastoribus nomen inditum credit *de Rossi* in Etymolog. Ægypt. pag. 280 : Σὼς, ποιμὴν, *pastor* theb. Joann. X, 2, 11, 14, 15, 16, in cod. Nan. Item Σὼς Zach. XIII, 7 et Σοὸς Jobi I, 16, in cod. Borg. Nomen pastores traxisse reor a σὼς, *probrum*, *dedecus.* » Sequitur observatio ad antiquitatem linguæ Copticæ firmandam pertinens. Utut est, recte, me judice, Herodoti locum quem tractamus II, 28, ad ea indicia retulit Heeren. lib. I, pag. 594 supra, unde appareret quo in contemtu pastorum vagorum genus apud Ægyptios veteres fuerit.

Huic famæ congruit locus Aristotelis Politicorum, lib. V, 11 (9), p. 229

Jam quæro quid ab istiusmodi rege profectum *populus divexatus* (λαὸς τριβόμενος ibid. et cap. 128), unquam sacrum potuerit ducere? Potius exosus erat omnia ejus regis et exsecrabatur. Hoc animo quum in Cheopem ac Chephrenem essent sacerdotes, atque infesta sibi nomina oblivione delere vellent (II, 28), quis credat eos odium suum ita dissimulasse, ut iisdem tecte maculam adspergere negligerent? Atque licet universe sit verum atque elegans, si Osiris, tanquam mortuorum dominus, *magni gregis pastor* dicatur: ab Ægyptiorum tamen sermone alienissimum est, pastoris nomen attribui ei deo, quem universa Ægyptus reverenter colebat.

Quæ quum ita sint, ab hac parte multo firmatior judicanda est ratio Jablonskiana; quam tamen, quod reliqua attinet, et ipsam in medio positam relinquo [1].

§ XVII.

Osiris an homo? Reges Ægypti (Sesostris) sacerdotes, heroes, genii, dii deorumque in terris imperium.

Venio ad alterum locum Zoegæ [2], quo Osiridis historiam, qualem quidem sibi informavit, explicatius memorat et exornat. Ibi enim ille hæc posuit: « Ægyptum existimo, quo tempore habitari cœpta, colonos recepisse alios ex Arabia, pastoritio vitæ genere utentes, alios ex Æthiopia, jam terram colere doctos. Illi tenuerunt paludes Pelusiacas et partem Delta, cum Babylone et Heliopoli usque mediam Heptanomida. Æthiopes condidere Thebas et Aby-

Schneideri. Καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἄρχοντας τυραννικόν, ὅπως ἥ τε φυλακὴ τρέφηται, καὶ πρὸς τῷ καθημέραν ὄντες ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν. Παράδειγμα δὲ τούτου αἵ τε πυραμίδες αἱ περὶ Αἴγυπτον κ. τ. λ. De Pyramidibus similia legas apud Josephum Archæolog. II, IX, 1.

[1] Ac similiter in ipso nomine hæreas. Nam si *Philistæum* sive *Palæstinum* editum audierat Herodotus ex ore Ægyptiorum: semper restat ut quæramus cur non Φυλιστίνου, ut est apud Josephum Archæolog. I, p. 14, C. ed. Colon; vel potius, quod Josephus ipse hoc sensu frequentat (v. c. I, 7; II, 6; VI, 1, et passim) Παλαιστινοῦ?—Hanc quidem gentis terræque appellationem ipse usurpat Herodotus. Vide sis II, 104; III, 5; VII, 89.

[2] De Obeliscis, pag. 577 seq.

dum, multaque oppida in Thebaide et Delta : ac per plura sæcula vario successu bella gesserunt cum pastoribus. Ad hanc ætatem pertinere videtur *historia Osiridis, qui, ex Æthiopia advena, quum agrorum cultum novis inventis auxisset, et artes, quibus communis vita juvatur, docuisset Ægyptios, denique a pastorum principe Baby, quem Græci Typhonem appellant, dolo circumventus periit, occasionemque præbuit ritibus lugubribus.* Prævaluere postea Thebæi, Memphimque condidere, et pastoribus eripuere Heliopolin, quin et ipsum Pelusium sive Abarin ; sed quoniam divisi essent in multas civitates nullo fœdere conjunctas, neque inter se concordes, sæpe obnoxii fuere pastorum Deltensium Arabumque invasionibus, interdum et ab his sub jugum missi. Usque dum Sesostris sive Sethos, Amenophis filius, expugnato iterum Pelusio, pastoribusque vel in paludes se recipere, vel in Arabiam Syriamque migrare coactis, arma sua usque in Palæstinam protulit, et in patriam redux, totius gentis caput fuit constitutus. Is omnes Ægypti civitates in unius reipublicæ formam redegit, legesque, quas ab *Hermete, antiquo Ægyptiorum sacerdotum numine, sibi traditas fingebat*, universo populo suffragante, pertulit.—Quo factum ut posteri grato animo memoriam ejus colerent, et res ab eo gestas laudationibus et hymnis ad miraculum usque augerent [1]. »

[1] In nota subjecta nubem testium excitat, qui antiquitus de Sesostride varia tradiderunt; quos rursus excitare non attinet. Ejusdem res attingit idem vir doctus, p. 16, p. 642 seqq. Qui autem apte disposita uno in loco legere cupiat, quæ et veteres et recentiores hoc de rege memorant, is adeat Beckii librum præstantissimum proxime laudatum I, 1, p. 694 sqq. et consulat Heerenii l. Ideen II, pag. 555 sqq. pag. 735 sq., et 746 sqq. Illud ipse attingam, quod ad Herodoti (loco de Sesostride classico II, 102-110); itemque Diodori (I, cap. 53, p. 62 seqq. ubi Σεσόωσις in plurimis codd. dicitur) fidem firmandam facere videtur. Ac primum quod ille cap. 100 init. refert : Μετὰ δὲ τοῦτον κατέλεγον οἱ ἱερέες ἐκ Βύβλου ἄλλων βασιλήων τριηκοσίων τε καὶ τριήκοντα οὐνόματα. Qui locus nunc planius intelligitur, post protracta ex hypogæis Thebaicis volumina papyracea, non solum imaginibus ornata, verum etiam late patentibus scripturæ columnis referta ; unde recte colligit doctissimus *Jomard* in *Description de l'Égypte*, Antiqq. II, p. 358, non modo tesseras sacras, ritus, disciplinarum præcepta sacrarum perscripta fuisse in illis voluminibus, verum etiam historias, et pro *annalibus* magnam

Siccine effectum præstiterit Zoega quod apud poetam est, Lucan. IX, 158:

> Evolvam busto jam numen gentibus Isin,
> Et tectum lino spargam per vulgus Osirin?

Aut refragabimur, et obtendamus hujusmodi orationem, qua in

partem habenda esse ea, quæ papyri illæ habuerunt. Inde proclive est ad intelligendum, cur Diodorus res Sesostridis uberius persecutus sit, brevius Herodotus. Nimirum si statuas e majoribus voluminibus hausta esse ea quæ Diodorus memorando audiverat, e brevioribus autem lectitata quæ apud Herodotum relata sunt; debent proinde utriusque narrationes censeri e fide *annalium sacerdotalium*. Deinde quæ verbis narrata leguntur apud utrumque scriptorem, eadem prorsus, vel ex parte valde similia, anaglypha exhibent in parietibus templorum palatiorumque exsculpta. Quo ea pertinent, quæ in vico *Medina-tabu* visuntur, æneisque tabulis reddita exstant in opere laudato. Ad ea cf. quæ ibidem monentur ab editoribus, vol. II, c. 9, sect. 1. pag. 60 seqq. Quæ tabulæ adhibendæ sunt Herodoto II, c. 102 seqq. De Memnone et Sesostride confusis verbo monuit in seqq. Herodotus, (cap. 106), ejusque confusionis etiam apud Pausaniam mentio fit I, XLII, 2, pag. 161, Fac. Quo in loco Herodotus Sesostridis statuas in Ionia agnoscere videtur editoribus Descriptionis (Vol. laud. p. 94), neque vero utrumque regem pro uno eodemque habere. Cæterum regum Ægyptiorum opes, res gestas, longinquasque expeditiones ex obeliscis Thebaicis Strabo etiam recitat, vel adumbrat potius XVII, p. 816 (1171 Almel.), p. 600 Tzsch. Quod porro Historiæ pater, cap. 110, ἀνδριάντας λιθίνους et triginta et viginti pedum altitudine memorat, Sesostris jussu dedicatos: horum quoque compares, ex lapide Ægyptio rufo (Syenite) factos, nuper eruerunt Franco-Galli, in ipsa Thebaide obvios, colossos, undetriginta pedum altitudine. (Ibid. II, p. 217 sq.) Hæc singula qui recte æstimaverit, is agnoscat oportet, quantopere consulatur fidei multarum Herodoti Diodorique narrationum, quas superior ætas pro meris commentis habuit. Quocirca, quod negare videtur Zoega l. l., ad ipsas Indiæ oras navigasse Sesostrin: ei rei nunc firmamenta ex monumentis Thebaicis parare student Franco-Galli in opere *Déscript. de l'Égypte*; vid. v. c. Vol. II Antiqq. pag. 54 seqq. et tab. 10, nec Heerenius (libr. I, pag. 757) obloquitur, et Beckius l. l. citeriorem Indiam concedit potuisse attingi a Sesostride. Champollio in iis partibus libri *l'Égypte sous les Pharaons* quæ hucusque lucem viderunt, hæc levi tantummodo brachio potuit attingere (vid. I, pag. 55). Idem tamen ex MSS Copticis Indiæ nomen exhibet, quod hac data occasione apponam: *P-hendou, Pihendou*; ibidem

alios viros doctos antehac usus est Perizonius [1]: « Nihil autem facilius quam in tot tantisque fabulis de Osiride et reliquis diis aliquid reperire circumstantiarum, quod ad hunc aut illum regem accommodes? » Minime vero. Quominus tam leviuscule in hac causa defungamur, prohibet et doctrina viri jam sæpius a me dilaudata et Herodoti nostri auctoritas, cujus loci aliquot etiamnum tractandi illustrandique sunt nobis, et vero etiam historia antiquitatis universa, quum fabularis, tum reliqua, quæ cum hac quæstione conjuncta videtur.

Ac continuo applicabo me testimoniis Herodoti ipsius, qui nihil minus novit in Ægypto, quam deos fama vulgi ex hominibus factos. Ille vero ex ore sacerdotum Ægyptiorum ita (II, 142): « Intra undecies mille trecentos et quadraginta annos dixerunt (sacerdotes) deum nullum sub hominis forma exstitisse: atque etiam nec antea, nec postea, in reliquis Ægypti regibus tale quidquam fuisse [2] ».

etiam offendisse sibi videtur voculam geminam Hebræorum Ophir (p. 98). Quod Sesostridi insidias a fratre structas memorat Herodotus (II, 107 sq.) post Larcherum (VIII, 168), eam rem denuo cum Manethone apud Josephum c. Apion. I, XIV, 15, contulit Champollio, suspicans temere universale nomen *Ægypti* Græcos imposuisse ei regi, qui Danai frater ferebatur, cæterum probabilia esse et congrua temporum rationibus, quæ apud Josephum l. I, ex Manethone proferantur, viderique Danaum esse *Armaïn* Manethonis; fratrem autem, quem Græci ignorantia Ægyptum dixerint, *Sesostrin*, quem *Sethosin Ramessem* judicat Champollio. Danai, nemo nescit, filiarumque ter mentionem fieri in Herodoti Ægyptiacis, nimirum: II, 91, 171 et 182. Quod Sesostris leges agrarias similesque attinet, Historiæ patri memoratas II, 109, coll. 164, laudat in consimili argumento, ubi Cretensium Minoisque leges attingit, Sesostrin Ægyptiorumque instituta tanquam antiquissima omnium, Aristoteles in Polit. lib. VII, x, 3 (cap. 9, p. 288 Schneideri). Easdem leges ex Herodoto l. I, cum Sinensium legibus comparavit nuper admodum vir doctus in *the classical Journal* Vol. II, p. 587. De præfecturis (νομοῖς) Diodoro (I, 54, p. 64, ubi consule Wesseling.) refragatur Champollio I, pag. 71, eam distributionem multo antiquiorem esse conjectans.

[1] Ægyptt. Origg. Investigat. pag. 79 ed. Leid.

[2] Quæ continuo subjiciuntur de sole intra hoc temporis spatium quater e suis sedibus egresso, nemo nescit multorum astronomorum ingenia exer-

Proximo capite (II, 143) Hecatæo Milesio, narrat Herodotus, Thebis originem generis sui recensenti illamque ad deum tanquam decimum sextum progenitorem referenti, idem fecisse sacerdotes Jovis, quod sibi (Herodoto) genus suum non recensenti. « In ædem amplam [1], pergit, me introduxerunt ac monstrarunt numeraveruntque statuas ligneas tot quot dixerant [2]..... Numerantes igitur

cuisse. Ego iis, quæ Wesseling. Larcher. Schweighæuserusque ad h. l. excitarunt, nonnihil addam. Etenim e veteribus Hipparchi consimilis dicitur sententia fuisse. Vid. etiam Senecæ epistol. ad Lucil. 71, et ad eum Mureti Scholia, tom. III, pag. 61 Ruhnken. Porro qui nuper admodum sacerdotali Ægyptiorum doctrinæ ipsique astronomiæ ab ipsis excultæ quindecim millium annorum vetustatem asserere studuerunt Franci, eos nemo dubitabit hunc locum præcipue adhibituros fuisse. Vide *Remi Raige* in *Mémoire astronomique* (in *Description de l'Égypte*, lib. I, p. 169 seqq.) Ad scientiam *progredientium certis periodis æquinoctiorum* revocarunt alii in eodem opere Antiqq. vol. II, pag. 257. In ætate Ægyptiorum definienda cautior *Goerres* meus in libro : *Mythengesch. der Asiat.* Welt. p. 415 not. ; qui nec ipse Herodoteum locum neglexit.

[1] Ἐς τὸ μέγαρον — ἐὸν μέγα. Non repetam quæ alibi de hujus vocis varia potestate collecta dedi. Hoc loco illud unum delibabo : in Odyssea A. 269, Scholiastem Palatini cod. μεγάροισι explicare οἴκοις. Hoc loco pro atrio accipiunt Francici editores magni operis *Description de l'Égypte*, Antiqq. II, p. 219; nimirum oculis sibi videntur usurpasse illud ipsum Herodoteum μέγαρον, quandoquidem in vico *Karnak* ab orientali parte Nili hodieque patet amplissimum atrium, in quod ipsum introductum arbitrantur utrumque historicum.

[2] Κολοσσοὺς ξυλίνους. Usus est hoc loco docte, uti consueverat, nunc ipsum literis artibusque ereptus E. Q. *Visconti* ad Museum Pio-Clement. vol. II, p. 32 sq. Francici autem, quos modo dixi, editores magni operis laud. II, p. 169 hos ligneos colossos arbitrantur fuisse sarcophagos ligneos, sive mumiarum arcas, in quibus ipsorum pontificum maximorum cadavera medicata inclusa fuerint. Hæc ille. Quorum conjecturæ, si quis opponere velit quæ proxime leguntur : « Ibi namque quisque summus sacerdos, dum vivit, imaginem suam ponit (ἵστεται) » : ei ego auctor sim, uti reputet Herodotum II, c. 86 de veris mumiis similiter loqui : ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα .....ἱστᾶντες ὀρθὸν πρὸς τοῖχον : deinde viros honoratos in conclavibus ædificiorum memorari sepultos; tum, quam vim in Ægyptiorum vita ac societate habuerit mumiarum spectaculum (vid. II, 78); denique, quam consentaneum sit ejus-

monstrantesque mihi hasce imagines, incipiendo ab eo qui proxime mortuus erat, confirmarunt mihi unumquemque esse filium alterius, patrique successisse; atque ita omnes recensuerunt imagines, donec mihi cunctas monstrassent. » Atque hanc ipsam summorum sacerdotum genealogiam opposuerunt : « non admittentes, quod ille affirmabat, ex deo generari hominem : opposuerunt autem ita, ut dicerent unumquemque horum esse *piromin*, ex *piromi natum*; neque a deo aliquo, aut a semideo, genus illorum repetentes. *Piromis* autem græco sermone significat virum probum honestumque [1]. »

modi religionum sacerdoti, vivum ac spirantem sibi arculam ipsum suam collocare in atrio sublustri. Itaque illam sententiam doctam judico.

[1] Πίρωμις δέ ἐστι καθ' Ἑλλάδα γλῶσσαν καλὸς κἀγαθός. Quod Jablonskius (Prolegg. ad Panth. p. 38 itemque in Vocc. Ægg. p. 204) *Piremei*, id est *facientem quod justum est*, ab Herodoto confusam esse dixerat cum *Piromi*, id est, homine, ei sententiæ obloquitur *Larcher* (vol. II, p. 486 sq.); idque vix fieri potuisse in vocabulo tam vulgato contendit. Recte, si quid video. Ac lucem arbitror afferri posse huic loco Herodoteo, si contuleris hæc Maximi Tyrii Dissert. VIII, v, p. 137 seq. Reisk., quæ insignem Ægyptiarum Græcarumque religionum indolis significationem habent : Ἕλληνες μὲν θύουσι καὶ ἀνθρώποις ἀγαθοῖς, καὶ τιμῶνται αὐτῶν αἱ ἀρεταί, ἀμνημονοῦνται δὲ αἱ συμφοραί· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις ἰσοτιμίαν ἔχει τὸ θεῖον τιμῆς καὶ δακρύων. Ad quæ Marklandus ita : « Vult, opinor, Græcos sacra facere nonnullis, qui boni viri fuerunt, dum inter homines versabantur, nunc autem in τοὺς Κρείττονας transcribuntur : quales Bacchus, Hercules, Castor et Pollux et τοιοῦτοι innumeri. » Jam quis dubitet Hecatæum, qui *deum* adeo fecerat generis sui ἀρχηγέτην, de reliquis deinceps majoribus suis item magnificentius esse locutum, ut eos saltem heroas ac Κρείττονας appellaret. Cujusmodi orationi sacerdotes nihil aptius apponere poterant, quam illud : « Horum pontificum, quorum imagines adspicis, unusquisque fuit *vir quantivis* καλὸς κἀγαθὸς, neque tamen quemquam dicimus ex deo vel ex heroe esse generatum. » Attende extrema : ....οὔτε ἐς θεὸν, οὔτε ἐς ἥρωα ἀνέδησαν αὐτούς. Nihil igitur certius quam Hecatæum, qui deum auctorem sui generis proferret, *heroas* etiam inter Milesios suos majores jactasse, sive Κρείττονας. Quibus salse Thebaici sacerdotes obtrudebant illos suos, quos tantummodo ἀγαθοὺς dicebant. Proclus mscr. in Platonis Cratyl. .... καὶ διὰ τοῦτο δοκεῖ πολλάκις ἐκ τῆς μίξεως αὐτῶν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους γεννᾶσθαι ἥρωας· οἳ ἂν δοκῶσιν ἔχειν τι ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν πλεονέκτημα. Quæ quum ita sint, Herodotum prorsus accurate explicasse dixerim Ægyptiacum illud : Πίρωμις. Cæterum quod *Lacroix*, *Hist. Chrétien*.

Pergit Herodotus sequenti capite (144): « Igitur hos, quorum illæ sunt imagines, fuisse tales adseverant, multumque a diis diversos. Ante homines autem istos, dixerunt deos fuisse, qui in Ægypto regnarent, simulque cum hominibus illam habitarent [1]; et ex his semper unum fuisse qui summum imperium teneret. Postremum horum in Ægypto regnasse *Orum*, *Osiridis* filium, quem Apollinem Græci nominant: hunc finem fecisse Typhonis potentiæ, postremumque ex deorum numero regem fuisse Ægypti [2]. Osiris autem Græcorum sermone Dionysus (sive Bacchus) est. »

des Indes, p. 429, referente Larchero, Samscritanum *Biroumas*, *Brahma* (*Birma*) cum Ægyptiaco *Piromi* comparavit: multos nuper sectatores hæc sententia nacta est. De qua ego pronuntiare nolo.

[1] Οἰκέοντας ἅμα τοῖσι ἀνθρώποισι, reposuit ex codicibus aliquot post Schæferum Schweighæuserus. Ego mihi hoc loco laudo modestiam Wesselingii, qui, quum et ipse faveret ei lectioni, in textu tamen pristinam exhibuit οὐκ ἐόντας, quam Athenagoras in suo cod. legerat, et Med. Schellersh. (F.) aliique tuentur. Nec Valckenaerius diserte potiorem judicat alteram. Simpliciter accepit *Jablonski* Prolegg. Panth. pag. 39, 41, qui cum hominibus *non una vixerint*. Quæ sententia quam difficultatem pariat, commonstravit Wesselingius ad nostr. locum, et, ut hoc ipse etiam addam, nemo nescit, Thebas, Abydum aliasque Ægyptias urbes conditas ferri a diis. Sed quid, si εἶναι ἅμα τοῖσι ἀνθρώποισι h. l. eam potestatem habeat, quam alibi συμμίξαι, ὁμιλεῖν, διαλέγεσθαι? Quæ verba de rebus venereis usurpari docuit Valckenaerius ad Nostri II, 64. Hoc si admittas, hoc ipsum οὐκ ἐόντας ἅμα κ. τ. λ. idem foret atque superius fere: οὐ δεκόμενοι παρ' αὐτοῦ, ἀπὸ Θεοῦ γενέσθαι ἄνθρωπον. Neque vero quisquam hac in sententia exspectaverit μὴ ἐόντας κ. τ. λ. Vide modo Matth. Gramm. gr. §. 600, 1, et inprimis Hermannum ad Vigerum, nr. 458, p. 805. Verumtamen....neque enim quidquam silentio est premendum quod ad rem faciat.....ipsi Herodoto refragatur quodammodo Plutarchus, ita narrans in Symposiacc. VIII procem. p. 718, p. 960 Wyttenb. .....ἀλλ' Αἰγύπτιοι ....ὅλως ἄῤῥενι θεῷ πρὸς γυναῖκα θνητὴν ἀπολείπουσιν ὁμιλίαν· ἀνάπαλιν δὲ οὐκ ἂν οἴονται θνητὸν ἄνδρα θηλείᾳ θεῷ τόκου καὶ κυήσεως ἀρχὴν παρασχεῖν. Græcorum religiones, quæ utramque consuetudinem deorum hominumque statuerent, philosophorum disputationibus locum fecerunt, quum differentiam inter heroes a deo vel a dea genitos explicarent. Vid. v. c. Plotin. p. 7, C. Alia ex Proclo attigi in Meletemm. I, pag. 88.

[2] Cum Herodoto hactenus facit Manetho apud Syncellum, pag. 19, quod et ipse *Osiridem deum* dicit. Contra idem Orum *semideorum* primum vocat.

E quibus locis nunc illud inprimis teneri volo, quod ipsi *sacerdotes* Ægyptiorum utrique historico diserte declararant: se ἥρωας sive *semideos in suis sacris non agnoscere*. Atque hujusmodi testimoniis nixus, Historiæ pater alio loco diserte item in medium profert illud: νομίζουσι δ' ὦν Αἰγύπτιοι οὐδ' ἥρωσι οὐδέν· *porro nec Heroas ullo cultu prosequuntur Ægyptii* [1]. Zoega, qui probe sentiret parum favere hoc testimonium suæ rationi, quam nunc quum maxime judicamus, ita vertit: « Neque heroibus *defunctis* Ægyptii aliquid offerre consueverunt. » In nota autem subjecta hæc posuit: « Quod quidem intelligendum de ætate Herodoti et quæ eam antecesserat, animarum doctrina apud Ægyptios jam exculta et definita: nam tempus fuisse, quo ipsi, ut reliquæ fere gentes, inferiis prosequerentur defunctos, documentum habemus, religionem Osiriacam, quæ hinc maxime orta esse videtur. Qua de re alio loco: » Atqui hic ipse est ejus locus quem de *rege Philensi* supra apposuimus. Herodotus autem l. l. (cap. 50), de mortuis nil loquitur; sed, posteaquam deos posuit, quos Græci vel ex Ægypto vel aliunde adsciverint, simpliciter adjicit illa: « Heroibus nihil sacri cultus tribuunt Ægyptii. »

Namque Herodoto, nativa ingenuaque fide narranti hausta ex ore *Ægyptiorum*, in hujusmodi causa unice auscultabimus. Atque ille superioribus testimoniis (capite 144), continuo (cap. 145) subjicit locum primarium de *triplice ordine* deorum Ægyptiorum, primorum (octo), alterorum (duodecim), tertiorum, in quibus ipse

Ex quo loco corrigendus erat Manetho apud Eusebium in iis quæ nuper admodum ex codice Armen. erutæ sunt, partibus Chronici inediti, p. XXXIX ed. princ. Maii v. c. Mediol. ubi, nr. 17, hæc leguntur: « Ex Manethonis Ægyptiacis monumentis (qui in tres libros opus suum tribuit de Diis Deorumque filiis, de simulacris et mortalibus regibus, qui in Ægypto regnarunt usque ad Darium, Persarum regem). Primus *homo* apud Ægyptios *Vulcanus* fertur, qui et auctor ignis fuit, ex quo sol exstitit, quem *Saturnum* vocabant. Post eum *Osiris*, post *Typhon*, Osiridis frater, etc. Ubi illud: « *Primus homo Vulcanus* » aut interpretis est lapsus, aut ipsius Eusebii. Quod putidum est multis verbis confirmare velle. »

[1] Quo de loco quid alii judicarint, ut Meinersius in libro vernac. histor. crit. omn. religg. I, p. 327, consulto prætermitto. Zoegæ autem verba supra posita leguntur de Obelisc. p. 302.

Osiris-Dionysus est. Quæ omnia ubi in unum colligimus, quid inde efficitur? Nimirum hoc, quod, si quid video, hodieque firmatur doctrina consimili sacerdotali universorum populorum, qui nobis melius innotuerunt, Indorum, Persarum, aliorum; habet nimirum hujusmodi doctrina hoc singulare, ut quæ hodieque ad metaphysicas, physicas, astronomicas inprimis rationes rediguntur, ea sacerdotalis ratio ad historiæ quamdam speciem effingat. Hinc omnia illa quæ hominum memoriam excedunt, dispescuntur per *regna deorum* (βασιλείας θεῶν). Videlicet ponunt prisci sacerdotes copiam quamdam ætatum, quæ per temporum decursum invicem se excipiunt. In principio et quasi in rerum omnium culmine locant vel unum vel plures deos supremi ordinis, et sola mentis cogitatione informandos. Hos sequuntur dii alteri, inferiores illis primis, sed in quibus tamen et ipsis vera vis divinitatis, qua illi primi censentur, insit; et sic porro diversis gradibus procedente ordine. Hoc pacto fit, ut summum numen et tanquam ipsa divinitas propagine sua deorum per labentes ætates sese explicet, et, licet per se summa, ad infima tamen omnia nec minus pertineat. In extremum autem gradum progressa, quadam sui parte implicatur inferiorum rerum vicissitudine, rerum fluxarum gurgite immergitur, et mortalia, adeoque mortem subit, ita tamen, ut, quia nunquam potest a se ipsa discedere, vi perennis suæ divinitatis, reviviscat, et perpetuitatis rerum naturalium auctor sit.

Jam cogita *Osiridem* ad omnia extrema adactum, nec immunem ab ultima sorte mortalium. Mortem oppetit; et tamen deus est, et tamen generatus ex secundi ordinis deo, qui et ipse progenitus fuerat a deo primario, et proinde tamen ipsius germanæ atque illibatæ divinitatis vim omnem in sese continet. Verum hoc ipsum, quod ille nec extrema mortaliaque refugit, reddit eum tertianum deum; verumtamen *deum* et sua ipsum natura parem primariis deorum. *Moritur, componitur, et, in mumiæ formam conditus, fit perenne exemplum omnium earum rerum, quas mortalium quivis subire debet: et tamen nunquam illa in parte descivit a summa dignitate et perennitate summorum deorum.* Hinc egregie Maximus Tyrius l. supra excitato: παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις, ἰσοτιμίαν ἔχει τὸ θεῖον τιμῆς καὶ δακρύων: « Apud Ægyptios vero ex æquo lacrimas deo et honores offerunt. »

Hanc quidem tanquam germanam indolem religionum Ægyptiarum præstat nobis antiquus, antiquæque fidei testis Herodotus. Neque vero propterea vituperandi videntur ii qui, quod *deorum* naturam a mortali sorte immunem esse vellent, *magnos genios* appellari et judicari mallent eos qui tam lugubria perpessi narrantur. Plutarch. de Isid. et Osirid. pag. 300, pag. 477 seq. Wyttenb. Βέλτιον οὖν, οἱ τὰ περὶ τὸν Τύφωνα καὶ Ὄσιριν καὶ Ἶσιν ἱστορούμενα, μήτε θεῶν παθήματα, μήτε ἀνθρώπων, ἀλλὰ δαιμόνων μεγάλων νομίζοντες. « Melius ergo faciunt, qui, quæ de Typhone, Osiride, Iside narrantur, neque deorum neque hominum, sed *magnorum geniorum* eventa sentiunt [1]. » Quibus continuo hæc subjicit : « Quos genios et Plato et Pythagoras et Xenocrates et Chrysippus, priscorum theologorum imitatione, hominibus robustiores exstitisse aiunt, et potentia nostram naturam longe superare, divina autem natura non sincera aut pura præditos, sed quæ, animæ natura corporisque sensu comprehensa, voluptatis esset dolorisque capax, aliisque id genus obnoxia affectibus ac mutationibus, quibus alii magis, alii minus turbantur. »

Quod nec pro *hominibus* haberi vult Osiridem, Isidem consimilesque Plutarchus, id pertinet ad communem opinionem reliquorum Græcorum. Qui quidem variis de causis, quas h. l. explicare longum est, heroum cultum ejusmodi frequentaverant, ut homines bene de patria meritos in deos abiisse opinarentur, eosque adeo divinis honoribus, festis diebus, sacrificiis, precibus impertirent.

[1] Hic rursus tenenda sunt illa Plutarchi quæ supra attigimus, Symposiacc. VIII, procem. pag. 960 Wyttenb., ubi ab Æygptiis, dicit, concedi mari deo cum mortali femina consuetudinem, non item, mari homini cum dea femina. Causam autem subjicit hanc : διὰ τὸ τὰς οὐσίας τῶν θεῶν ἐν ἀέρι καὶ πνεύμασι καὶ τισι θερμότησι καὶ ὑγρότησι τίθεσθαι. « Quia naturæ deorum in aere, ventis, caloribus, humoribusque certis ponuntur. » Easdem *physicas causas* religionum Ægyptii popularium agnoscit idem de Iside et Osiride, p. 366, p. 503, Wytt. quum dicit Ægyptiorum stolistas : ....ἐμφαίνοντες ὅτι γῆς οὐσίαν καὶ ὕδατος τοὺς θεοὺς τούτους (Isin atque Osirin) νομίζουσιν. Quo minus dubitandum, priore loco merito dedisse Wyttenbachium οὐσίας pro θυσίας. Ex utroque autem loco hoc efficitur, ex Plutarchi sententia, *semideorum* quoque originem ex *elementorum* quadam divina vi et efficacitate repetendam esse.

Quocirca supina erat hæc consuetudo, ut Græci, sicubi in Ægypto (ut hic subsistamus) de aliquo deo ea narrari audiissent, ea etiam in ejus honorem fieri vidissent, quæ in mortalem hominem cadere viderentur: hujusmodi deum pro homine venditarent, meritis suis in deorum numerum relato. Qua in re insigniter etiam invaluerat illud, ut quidquid in Ægypto memorabile magnumque atque sacrum esset, illud a suis heroibus Græcanicis profectum dictitarent. Hinc ipsas illas Thebas Ægyptiorum ab Ogyge Thebaque, uxore ejus, conditas, ab iisque Isidis sacra instituta fabulabantur (Vid. Pherecydis et Antiochi locum excitatum in Meletemm. nostris I, p. 94.) Fuit hæc consuetudo ab initio nativum quoddam et insons studium magnum quidvis Græcorum meritis vindicandi, indeque rebus Græcis gloriam afferendi. Postea, sub Alexandri Magni tempora et deinceps, quum ipsi suis religionibus diffidere cœpissent philosophi et rerum publicarum præsides, et deos quosvis factitios dictitarent, Euhemerus aliique nihil antiquius habuerunt quam ut, excogitanda subtili ratione, barbarorum quoque deos, in his Ægyptios maxime, de sua dignitate deturbarent, quum dicerent et ipsos post hominum memoriam in deorum demum numerum esse relatos.

Jam in Ægyptiis religionibus si quæras utra ratio verior sit habenda, nunc non multis verbis opus est demonstrare: veriorem esse *Herodoteam* vel potius *ipsam sacerdotalem Ægyptiacam*. Quæ quidem ita docet: deorum cognitionem cultumque sacrum ab initio ortum esse, vel meditando, quum vates sacerdotesque, supra vulgus sapientes, rerum omnium origines subtili ratione explicarent, et *summum aliquod numen juberent*[1] suspici atque adorari (quam rem

[1] Hanc rationem sequitur Jamblichus de mysteriis Ægyptiorum VIII, III, p. 159, Gal. quum *Deum*, *quatenus* incognitam et occultam idearum vim producat in lucem, ab Ægyptiis appellari dicit *Amun*; *quatenus* summa cum veritate et arte omnia perficiat, *Phtha*; quatenus autem beneficus sit, *Osirin* (ἀγαθῶν δὲ ποιητικὸς ὢν Ὄσιρις κέκληται). Utrum hæc *veterum sacerdotum* doctrina fuerit, nunc quum maxime quærere longum est. — Eamdem beneficam vim voluntatemque alii in *heroibus* quoque inesse docent. Adscribam locum Procli, qui ad universam de diis geniisque ac heroibus doctrinam nonnihil lucis adfert. Ita enim ille in Comment. MS in Platon. Cratyl.: τοῦτο γοῦν τὸ ἡρωϊκὸν γένος τῶν ψυχῶν οὐκ ἀεὶ μὲν ἕπεται θεοῖς, ἄχραντον δέ ἐστι καὶ νοερώτερον παρὰ τὰς ἄλλας ψυχάς· καὶ κάτεισι μὲν ἐπ' εὐεργεσίᾳ τοῦ τῶν ἀνθρώπων

in medio positam relinquo), vel certe, quum ex *cœli sui terræque natura haurirent sensum quemdam naturæ divinæ*, ac populares suos assuefacerent, tanquam deum deamve venerari quidquid potissimum vel sensus feriret, vel vi sua qualibet sese patefaceret, vel eas res, quibus vita humana omnis contineri videretur.

Quæ quum ita sint, ego, uti præcise non negaverim (nam, ut alios taceam, obstat Manethonis auctoritas) *aliquo certe tempore a veteribus Ægyptiis etiam semideos esse rite cultos, quos tamen Thebaici sacerdotes apud Herodotum non agnoverunt: ita negandum ac pernegandum existimo: Osiridis sacra ex hominis Ægyptii adeoque Thebaici Regis præclara morte feralique ritu enata esse.*

βίου, ἅτε μετέχον καὶ τῆς βριθούσης κάτω μοίρας· πολὺ τὸ ἀναγωγὸν καὶ εὐαπάλλακτον τῆς ὕλης ἔχουσι· διὸ καὶ ῥᾳδίως εἰς τὸν νοητὸν ἀποκαθίστανται, καὶ πολλὰς περιόδους ἐκεῖ διάγουσιν, ὥσπερ τὰ ἀλογωδέστερα τῶν ψυχῶν γένη· ἢ οὐδ᾽ ὅλως ἢ δυσχερῶς ἢ ἐπ᾽ ἐλάχιστον εἰς τὸ νοητὸν ἀποκαθίσταται. Ὅτι αὐτὸς μὲν ἕκαστος τῶν θεῶν ἀμιγῶς ἐξήρηται τῶν δευτέρων· δαιμόνων δ᾽ οἱ πρώτιστοι καὶ ὀλιγώτεροι τῆς τοιαύτης ὑπερίδρυνται σχέσεως· πνεύματα δὲ περίγεια καὶ μερικὰ συλλαμβάνουσι [ν] εἴς τινων γενέσεις· οὐχὶ φυσικὴν ποιούμενα πρὸς τὰ θνητὰ μίξιν, ἀλλὰ κινοῦντα τὴν φύσιν καὶ τὴν δύναμιν αὐτῆς τελειοῦντα τὴν γόνιμον καὶ τὴν ἄτρακον ἀναπλοῦντα τῆς γενέσεως καὶ πάντα τὰ ἐμπόδια συστέλλοντα. Οἱ μῦθοι οὖν διὰ τῆς ὁμωνυμίας τὰ πράγματα συγκαλύπτουσι. Τὰ γὰρ τοιαῦτα πνεύματα ὁμώνυμά εἰσι τοῖς ἑαυτῶν σειρᾶς ἀρχικοῖς αἰτίοις θεοῖς· διὸ φασὶν ἢ θεοὶ [θεοὺς] θνηταῖς, ἢ θνητοὺς θεαῖς συμμιγῆναι· εἰ δ᾽ ἠβούλοντο διαῤῥήδην καὶ σαφῶς λέγειν, εἶπον ἂν ὅτι ἡ Ἀφροδίτη καὶ ὁ Ἄρης καὶ ἡ Θέτις καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ, ἕκαστος ἄνωθεν ἀρχόμενος, μέχρι τῶν τελευταίων προάγει τὴν οἰκείαν σειρὰν περιέχουσαν πολλὰς οὐσίας διαφερούσας ἀλλήλων τῇ οὐσίᾳ αὐτῇ, οἷον ἀγγελικὰς, δαιμονικὰς, ἡρωϊκὰς, νυμφικὰς, καὶ τὰς τοιαύτας· αἱ τοίνυν περιπίζειοι τῶν ταξέων τούτων δυνάμεις πολλὴν κοινωνίαν ἐνεστήσαντο πρὸς τὸ ἀνθρώπινον γένος· τὰ γὰρ τέλη τῶν πρώτων συμφύεται ταῖς τῶν δευτέρων ἀρχαῖς· καὶ ταῖς τε ἄλλαις κατὰ φύσιν αὐτῶν διεξαγωγικαῖς συντελοῦσι. .....Συμπαθεῖ δὲ φυσικῶς οὐ μόνον τὸ τοιοῦτον δαιμόνιον γένος τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ ἄλλα γένη ἄλλοις, ὥσπερ αἱ νύμφαι τοῖς δένδροις καὶ ἄλλαι ταῖς πηγαῖς καὶ ἄλλαι ταῖς ἐλάφοις ἢ ὄφεσιν. Vides quomodo Græcorum philosophi, qui negare nollent, quod pernegaverant Ægyptiorum sacerdotes apud Herodotum: *hominem a deo generari*, hujusmodi generationes expedire, et cum sancta illibataque deorum natura conciliare studuerint.

EXCURSUS SEPTIMUS.

DE CERERE ET BACCHO.

AD LIBRI SECUNDI ELEGIAM PRIMAM, v. 3 et 4:

« Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat; et spicis tempora cinge, Ceres. »

Etiam de Cerere et Baccho excursum polliciti sumus. Cave tamen credas nos tanta laborare insania, ut integram de his numinibus fabulam, perexiguis plagulis exponere audeamus : nam hoc illustrissimis viris volumina suppeditavit; si te itaque desiderium tenet, totum cognoscendi Bacchum, *Gail* adi. Is ab Academia Elegantium Literarum meritam obtinuit laudem propter opus Gallice conscriptum : *Recherches sur la nature du culte de Bacchus*. De Cerere vero Symbolica legas atque perlegas; multus enim fuit in hac religione doctissimus Creutzer.

Nos nihil aliud in hoc excursu quærimus quam ut te, amice lector, edoceamus, cur in Tibulli versiculis conjunctim occurrant Ceres et Bacchus; deinde cur huic cornua tribuantur. Brouckhusius lapidem memorat apud Gruterum, p. LXVI, ubi Bacchus cornibus insignis conspicitur. Idem Orpheo δίκερως dicitur; Anacreonti κεραός; Nonno κεραστής, etc., etc.; sed Lilium Gyraldum audire lubet, de Bacchi cornibus docte disserentem hoc modo.

Bugenes, βουγενής Διόνυσος, id est, bove genitus Bacchus, ab Argivis colebatur. Hinc et Græcorum plerique ταυρόμορφον, id est, tauriformem Bacchum, et ταυροκέφαλον, id est tauricipitem, item ταυρωπὸν ab Orpheo effingebant et appellabant, natumque ex Persephone, ut Clemens in Strom. et Eusebius in Præparat. Evang. tradunt, ut alios mittam. Quinimo etiam Taurus dictus est, et illi cornua attributa et cognomen etiam factum ταυρόκερως, id est Tauricornis, ut est apud Nicandri Comm. in Alexipharm.; idem et ab Orpheo in Hymnis βούκερως et δίκερως vocatus; hinc Ovidius Epist. XV, 24:

« Accedant capiti cornua Bacchus eris. »

Ideo autem cornua Baccho sunt attributa, ut Diodorus in quinto tradit, quia primus boves junxerit, et Bacchus idem sit et Osiris. Idem tamen in quarto idcirco cornutum Dionysium prodidit, quod Ammonis filius fuerit, qui arietino capite cum cornibus fuisse dicitur. Sunt qui cornua pro audacia sumant, ut Pharnutus, quod audaces vinum faciat; et ideo cornutus et corniger formatur. Quod in Art. Amat. I, 239, etiam Ovidius innuere videtur; « Tunc pauper cornua sumit. » Scribit Porphyr. in Carm. Horatii super ea verba, *aureo cornu decorum* : cornua, inquit, Libero patri et nonnullis aliis assignant, quoniam scilicet vinolentia protervitatem et contumaciam addere solet, quæ per cornua significatur. Cornua, inquit Festus, Liberi patris simulacro adjiciuntur, quem inventorem vini dicunt, eo quod homines nimio vino truces fiunt; sunt qui et scribant cornua *cristas* vocari, ut in illo Virgil. Æn. XII, 89; *et rubræ cornua cristæ*, hoc est, comæ quas Græci κέρατα nominant, unde et κείρειν tondere dicunt. Et cornua hi volunt cincinnos esse; ac ideo Mosen cornutum Hebræis visum putant, ut etiam Lysimachum regem in ejus numismatibus videmus. Sed Armenios adhuc et Lydos sacerdotes cum hujusmodi cincinnis et capillis Romæ conspeximus. Porro et illud item apud Athenæum et Nicandri in Alexipharm. interpretem nos legimus, veteres cornua bovis pro poculo adhibuisse : et inde factum esse, ut non solum cornua Dionysio finxerit antiquitas, sed etiam taurus ipse diceretur, et tauriformis, id est ταυρόμορφος, in Cyzico coleretur. Verum quod cornibus antiqui biberent, illud etiamnum indicio esse potest quod Græci κεράσαι dicunt miscere, videlicet a cornu vocabulum deflexum est κρατὴς quasi κεράτης a κέρας, quod cornu significat. Nec illud te latere velim, quod est ab Hygino in mythologico poetico literis commendatum; « Crassum quemdam fuisse, qui vinum cum Acheloo flumine in Ætolia miscuit : » unde miscere κεράσαι est dictum, unde fortasse illud Maronis in Georg. lib. I, vs. 9 :

« Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis. »

Illud insuper annotandum duxi, quod flumina etiam plerumque non modo apud pictores, sed et scriptores, cornigera et tauriformia sint solita effingi, ut Padus, Aufidus, Virgilio, Horatio, Ovidio, et aliis.

Hæc de cornibus Bacchi Gyraldus. Papinius Statius, Silv. lib. III, III, vs. 60:

> « Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo
> Fonte Meles, Hermique vadum; quo Lydius intrat
> Bacchus, et aurato reficit sua cornua limo. »

Nunc ad Bacchi et Cereris conjunctionem transeundum. Non mirum sane, si in agrorum lustratione rustici frugum Deam una cum vineæ numine invocabant; et nulla alia explicatione res indigeret; sed illustr. *Gail* demonstrationem altius repetivit:

« Bacchus figurait dans les mystères d'Éleusis : on lui consacrait le cinquième et dernier jour des Éleusinies. Il était appelé *Iacchus*, assesseur de Cérès, πάρεδρος [1], et se trouve représenté dans la collection d'Hamilton. Cet Iacchus est appelé par Strabon τῆς Δήμητρος δαίμονα, et reçoit de Nonnus l'épithète d'Éleusinien. C'était en son honneur, comme le remarque M. de Sainte-Croix, qu'on chantait l'hymne mystique *Iacchus*.

On devait, dans ces mêmes mystères, faire de Bacchus le symbole des mêmes explications cosmogoniques, dont le nom d'Osiris était le symbole en Egypte. Ce Bacchus ancien passait, en Grèce, pour être fils de Jupiter et de Cérès, tandis qu'en Egypte Osiris était époux et frère d'Isis; mais les interprétations allégoriques étaient au fond les mêmes; les mystères d'Éleusis, et sans doute aussi ceux des anthestéries, possédèrent seuls le dépôt de la sagesse égyptienne, tandis que le nouveau Bacchus, passant pour être né à Thèbes, et livré au vulgaire, quoiqu'étant l'Osiris défiguré, parut être une autre divinité. Enfin il fut rappelé à sa véritable origine, dès que la doctrine des mystères commença à transpirer et à se répandre dans la Grèce.

Aristophanes [2] dit que, dans l'initiation bachique, les mystes, revêtus d'une nébride, ou peau de faon, offraient à Bacchus les prémices des fruits. Ceci prouve que les Grecs, après avoir appris qu'on rapprochait Bacchus et Cérès dans les mystères, ne comprirent pas bien qu'on les unissait là par certains rapports allégoriques, tirés de l'astronomie et de la physique, et non par les attri-

[1] Pindar. Isthm. Od. VII, v. 3.
[2] Ran. v. 1242.

buts extérieurs de Cérès ; ils crurent que Bacchus devait dès lors partager aussi ces attributs extérieurs ; et ils auraient dû, par la même raison, mettre également la vigne sous la protection de Cérès. C'est une confusion qu'il est facile de concevoir, et qui devait naître d'un pareil système religieux. »

Paulo infra idem doctus *Gail :*

« On trouve souvent Bacchus porté dans les bras de Cérès. Suidas dit : « Ἴακχος, Διόνυσος ἐπὶ τῷ μάστῳ. » Iacchus, Bacchus ad mammam. Dans Lucrèce on lit : « Mammosa Ceres est ipsa ab Iaccho. » *Cérès portant des mammelles est ainsi représentée à cause de Bacchus qu'elle allaita.* Dans Orphée, cité par saint Clément d'Alexandrie, on lit : Παῖς δ' ἦσαν Ἴακχος. »

On sait d'ailleurs que Bacchus se trouve fréquemment sur les médailles avec Cérès et Proserpine ; « Taurum Bacchum, a Jove et Proserpina, cum parentibus in eodem nummo conjunctum, dit *Eckhel* [1]. »

Alio in loco *Gail* hisce addit :

« Il paraît, que si Bacchus avait figuré dans les mystères de Cérès, Cérès figura aussi dans les mystères récens de Bacchus. Un vase d'agate du cabinet du Roi [2], qui était autrefois dans le cabinet de Saint-Denis, présente sur l'un des côtés une figure portant deux flambeaux, qui doit être Cérès elle-même. Cette déesse est représentée aussi avec deux flambeaux sur un vase du cabinet du duc de Brunswick [3]. Ce vase fait visiblement partie des objets bachiques qui nous restent, et représente Cérès : donc ces deux divinités étaient unies dans les mystères Orphiques. »

Idem denique luculentus auctor rem etiam astronomicis rationibus perficit his verbis :

« Malgré l'idée défavorable que l'auteur de l'*Origine des cultes* fait concevoir en général de ses interprétations systématiques, malgré la réprobation dont plusieurs de ses opinions sont frappées, opinions que nous faisons profession de ne pas partager, nous faisons cas cependant de son plan, qui est de réduire les traditions

[1] Doct. Num. t. I, p. 138.

[2] Ce vase se trouve dans Montfaucon, t. I, 2e part. pl. 167.

[3] Montfaucon, ant. expl. t. II, 2e partie, 78.

sacrées des Égyptiens et des Grecs à une explication astronomique. Nous ne voyons pas, comme lui, tout dans le zodiaque; mais la marche du soleil passant successivement devant les diverses constellations, les observations faites sur les différentes stations de cet astre, et sur les rapports des astres entr'eux, tout ce système est pour lui la clef de plusieurs dogmes, couverts autrement du voile de l'absurdité. Les écrivains des derniers âges de l'antiquité païenne, et plusieurs Pères de l'église ont déjà ouvert la porte à ce genre d'interprétation.

Bacchus était fils de Jupiter et de Proserpine; selon M. Dupuis, Proserpine ou Cérès est cette étoile appelée *Ariadne* ou *Libera*, voisine dans le ciel des constellations du Scorpion, de la Balance et du Serpent. Jupiter est le Soleil. L'antiquité racontait que ce dieu, après s'être uni à Proserpine sous la forme d'un serpent, avait donné naissance à Bacchus-Taureau. Ce Jupiter métamorphosé en serpent, c'est le soleil passant à nos yeux devant les constellations d'Ariadne et du Serpent. Bacchus-Taureau est la constellation du Taureau qui paraissait dans l'automne, au moment où le soleil était en conjonction avec le Serpent dans la partie opposée du ciel. C'est l'allusion, dont nous parlons ailleurs, du taureau engendré par le serpent, et du serpent engendré par le taureau; parce qu'une constellation qui descend sous l'horizon fait lever la constellation opposée au-dessus de l'horizon dans la partie inverse.

Rappelons encore qu'on a confondu Cérès, Proserpine, Diane, Hécate : elles sont toutes la même étoile qui couronnait la lune dans son passage aux signes inférieurs, et qui s'unissait au soleil, lorsqu'en conjonction avec le Serpent, cet astre descendait aux régions australes, et devenait Sérapis, ou Pluton, dieu des enfers. »

EXCURSUS OCTAVUS.

DE GENIO.

AD LIBRI SECUNDI ELEGIAM SECUNDAM, v. 5:

« Ipse suos genius adsit visurus honores. »

VARRO, Frag. lib. XVI *Rerum Divinarum*, ait : « Genium esse uniuscujusque animum rationalem; et ideo esse singulos singulorum; talem autem mundi animum deum esse... Genius deus est qui præpositus est, ac vim habet omnium rerum gerendarum. » Servius ad Virgil. Georg. I, 302 adscripsit : « Genium dicebant antiqui naturalem deum uniuscujusque loci, vel rei, vel hominis. »

Illustriss. Creutzer pluribus in locis de Geniis egit ingeniose et docte. Notat primum Etruscorum de illis doctrinam e ritibus Samothraciæ in Græciam pariter atque in Etruriam profectam esse. Hominis cujuscumque indoles, ac vitæ ratio prœ ejus Genio, veterum opinione, habebatur. Genius vitæ comes erat ὀπαδὸς, συνοπαδός[1]. Idem, quoad mentem ad majora et sanctiora perducit, μυςαγωγὸς τοῦ βίου dicebatur. Menander apud Ammianum Marcellinum, lib. XXI, cap. 14, ait :

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ
Ἅπαντός ἐςι μυςαγωγὸς τοῦ βίου.

Nonnunquam Genius *Naturæ humanæ deus* vocatus est, ut apud Horat. lib. II, Epist. II, vers. 188, ubi astrum temperat uniuscujusque mortalium. Hinc cura Genii placandi inter præcipuas erat. Sunt qui cuique hominum peculiarem tribuant Genium, qui nunc serenus, nunc severus, modo albus, modo ater sit. Sunt rursus qui binos eodem in homine esse velint, quæ doctrina, ut ex vestigiis scriptorum deperditorum et monumentis Etruriæ quibusdam constat, perantiqua fuit. Hi Genii inter se continuo pugnabant, quum uterque vitam hominis regere conaretur. Verum apud Græcos

[1] Jambl. Vit. Pythag. c. II, pag. 5.

minus frequenter occurrunt indicia hujus doctrinæ de duplici Genio. Callimachus de Genio insequentis diei sic loquitur: Δαίμονα τίς εὖ οἶδε τὸν αὔριον [1], et Horatius, Epist. II, 1, 144, *Genium* nominat *memorem brevis ævi.* Hinc factum, ut confunderentur humanæ vitæ et Genii imagines, ita ut latini sermonis consuetudine dicerent Romani *indulgere Genio, defraudare Genium:* prius usurpatur, quum naturæ obsequimur, alterum vero quum minus. Quo major itaque hic vitæ præses, quo propitior, eo melior et beatior fit homo cujus cura illi demandata est. At ubi potens ac constans Genius eximium virum virtutibusque ornatum ad maximum gloriæ ac decoris culmen perduxerat, tunc cives illum venerabantur, et ipse vir δαιμόνιος dicebatur, ut Euthymus ille Locrorum. Similes inter deos relationes apud Ægypti Ptolemæos occurrunt: filius plerumque patrem a quo imperium acceperat numinis instar invocabat. Ut quisque eximia indole præditus erat, ita illius Genius venerationi omnium oblatus. Romæ ancillæ ac servi per domini Genium, perque dominæ Junonem jurare solebant. Eadem causa fuit cur parentes a liberis domestico post mortem cultu donarentur. Hinc quoque Cæsar ab Augusto Divus dictus est [2]. Mox populus romanus omnis consuevit per Augusti Genium jurare, itemque per reliquorum imperatorum Genios. Hæc sunt quæ *Apotheosin* imperatorum creavere, quum antea nullus nisi Romulus Olympum intrasset. Græci postea initium huic superstitioni fecere, quippe qui ducibus romanis aras, quinadeo templa dicarent, ipsique Romæ, quam tanquam personam inducebant. Modo accidit ut Genius Augusti, Romæque Fortuna, una communiter habitarent, donec tandem imperatores omnino inter deos numerarentur, cui rei non parum subsidii adtulit appellatio *Patris patriæ,* et ritus domesticus ille, secundum quem parentes consecrari solebant. Wieland luculentus auctor ad Horatii Epistolas originem Apotheoseos optime explicavit, quam tu quoque, amice lector, consulere poteris: nam in Horatii operibus, mox prodituris in lucem, etiam illius lucubrationibus utemur; et ego, qui nuper Vossii notas Virgilio submisi, mox Wielandi animadversiones Horatio addam, ita ut cuique Romanorum

[1] Epigr. nº XV, pag. 288, Ernesti.

[2] Vide Casaubon. ad Sueton. Cæs. c. 88.

illustris Germanorum poeta in posterum comes sit. Clariss. Creutzer multa insuper docet quæ apud ipsum legere jucundius erit. Nos alia quædam subjiciamus; et primum quidem Censorini locum transcribamus. Ait enim : « Genius est deus, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit. Hic sive quod, ut genamur curat, sive quod una genitur nobiscum; sive etiam quod nos genitos suscipit ac tuetur; certe a Genendo Genius appellatur. » Eumdem esse Genium et Larem, multi veteres memoriæ prodiderunt : in queis etiam Granius Flaccus in libro, quem ad Cæsarem de Indigitamentis scriptum reliquit. Hunc in nos maximam, quin immo omnem habere potestatem creditum est. Nonnulli binos Genios, in iis duntaxat domibus quæ essent meritæ, colendos putaverunt. Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino Genium dicit adpositum : quam rem apud Lucilium in libro satyrarum nono licet cognoscere. Genio igitur potissimum per omnem ætatem quotannis sacrificamus. Quamquam non solum hic, sed et alii sunt præterea dii complures, hominum vitam pro sua quippe portione adminiculantes : quos volentem cognoscere Indigitamentorum libri satis edocebunt; sed omnes hi semel in unoquoque homine numinum suorum effectum repræsentant; quo circa non per omne vitæ spatium novis religionibus arcessuntur. Genius autem ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat; sed ab utero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitatur. Idem Censorinus ait, cap. 2 : Hic forsitan quis quærat quid causæ sit ut merum fundendum Genio, non hostiam faciendam putaverit Persius. Quod scilicet, ut Varro testatur, in eo libro cui titulus est *Atticus*, et est de numeris, « id moris institutique majores nostri tenuerunt, ut, quum die natali munus annale Genio solverent, manum a cæde ac sanguine abstinerent, ne die quo ipsi lucem accepissent, aliis demerent, » illud etiam in hoc die observandum, quod Genio factum neminem oportet ante gustare, quam eum qui fecerit.

Horatius, lib. III, od. 17, canit: Cras *Genium mero curabis et porco bimestri;* qui locus contra Censorini auctoritatem facere videtur; sed doctissimus *Dacier* in notis existimat non hic de Genio agi natali, et locum aliorsum trahendum esse, quod mea sententia facile fieri potest. Fortasse hic consueto apud Romanos sermonis usu locutus est, neque Genii cultum respexit. Superest ut narra-

tiunculam addamus e Plutarcho depromptam. De Bruto agitur ad Philippos dimicaturo, qui : « συλλογιζόμενός τι καὶ σκοπῶν, πρὸς ἑαυτὸν, ἔδοξεν αἴσθεσθαί τινος εἰσιόντος· ἀποβλέψας δὲ πρὸς τὴν εἴσοδον, ὁρᾷ δεινὴν καὶ ἀλλόκοτον ὄψιν ἐκφύλου σώματος καὶ φοβεροῦ, σιωπῇ παρεστῶτος αὐτῷ· τολμήσας δὲ ἐρέσθαι, Τίς ποτ' ὢν, εἶπεν, ἀνθρώπων ἢ θεῶν, ἢ τι βουλόμενος ἥκεις ὡς ἡμᾶς; ὑποφθέγγεται δὴ αὐτῷ τὸ φάσμα· Ὁ σὸς, ὦ Βροῦτε, δαίμων κακός· ὄψει δέ με περὶ Φιλίππους· καὶ ὁ Βροῦτος, οὐ διαταραχθεὶς, Ὄψομαι, εἶπεν. Ἀφανισθέντος δ' αὐτοῦ, τοὺς παῖδας ἐκάλει· μήτε ἀκοῦσαί τινα φωνὴν, μήτε ἰδεῖν ὄψιν φασκόντων, κ. τ. λ. »

EXCURSUS NONUS.

DE SIBYLLIS.

AD LIBRI SECUNDI ELEGIAM QUINTAM, V. 19 :

« Hæc dedit Æneæ sortes...... »

EXCURSUM de Sibylla promisimus in notula quæ huic versui submittitur in nostra editione, et nunc promissa persolvenda sunt, etsi ex ære alieno tibi satisfacturus sim. Nihil, amice lector, apud veteres scriptores, nihil apud recentiores inveni, quod te melius edocere possit, quodque lubentius legas, quam illam de Sibyllis disquisitionem, quæ Lactantii est. Habeas itaque illam atque benigne accipias; præstat enim eximii scriptoris opus iterum edere, quum ipse nihil in medium proferre potis sis, nisi panniculos hinc et illinc desumptos et male consutos.

Audi nunc : sic orditur magnus vir; « M. Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, in libris Rerum Divinarum, quos ad Cæsarem, pontificem maximum, scripsit, quum de Quindecimviris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllæ; sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminæ vates Sibyllæ sunt a veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel a consiliis deorum denuntiandis: σιοὺς enim deos non θεοὺς, et consilium non βουλὴν sed βυλὴν ap-

pellabant, Æolico genere sermonis. Itaque Sibyllam dictam esse quasi σιοῦ βουλὴν. Cæterum Sibyllas decem numero fuisse; easque omnes enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitarunt. Primam fuisse de Persis, cujus mentionem fecit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secundam Libycam, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo. Tertiam Delphicam, de qua Chrysippus loquitur in eo libro quem de divinatione composuit. Quartam Cumæam in Italia, quam Nævius in libris Belli Punici, Piso in Annalibus nominat. Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse civem; eamque Graiis Ilium petentibus fuisse vaticinatam, et perituram esse Trojam et Homerum mendacia scripturum. Sextam Samiam, de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septimam Cumanam, nomine Amalthæam, quæ ab aliis Demophile vel Herophile nominatur; eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium priscum, ac pro eis trecentos Philippeos postulasse; regemque, aspernatum pretii magnitudinem, derisisse mulieris insaniam; illam in conspectu regis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretium postulasse; Tarquinium multo magis mulierem insanire putasse. Quæ denuo, tribus aliis exustis, quum in eodem pretio perseveraret, motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse; quorum postea numerus sit auctus, Capitolio refecto; quod ex omnibus civitatibus et Italicis, et Græcis, et præcipue Erythræis coacti, collatique sunt Romam, cujuscunque Sibyllæ nomine fuerunt. Octavam Hellesponticam in agro Trojano natam, vico Marpesso circa oppidum Gargethium; quam scribit Heraclides Ponticus Solonis et Cyri fuisse temporibus. Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ. Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut dea, juxta ripas amnis Anienis: cujus in gurgite simulachrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum; cujus sacra senatus in Capitolium transtulerit. Earum omnium Sibyllarum carmina et feruntur et habentur præterquam Cumææ, cujus libri a Romanis occuluntur; nec eos ab ullo, nisi a Quindecimviris inspici fas est. Et sunt singularum singuli libri: qui, quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse creduntur, suntque confusi: nec discerni, ac suum cuique assignari potest, nisi Erythrææ, quæ et nomen suum verum carmini inseruit, et Erythræam se nominatam

fuisse locuta est, quum esset orta Babylone; sed et nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum. Omnes igitur hæ Sibyllæ unum deum prædicant, maxime tamen Erythræa, quæ celebrior inter cæteras ac nobilior habetur. Siquidem Fenestella diligentissimus scriptor de XV viris dicens, ait: restituto Capitolio retulisse ad senatum C. Curionem consulem, ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent; itaque missos esse P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium; qui descriptos a privatis versus circa mille Romam deportarunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronem. In iis ergo versibus quos legati Romam attulerunt, de uno deo hæc sunt testimonia :

> Εἷς θεὸς, ὃς μόνος ἐστιν, ὑπερμεγέθης, ἀγένητος

hunc esse solum deum, summum, qui cælum fecerit, luminibusque distinxerit :

> Ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν
> Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
> Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου.

Qui, quoniam solus sit ædificator mundi et artifex rerum, vel quibus constat, vel quæ in eo sunt, solum coli oportere testatur :

> Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγήτορα κόσμου.....
> Ὃς μόνος εἰς αἰῶνα καὶ ἐξ αἰῶνος ἔτυχεν.

Item alia Sibylla, quæcumque est, quum perferre se ad homines Dei vocem diceret, ait :

> Εἷς μόνος ἐστὶ θεὸς, καὶ οὐκ ἔστιν θεὸς ἄλλος.

Exsequerer nunc testimonia cæterarum, nisi et hæc sufficerent, et illa opportunioribus locis reservarem.

Hæc Lactantius, lib. I, cap. 6, qui utrum Sibyllæ sapientiam ultra modum laudaverit necne, dijudicent peritiores.

EXCURSUS DECIMUS ET ULTIMUS.

DE DIIS FATIDICIS ATQUE ORACULIS.

AD LIBRI TERTII ELEGIAM QUARTAM, v. 45:

« Sed proles Semelæ Bacchus, doctæque sorores,
Dicere non norunt quid ferat hora sequens. »

Ut notavimus, Brouckhusius existimavit ex hisce Albii verbis adparere solos deos fatidicos eventura præscivisse; non etiam alios, quamvis primi ordinis ac loci. Nos vero, quum in notis chartæ parcendum esset, non omnia quod de hac re dixit illustris interpres referre potuimus, neque quod de oraculis addendum esset, memorare; et te idcirco ad excursum remisimus qui nunc adest. Primum itaque Brouckhusium sequamur, deinde Creutzerum, quibus ducibus errare difficillimum. Brouckhusius huic disticho,

« At mihi fatorum leges, ævique futuri
Eventura pater posse videre dedit. »

subjicit : locus notabilis. Non enim frustra dicit ab Jove patre factum se vatem fuisse; nam neque ipse Apollo vaticinabatur, nisi quæ ei Jupiter prædiceret. Atque hinc Jovis patris propheta vocabatur. Pulchre Eustathius apud Macrobium, lib. V Saturn. cap. 22, exponit Maronis verba ex Æn. lib. III, vs. 251.

« Neque unde translatum sit quæritur :

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.

« In talibus locis Grammatici excusantes imperitiam suam, inven-
» tiones has ingenio magis quam doctrinæ Maronis assignant : nec
» dicunt eum ab aliis mutuatum, ne nominare cogantur auctores.
» Sed affirmo doctissimum vatem etiam in hoc Æschylum, eminen-

» tissimum tragœdiarum scriptorem, secutum ; qui in fabula, quæ » latina lingua *sacerdotes* inscribitur, sic ait :

> Στέλλειν ὅπως τάχιστα· ταῦτα γὰρ πατὴρ
> Ζεὺς ἐγκαθίει Λοξίᾳ θεσπίσματα.

» Et alibi :

> Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός.

» Ecquid clarum factum est, inde sumsisse Virgilium, quod Apollo » ea vaticinetur, quæ sibi Jupiter fatur ? » *Servius ad eumdem poetæ locum :* « Tribuit (Celæno) auctoritatem, ne possint a se dicta, » quasi ab irata conficta, contemni. Simul notandum Apollinem » quæ dicit ab Jove cognoscere. » Sane omnium vaticiniorum fons atque origo Jupiter habebatur. Quocirca minus recte Lucanus Phœbum hausto Delphici hiatus spiritu, vatem factum prodidit, lib. V, Pharsal. vs. 77.

> « Tu quoque vix summam deductus ab æquore rupem
> Extuleras, unoque jugo, Parnasse, latebas ;
> Ultor ibi expulsæ, premerent quum viscera partus,
> Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona sagittis
> Explicuit, quum regna Themis tripodasque teneret.
> Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus
> Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
> Exhalare solum, sacris se condidit antris,
> Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo. »

Ut ut est, constat e locis a Brouckhusio laudatis, Apollinem nihil præscivisse, nisi quæ ei Jupiter suppeditaret. Num etiam omnibus diis Pater hanc vim communicabat, an paucis tantum et delectis? Tibullus Bacchum et doctas sorores a vaticinandi facultate omnino prohibere videtur. Apollo enim ipsum sic alloquitur :

> « Salve, cura deum : casto nam rite poetæ
> Phœbusque, et Bacchus Pieridesque favent.
> Sed proles Semelæ Bacchus, doctæque sorores,
> Dicere non norunt quid ferat hora sequens.
> At mihi fatorum leges, ævique futuri
> Eventura pater posse videre dedit. »

Facultatem hic sibi soli reservat, qua, si iisdem verbis fidem facias, carerent et Bacchus et Musæ.

Apparet tamen innumeris ex locis, præter Apollinis oracula, alia insuper fuisse. Macrobius, lib. I Saturn. cap. 18: « Hæc quæ de » Apolline diximus, possunt etiam de Libero patre dicta existimari: » nam Aristoteles, qui Theologomena scripsit, Apollinem et Libe- » rum patrem unum eumdemque deum esse quum multis argumentis » asseverat, tum etiam apud Ligyreos ait in Thracia esse adytum Li- » bero consecratum, ex quo redduntur oracula. Sed in hoc adyto » vaticinaturi, plurimo mero sumto, uti apud Clarium aqua potata, » effantur oracula. » Brouckhusius inde merito miratur, cur Tibullus ab honore vaticinandi secludat Bacchum, qui certe cum Libero patre unus est. Præterea oraculum Bacchi in Thracia commemorat Pausanias, lib. IX; nec tamen Bacchum cum Apolline confundit. Idem Pausanias in Phocicis, vide lib. X, refert apud Amphycleam esse adytum, in quo arcana Libero patri sacra fiant: eo ducere certam quamdam semitam; signum vero in conspectu esse nullum. Narrare autem ipsos cives, et futura sibi deo auctore prædici, et contra morbos in promptu esse remedia: quod et in somnis quum ipsi tum finitimi ab eo de morborum medelis moneantur; et sacerdos divino afflatu instinctus de futuris consulentes certiores faciat. Apud Papinium baccha est vaticinatrix, lib. IX, Theb. vers. 378, quam insaniam ne putes esse solemnem baccharum tumultum obstat ipsa vates, vers. 396:

« Eloquar, en urges, alium tibi, Bacche, furorem
Juravi, etc. »

Deinde infit poeta:

«.... Sic fata gelatis
Vultibus, et Baccho jam demigrante, quievit. »

Neque aliter, opinor, (Brouckhusius est qui loquitur) intelligi debet Horatius in illa admirabili oda quæ est nona decima libri secundi:

« Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem; credite posteri;
Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas. »

Pace illustris Brouckhusii hæc aliorsum mihi spectare videntur. Sed, quod ad rem præcipuam attinet, demonstratio absoluta est. Memo-

rantur passim vaticinia Bacchi, memorantur etiam Æsculapii. Quinadeo apud ipsum Tibullum Bellona vaticinatur ore sacerdotis, lib. I, Eleg. VI, vers. 43 seq.

> « Sic fieri jubet ipse Deus : sic magna sacerdos
> Est mihi divino vaticinata sono. »

Et vers. 50:

> « Et canit eventus, quos Dea magna monet. »

Certo si veteres tam parce deis vaticinandi facultatem impertiti essent, nullam Bellonæ tribuissent; quippe quæ Romæ peregrina esset, neque primi ordinis. Patet itaque Apollinem non solum fuisse fatidicum, sed fuit certe *veridicus* κατ' ἐξοχὴν, ut ait Seneca Agamem. act. II, vs. 253:

> « Effusa circa pellicum quanto venit
> Turba apparatu! sola sed turba eminet
> Tenetque regem famula veridici Dei. »

Non itaque Tibulli versus ad verbum intelligendi sunt, atque unice statuendum Apollinem omnia quæcumque melius ac certius præscivisse, reliquos vero deos hujus facultatis nonnunquam participes fuisse, neque tamen omni tempore omnes. Venus enim in Æneid. lib. I, 228, et seq. futuri prorsus ignara Jovi supplicat, et apud Valerium Flaccum, lib. VII, Argon. vs. 190.

> «..... Caucasiis speculatrix Juno resedit
> Rupibus, attonitos Ææa in mœnia vultus
> Speque metuque tenens, et *adhuc ignara futuri*. »

Unde sequitur fuisse quosdam deorum, qui, licet primi ordinis ac loci, facultate vaticinandi carerent. Quam rem in præsentia longius prosequi non possumus, ne forte in immensam molem crescat volumen. Cæterum peritioribus lis dirimenda præponitur. At nos de oraculis pauca addamus a Creutzeri eximio opere, et quidem Gallice, ut illico cognoscere possis qualem et quam idoneum interpretem nactus sit ille totius Olympi moderator.

Ait doctus *Guigniaut*, tom. I, pag. 94 illius optatissimi libri, qui nunc prælo subest:

« L'immense étendue des deux derniers objets que nous avons à

considérer, la divination et les oracles, nous permet seulement quelques courtes remarques, propres à appeler l'attention sur les points les plus importans, et à guider dans leurs recherches ceux qui voudront les approfondir. C'est dans ce même dessein que nous y joignons des citations d'autant plus nombreuses, que nous sommes forcés nous-mêmes d'être plus succincts.

Nous avons emprunté du latin le nom générique de *divination* [1]. Elle se divise en prophétie et en divination proprement dite; en divination naturelle et divination artificielle [2]. Sans nous arrêter à son origine ni aux époques distinctes qu'on peut reconnaître dans son développement, sans entreprendre d'énumérer les innombrables espèces de divinations qu'on trouve mentionnées dans les auteurs, nous nous contenterons d'en citer quelques-unes; 1° l'interprétation des songes, née des idées dominantes chez les peuples sauvages ou barbares, sur la nature et les destinées de l'ame humaine; il faut y rapporter les oracles rendus en songe et les *incubations* [3]; 2° la divination par le vol et par le chant des oiseaux, en qui les anciens reconnaissaient des qualités éminentes, surtout dans ceux qui s'élevaient le plus haut, ou se précipitaient du ciel vers la terre [4]. Cette observation des oiseaux fut d'abord tout accidentelle, toute naturelle; mais ensuite on la réduisit en art. On connaît les augures des Étrusques et des Romains, et l'on sait que la discipline étrusque, en particulier, s'étendait à d'autres phénomènes de la terre [5] ou des cieux; 3° l'observation du cours des nuages, des éclairs, du tonnerre, des fleuves, des tremblemens de terre, etc. De là naquit la météorologie des anciens [6]; 4° la divination par les victimes, ou

[1] Μαντικὴ, chez les Grecs.

[2] Cic. de Divin. I. 6, Conf. Jamblichus de Myster. Ægypt. III, 1, ibique *Gale*, etc.

[3] Odyss. VI, 13, XXIV, 11, 12. Iliad. II, 6; I, 62; Confer. Halbkart Psychologia Homerica, p. 29. — Æschyl. Prometh. 484. Jamb. de Myst. III, 2. Herodot. VII, 12. seq. Pausan. X, Phoc. 31.

[4] Spanh. ad Callim. Pallad. 123. Conf. Müller *zu Herders Vorwelt*, p. 330.

[5] Cic. de Divin. I, 17; II, 36; Sophocl. Antig. 987. Meiners. 658.

[6] Les *Libri fulgurales, tonitruales, augurales*, etc. Cic. I, c. 33. Senec. Quæst. Nat. II, 34. Conf. Heyn. Nov. comment. Societ. Gotting. VII, 25. Böttiger Vorlesungen über Mytholog. p. 28.

l'art des haruspices, auquel se rattache l'observation de la flamme et la fumée des sacrifices [1]; 5° la divination par le feu, par l'eau, par des bassins, par des baguettes, par des flèches [2], etc., pour rassembler ici plusieurs espèces différentes qui sont loin d'épuiser la matière : en général, les forces de la nature, surtout les élémens aussi puissans que l'eau et le feu, jouent un grand rôle, soit dans les opinions, soit dans les usages et les pratiques non-seulement de l'antiquité, mais encore des peuples modernes [3]; 6° enfin la nécromancie, un des genres de divination les plus répandus, et en même tems les plus perfectionnés, qui, dans certains lieux, se trouvait associée aux oracles des morts ou à la nécyomancie [4].

Les Grecs avaient différens noms pour exprimer, soit les lieux où se rendaient les oracles, soit ceux qui les rendaient, soit les réponses mêmes, les oracles proprement dits [5]. Les traditions relatives aux Sibylles, c'est-à-dire à ces femmes qui prédisaient l'avenir, étaient fort anciennes, et répandues dans un grand nombre de pays; on sait que les oracles sibyllins furent successivement fameux en Asie, en Grèce, à Rome, jusqu'à l'entier établissement du christianisme. Quant aux lieux qui devinrent le siége permanent de tel ou tel oracle, le choix en fut déterminé par des circonstances probablement très-diverses; un phénomène naturel, qui attirait la curiosité, ou frappait l'imagination par des effets extraordinaires, une source bienfaisante, à laquelle on attachait souvent l'idée de la présence divine, la place où reposait la dépouille mortelle d'un célèbre

[1] Æschyl. Prometh. 492; Perizon. ad Ælian. V. H. II, 31. Cic. l. c. 16, 40, II, 22, 33, 39. Confer. Meiners. p. 648.

[2] Creutzer. Dionysius, I, p. 302.

[3] Servius ad Virg. Æn. IV, 103. Dionys. Hal. Antiq. II, 69. Conf. Klotz ad Hommel Jurispr. num. illustr. p. 30, p. 18.

[4] Cic. Tuscul. I, 16. Davis. Herodot. IV, 94, 96. Pausan. Bœot. 30. Plutarch. Cimon. 6.

[5] Χρηστήρια (de χρᾷν et χρᾶσθαι) μαντεῖα, χρησμολόγοι, θεοπρόπια, χρησμοί, λόγια, μαντεύματα. Confer Iliad. I, 85; Thucyd. II, 8. Eustath, ad Odyss. I, p. 1426. Λόγια Atticum vocabulum; dicebant etiam Ionii πρόφαντα; Herodot. V, 63; IX, 93.

prophète; telles sont, entre mille autres, quelques-unes des plus fréquentes [1].

Les oracles les plus renommés étaient, au rapport d'Hérodote, ceux de Delphes et d'Abes en Phocide, de Dodone dans le pays des Thesprotes, l'oracle d'Amphiaraüs et celui de Trophonius, celui des Branchides sur le territoire de Milet, et l'oracle de Jupiter Ammon dans la Libye [2]. Certaines tribus avaient leurs oracles particuliers, la plupart fort anciens; on trouve çà et là quelques traces d'oracles des morts, également d'une haute antiquité [3]; un oracle pour les songes était celui de Trophonius. Il est aussi mention d'un oracle de la Thrace, attribué à Dionysus (Bacchus) avec mainte allusion aux institutions décorées du nom d'Orphée, et au grand œuvre de la civilisation des barbares de ces contrées [4].

Le plus ancien oracle de la Grèce était celui de Dodone, dont la fondation remontait au tems des Pélasges. On attribuait cette fondation à des prêtresses ou à des colombes, et on la rattachait à celle de l'oracle d'Ammon en Libye. Les prêtres du lieu s'appelaient les Selles. C'était par le moyen d'un arbre sacré, ou d'un bassin de cuivre qu'on y révélait l'avenir [5]. Mais de tous les oracles des Grecs le plus fameux, le plus important et le plus raffiné tout à la fois, c'était l'oracle de Delphes. On dit qu'il avait appartenu successivement à la Terre, à Thémis, à Phébé, avant de passer sous l'empire d'Apollon; et même, on appelle en partage avec ce dieu un autre dieu Bacchus [6]. Apparemment il faut voir dans cette succession de

[1] Tacit. Annal. XIII, 57. Pausan. X, Phocic. Plutarch. de Ser. Num. Vind. p. 98, edit. Wittemb.

[2] Herodot. I, 46. De oraculo Trophonii infra, et VIII, 134. Confer Hemsterh. Lucian. II, p. 411. Bip.

[3] Vid. νεκυία. Odyss. XIII.

[4] Herodot. VII, 111. Euripid. Hecub. 1267. Alcest. 966. Bacch. 298 et ibid. Schol.

[5] Herodot. II, 54. Hom. Iliad. XVI, 234. Ibid. Heyn. et in Excursu Strab. VII, p. 505. Apollod. Frag. p. 422. Stephan. Byzan. de Dodone, in Gronov. Thes. Ant. Græc. t. VII, Spanh. ad Callim. Del. 285.

[6] Γαία πρωτόμαντις Æschyl. emend. Confer. Creutz. Dionys. p. 304. Interpret. ad Hygin. Fab. 140, Staver.

possesseurs, la trace des développemens et des perfectionnemens sucessifs de cette grande institution, qui, mieux qu'aucun autre du même genre, montre quelle influence exercèrent les oracles sur la civilisation de la Grèce. Ils furent en grande partie les véritables foyers de cette civilisation; ils favorisèrent l'agriculture; ils adoucirent les mœurs; ils arrêtèrent les fureurs sanguinaires des barbares habitans du pays, par la voix puissante de la religion [1]. L'oracle d'Esculape à Epidaure contribua beaucoup aux progrès de la médecine [2]. L'importance politique de quelques-uns de ces établissemens n'est pas moins digne de remarque. L'oracle de Delphes, uni au conseil des Amphictyons, qui siégeait aux Thermopyles, fut long-tems le lien commun de la confédération Hellénique. Ce fut encore lui qui détermina et conduisit, pour ainsi dire, la colonie grecque qui fonda Cyrène aux rivages de la Libye [3]. Un phénomène également fort remarquable, c'est la liaison prolongée des oracles de la Grèce avec ceux des contrées étrangères, particulièrement avec les oracles des Branchides et d'Ammonium. Au reste les premiers, comme on le voit par l'histoire du roi Lydien Crésus, et par nombre d'exemples semblables, étendaient leur influence avec leur renommée bien au-delà des limites de la patrie.

[1] Herodot. I, 159. Pausanias VII, Achaic. 21.

[2] Pausan. II, Corinth. 36.

[3] Herodot. IV, 157.

DE TIBULLI VITA

ET CARMINIBUS.

§ I. *De anno Tibulli natalitio.*

De vita optimi hujus scriptoris perpauca ad nos pervenere; neque tamen hæc doctorum injuriis immunia fuere. Domitius Marsus tempus, quo Tibullus obiit, nobis fere indicat in Epigrammate; et nullus, quod sciam, exstitit, qui illud spurium esse contenderet, licet diversi diversas interpretationes proferrent. Quod ad annum poetæ natalitium attinet, ipse nos edocuit, quid de illo statuendum esset; sed interpretes eum loqui non sinunt, distichonque integrum cultro resecant: quasi sinistra quadam liberalitate tenebrio nescio quis versiculos illos ex Ovidii arca huc transtulisset. Cum editoribus igitur interpretibusque certamen nobis ineundum est, quod priusquam aggrediar, non possum mihi temperare quo minus Spohnium, egregium ac luculentum auctorem, merita admiratione ornatum huc inducam. Hunc, si de Tibulli vita scriptisque edoceri cupis, lege atque iterum perlege; nullus omnino tanta doctrina tantisque ingenii viribus, rem quæ antea in desperatis erat, refecit atque recreavit. Multum abest, ut me illi æquiparare ausim; et, fateor, diu hæsi dubius, utrum egregium Spohnii opus simpliciter transcriberem, an novam poetæ conficerem vitam. Sed multa sunt, eademque maximi momenti, in quibus ab illustris professoris

opinione dissentiam : quæ causa me impulit, ut proprio Marte militaturus, meam quoque sententiam exponerem, novisque argumentis ostenderem, poetæ Romani et initium et finem facile constitui posse, dummodo rem quamque eo sensu intelligas qui in promptu est, neque longius interpretationes repetas.

Spohnius præpostere rem ordinavit, quum prima statim pagina dixerit : « Quæstio de Albii Tibulli vita adeo sin-» gularis est conditionis, ut ad exiguum earum numerum » pertineat, in quibus totius disputationis initium ab ea » re faciendum est, quam quando illustrant ejus modi » commentationes, ad finem pervenisse putantur, mortem » dico, tempusque quo Tibullus mortuus est. » Sane si Spohnius Tibullo quintæ Elegiæ, lib. III, distichon non abjudicasset, nihil erat cur rem a fine ad initium reduceret. Verum enimvero, quum de hoc ipso disticho inter nos lis sit, quumque illud Domitii Marsi epigramma, adhuc intentatum firmiter suo stet loco, nos quoque primum videamus quo tempore interierit poeta, præpostere rem perficientes ut eo ipso argumentandi facultas oriatur, et ita aperte demonstrare possimus, facile omnia, quæcumque interpretibus fucum fecere, cum illa Tibulli ipsius indicatione congruere posse, neque omnino quidquam superesse quod nos impediat, suspensosque teneat.

Domitius Marsus hæc cecinit :

« Te quoque Virgilio comitem, non æqua, Tibulle,
» Mors juvenem campos misit ad Elysios;
» Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
» Aut caneret forti regia bella pede. »

Publius Virgilius autem obiit anno U. C. 735, ut in vita

illius, auctore Donato, et in Hieronymi chronicis legere est; idque X Kalend. octobris : vid. nost. Edit. Virgil. t. VII, p. 280, 322 et 331. Hinc sequitur Tibullum, aut sub finem ejusdem anni, aut proximo anno, vita functum esse : quod tamen æque ineunte vel exeunte anno accidere potuit, salva Domitii Marsi fide, qui *comitem* dixit poetica sermonis consuetudine, licet integer annus intercesserit.

Ut ut est, ipso anno 735 exeunte interierit Tibullus necne, parvi refert; nihilominus omnia ordine constituto procedunt. Petrus Crinitus, Georg. Gyraldus, Gerard. Joan. Vossius, Nicol. Heinsius nobis consentiunt, quum apud ipsum poetam locum esse declarent, qui nos de anno illius natalitio certiores reddat :

« Natalem nostri primum videre parentes,
» Quum cecidit fato consul uterque pari. »

Annus enim quo uterque consul pari fato cecidit, urbis conditæ 711 numeratur : eo Hirtius et Pansa apud Mutinam pro Romanorum salute dimicantes, ambo occisi sunt. Cave, amice lector, ne te Ayrmannus insulsisima decipiat conjectura, textum hunc in modum emendans, vel potius deformans :

« Quum cessit fato consul uterque pari. »

et rem ad annum 705 referens, quo consules Pompeium secuti, Cæsare appropinquante, Italiam dereliquere. Nugatoria prorsus est hæc interpretatio : *fatum* enim non nisi de majore eventu, nunquam de simplici itinere usurpatur: Claudius Marcellus et Cornelius Lentulus vel proposito vel socordia abiere, non fato. Nullus codex Ayrmanno favet, ita ut necessario ad pristinam lectionem rever-

tendum sit, quam nos e libris, Brouckhusiumque simul secuti, sic constituimus :

« Natalem nostri primum videre parentes,
» Quum cecidit fato consul uterque pari. »

Non inficiari velim quibusdam codicibus inesse *Natalem primo nostrum*, vel *primo nostri*. Quæritur tamen cur Brouckhusius qui hunc versum in genuinum reduxit statum, edixerit : « Versiculum Nasonianum nobis obtrusit sinis» tra liberalitas, nescio quorum tenebrionum. » Quæritur cur Spohnius quoque et alii in eamdem iverint sententiam, Ovidiique esse declararint ea, quæ imitatione tantum inter suas opes possidet ille; sed antequam ipsam disquisitionem ineamus, transcribendi sunt versus Nasoniani quibus orditur Elegiam X, lib. IV. Trist. :

« Ille ego qui fuerim tenerorum lusor amorum,
» Quem legis, ut noris, accipe posteritas.
» Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
» Millia qui novies distat ab urbe decem.
» Editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris,
» Quum cecidit fato consul uterque pari. »

Hic Spohnius ait : « Alterutrum autem poetam, si uter» que eumdem fecit, ab alterutro depromsisse patet. Quum » Tibullus eo tempore, quo Ovidius illam Elegiam scrip» sit, jamdudum esset mortuus; restat ut disquiramus, » num Ovidius istum versiculum a Tibullo sit mutuatus. »

Primo negant interpretes et Spohn. Ovidium unquam ad verbum exscripsisse Tibulli carmina, et Bach. addit : « Hic » pentameter prorsus immutatus legitur, quamquam Ovi» dius quotcumque versus Tibullianos fecerit suos, aliqua » ex parte eos mutavit, adque suam rationem et ingenium

» accommodavit. » Si Spohnium audias, ille qui ingentem carminum copiam Trist. IV, x, 62.

« . . . . emendaturis ignibus ipse dedit. »

profecto adeo inops et egenus non erat, ut ad indicandum annum natalem aliis verbis, et quidem tam impudenter, uti deberet. Nos jam ipsa argumenta Spohnii transcribamus : « At vero quando Ovidius versus Tibulli respexit, quod » nonnunquam factum est, id diserte declaravit, aut eos » tali certe imitatione expressit qua artificem agnoscas. » Ac manifesto quidem agnoscas, ipsum Tibulli versus » adhibere : Trist. lib. II, Eleg. Unic. 447 :

» Credere juranti durum putat esse Tibullus,
» Sic etiam de se quod neget illa viro.
» Fallere custodem demum docuisse fatetur. »

» Qua ratione deinceps pergit, in quibus verba, quæ in » Tibullo lib. I, Elegia VI, leguntur paululum et inflexa » et mutata reddit. Augusto autem hoc dicit : Tibullo » nihil nocuisse talia fatenti, in qua quidem re Tibulli » verbis opus est. Amor. III, El. IX, Tibulli mortem lu- » gens Naso, sedecim fere versibus locos ejus imitatione » expressit, ubi ipsa carminis ratio quasi indicio est ejus » quem expresserit. Ubique consilium, ingenium quo sua » felicissime cum illis composuit, artem qua omnia egregie » temperavit, miraberis. Eadem animadvertere possis, si » comprobes Baueri conjecturam præf. p. xvj, putantis » Ovidium etiam, Trist. lib. I, El. I, 4-18, Tibulli locos » lib. III, El. I, v. 1, esse imitatum. Sunt autem quædam, » quibus hæc opinio aliquam probabilitatis speciem acci- » piat. Tibullus enim id carmen ad Neæram scripsit, ad » quam reditus non amplius poterat sperari; Ovidius Ro-

» mam mittit libellum, ad quam redeundi spes nulla supe-
» rerat. Ille, ut virgini placeat, comtum et ornatum esse
» vult munus; hic infelix et exsul, incomtum. Tibullus,
» v. 9, dicit:

» Lutea sed niveum involvat membrana libellum.

» Ovidius, v. 5:

» Nec te purpureo velent vaccinia fuco;
» Non est conveniens luctibus ille color.

» Ille v. 11, et sqq. pergit:

» Summaque prætexat tenuis fastigia chartæ,
» Indicet ut nomen, litera facta, meum
» Atque inter geminas pingantur cornua frontes;
» Sic etenim comtum mittere oportet opus.

» Hic vero v. 7:

» Nec titulus minio, nec cedro charta notetur;
» Candida nec nigra cornua fronte geras.

» Ille, v. 10:

» Pumex cui canas tondeat ante comas.

» Hic, v. 11:

» Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes
» Hirsutus passis ut videare comis.

» Denique Tibullus, v. 17, Musis dicit:

» Ite domum, cultumque illi donate libellum.

» et deinde, v. 21:

» Sed primum Nympham onga donate salute.

» Ovidius autem, v. 15:

» Vade, liber, verbisque meis loca grata saluta.»

Spohn. his peractis comparationibus, addit: « Ovidius
» igitur, si istum versum sine consilio, neque arte qua-
» dam descriptum recepisset e Tibulli carminibus, quæ in

» omnium ore versabantur, quorum verba, quando aliquis
» eorum usus aptus videbatur, tam docto artificio suis
» immiscuit et accommodavit, ut inscio et invito aliquis
» hujus poetæ versiculus excidere non posset, non mutua-
» tus esset tanquam artifex, ita ut clarum esse vellet,
» unde depromsisset, sed parum verecunda, immo perfricta
» fronte alienos loculos compilasset. » Hæc quidem Spoh-
nius qui, qua sententia sum, argumentis usus est quibus omnino convellitur opinio, quam defendere conatur : innumeris in locis, ut ipse fatetur, Ovidius Tibullum ad verbum fere imitatus est; et nemo sanus certe negabit illius disticha tam prope ab hujus versibus abesse, ut non facile primo aspectu cognosci possint. Sequitur Ovidium, licet ingens ei carminum copia adesset, nullo modo ingeniosa sua furta dissimulasse. Quinadeo maximam in imitando Tibullo gloriam posuisse videtur; quippe qui multis in locis, nihil omnino mutaverit in versu, nisi loquentis personam, ut Trist. II, v. 451 :

« Sæpe velut gemmam dominæ signumve probaret,
» *Per causam meminit se tetigisse manum.* »

Ubi Tibullus l. I, El. VI, vs. 26 :

« Per causam memini, me tetigise manum. »

Num idcirco Ovidium dicamus perfricta fronte fuisse, qui consulto ipsa verba Tibulli servavit? Num in sequentibus parum verecunda fronte fuit, Trist. l. II, vs. 458 :

« Se quoque uti servet, peccet ut illa minus. »

Quum antea dixerit Noster, loco jam citato, vs. 16 :

« Me quoque servato, peccet ut illa minus. »

At jam recurrunt isti, aiuntque; Augusto ostendere vo-

lebat Ovidius, hæc Tibullo nihil nocuisse, quocirca iisdem necessario verbis utendum erat. Concedo; nihil enim nostra refert : id tamen firmum manet, Sulmonensem interdum ipsa verba Tibulli retulisse, neque hic tantum, sed insuper aliis in locis, ut in lib. III, El. IX, et in aliis. Cur itaque ab illa consuetudine prohibent illum? quare cultrum pro medela adhibentes, quod minus intelligunt distichon, abscindunt? Ego diversa prorsus tueor, nullusque dubito Ovidium consulto pentametrum, qui illos offendit, integrum in suam arcam transtulisse. Posteris enim patriam revelans, tempus quoque addit quo natus est, ita ut iisdem fere utatur verbis, quibus illustris poeta, quem maxima veneratione prosecutus erat. Illud enim sibi decori fore intelligebat, si eadem sibi æque ac illi communiter accidissent; neque tamen, ut volunt, sese absolute declarat ejusdem anni esse qui Tibullum nascentem vidisset. Hexametrum enim aliorsum traxit hoc modo :

« Editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris,
» Quum cecidit fato consul uterque pari. »

Quod quantum absit, ut idem significet quod Tibulli versus, infra videbimus : in præsentia sat erit notare Tibullum, ut vitæ suæ initium ad magnum Reipublicæ fatum annecteret, cladem Hirtii et Pansæ memorasse, eamque ad eumdem annum retulisse, quo parentes primum ipsius natalem viderant; Ovidium contra, qui Tibullo jam exstincto scribebat, nihil antiquius habuisse, quam ut pariter eodem eventu insignis esset; et insuper, ut quæ magnifice locutus fuerat Tibullus, quæque fortasse omnium ore, παροιμίας instar circumferebantur, illa sibi quoque assumeret atque applicaret. Nemo, quod sciam, Ovidium ab ista origine

prohibere conatus est; omnes omnium eum anno 711, ut natalitio frui passi sunt : non mirum itaque, si in hoc quoque Tibullum expressit, quem minoribus in rebus tam fideliter secutus erat. Mirarer ego potius, si non fecisset. Vides, amice lector, quam debilibus argumentis nitantur, ut Tibullo distichon eripiant. Deinde de lacunis narrantque, quas interpretes, quisque pro lubito, complere studuerunt, et huc Philelphum, Aurispam, Senecam, Pontanumque adducunt, quos passim interpolationis reos fecere, ut iis etiam hoc distichon condonent. Tunc eorum delicta ordine numerant. Attamen nullus Codex hoc loco exhibet ***Pontanus sic supplevit,*** vel ***Aurispa sic.*** Senecam quoque dormire sinunt libri scripti, qui consentientes Tibullum auctorem præ se ferunt.

Noli tamen putare, editores atque interpretes tam rationis fuisse expertes, ut hoc unico argumento freti, locum hunc poetæ nostro abjudicarent. Temporis conciliandi difficultas eos impulit, ut undique conquisitis armis illum expugnarent, Tibullumque aliquot onerarent annis quibus non ei opus est. Hæc causa fuit, cur alii alium annum assumendum putarent, omnesque negarent Tibullum anno 711 natum esse. Qua depravatione textus usus sit Ayrmannus, ut quinque vel sex annis Tibullum majorem redderet, jam compertum habes : neque tamen hisce contenti fuere reliqui editores, qui cum Douza viginti annos et amplius Nostro largiuntur, et hæc est quæ revera sinistra liberalitas dici possit. Brouckhusius, Fabricius (bibl. Latin. I, p. 256), Vulpius, p. xviij, apud Heyn. Præfat. p. 60, Massonus, Vita Horatii, p. 155, et Sanadonius, *Vie d'Horace,* p. 71, p. 119, et ad Epist. I, IV.

Op. Horat. Tom. VII, p. 164, annum U. C. 690 Tibullo assignant, ut ei vel intra illius fines nascendum sit, vel nunquam. H. Vossius Nostrum tamen minus urget; quippe qui illi facultatem concedat, inter annum 689, quo Horatius editus est, et annum 695, quo Messala, sibi hunc vel illum ad nascendum eligendi. Bach. ait : « Proxime » autem vero natales circa annum 695 ponuntur. » Quod Spohnio maxime placet, mihi vero minime.

Nunc ergo huc pervenimus, ut eorum examinemus rationes, qui negant Tibullum anno 711 natum esse.

Ovidius Trist. l. IV, El. x, vs. 51, dixit :

> « Virgilium vidi tantum ; nec avara Tibullo
> » Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
> » Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi :
> » Quartus ab his serie temporis ipse fui. »

Ubi Spohn. voci *illi* adscripsit *Tibullo*; ut Propertius successor esset Tibullo, addens : « His enim verbis Ovidius » declarat, Virgilium et Gallum majores fuisse natu, » Propertium vero, et se ipsum, minores quam Tibullum. »

Primum nullatenus video cur hæc absolute ad ætatem utriuscujusque retrahat Spohn. quæ, etiam nullo sensus detrimento, tempus spectare possunt, quo quisque poetarum inierit chorum. Neque video quorsum nos rapere interpretes velint talibus argumentis, nisi forte iis Tibullum intra sæculum anterius nasci cogant hoc fere modo. Propertius, aiunt, aut ante an. U. C. 700 natus est, aut ad summum non ita multo post. Ipse enim, lib. IV, El. 1, v. 179, his verbis;

> « Non tua quum multi versarent rura juvenci
> » Abstulit excultas pertica tristis opes :

» Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
» Matris et ante deos libera sumta toga; »

sese fatetur, post annum U. C. 713, quo *perticæ tristes* veteranis agros distribuerant, togam virilem sumsisse, quæ raro sumta est anno XIV, quum prætexta soleret anno XVI deponi. Douza apud Brouckhusium et post illum J. H. Voss. plurimum fidei huic argumento tribuere, Tibullum, velit nolit, Propertio seniorem facientes, Propertiumque ante annum 700 nasci jubentes, ita ut nullo modo ille noster poeta, dicere potuerit, sese anno, quo *cecidit consul uterque,* primum celebrasse natalem. Mirum sane argumentum, quod tamen non aliter constare potest, quam si sensum voculæ *mox* valde urgeas, atque a latiore sensu omnino arceas. Denique quis te pro certo edocuit *perticam tristem* eo sensu, non nisi ad annum 713 referendam esse? Nimis securus in re dubia versaris. Verum concedo tibi omnia quæ ad ipsum Propertium pertinent; utere tuo *mox* si placet, utere ut grammaticus; quinadeo, ut mathematicus, minime ut poeta; nega insuper perticam, licet patris opes attigisset, puero etiam balbo et vix annum egresso, rem imminuere potuisse; denique, cuncta pro arbitrio rege, dispone, atque subverte: nihil mea refert. Quid enim ad Tibullum? At intelligo, Ovidii locum indigitas, quem fortasse minus intelligis. Ibi poetæ ordinantur:

« Virgilium vidi tantum, nec avara Tibullo
» Tempus amicitiæ fata dedere meæ. »

Hucusque, nulla lis oritur; sed pronominibus *hic* et *illi* debetur, quæ tamen, si grammaticam sequaris rationem, ad antecedentia ita referenda sunt, ut prius (*hic* scilicet) ad alterum poetarum ab Ovidio nominatorum pertineat;

posterius vero (*illi*) non eidem adhæreat, qui jam ope τοῦ *hic* in hoc distichon descendit; sed ad alterum eorum retrahatur, qui in superiore disticho prior comparet. Plerumque enim sic disponitur oratio, ut pronomen *hic* posterius et *proximum* de quo mentio fuerat, pronomen vero *ille* prius et *remotius* designet. Quem loquendi usum si huc applicare velis, necesse erit legas:

« Successor fuit hic (Tibullus) tibi, Galle, Propertius illi (Virgilio.) »

Quo sensu Gallus et Virgilius majores natu erunt cum Propertio; ita tamen ut Propertius illis sit minor, Tibullus vero et Ovidius minores quam omnes supradicti poetæ.

Verum te jam alio cum argumento venientem video. Ovidius cecinit:

« Quartus ab his serie temporis ipse fui. »

Unde manifesto patet, non nisi quatuor e quinque poetis, qui nominantur, numerari, et ab altero disticho unum necessario exsulare: aliter Ovidius se quintum prædicasset, non quartum; unde sequitur eum, nullum nisi Elegiarum poetam numerasse, Virgilium vero exclussisse; quippe qui *majora*, qui *consule digna* cecinisset. Insuper addunt Ovidium sese quartum eorum profiteri, qui *molles elegias* condidissent. Arguta sane ratio! Præsertim, quum non inficias eam, loquendi consuetudine, τὸ *illi* æque ad Tibullum trahi posse; licet jam τῷ *hic* usus fuerit idem. Quinadeo Virgilium si abigas, necessitas hujus constructionis ipsa per se conspicua. Sed perquam ridiculus esset Ovidius, si quatuor poetis nominatis se tamen *quartum* esse asse-

reret, eique insulsitati, ope tacitæ nescio cujus exclusionis, medelam quæreret. Verba *serie temporis* sunt quæ locum maxime illustrare possunt; nam, si *serie temporis* ordinem constituit Ovidius; si natalem quoque respexit, eos tantum numerasse videtur, qui diverso longe tempore, vel nati, vel poetæ facti. Quid vero, si ex quinque, duo simul fere orti sunt, ut Gallus et Virgilius, qui ambo coætanei, ambo eximii exstiterunt minoris carminis conditores? Nonne merito dicat quis, Tibullum Gallo fuisse successorem, Propertium vero Virgilio, non ita quidem ut cuique numerus imprimatur, *primus*, *secundus*, etc., sed ut hoc ipso declaretur serie temporis Gallum majorem fuisse Tibullo, Virgilium vero Propertio, et temporis quatuor fuisse præcipua momenta; primum, quo Virgilius et Gallus nati, ultimum, quo ipse Ovidius; interpositis Propertio, et Tibullo, quorum ætas non ad calculos dinumeratur, sed poetarum modo, nulla certa via, vel etiam præpostere. Verum hæc fortasse minus satisfacient; et fateor, alia interpretationis via est, quæ mihi omnibus numeris absoluta esse videtur. Ovidius, in Elegia, de qua inter nos lis oritur, exsul jam, et procul Roma, præteritos memoria repetit annos, et exclamat :

> « Temporis illius colui fovique poetas
> » Quotque aderant vates, rebar adesse deos. »

Eo ipso satis declarat egregios illos poetas nunc omnes interiisse; et subinde singulos memorat, quos mortuos deflent Musæ Romanæ. Hic Macrum, Bassum, Ponticum, Horatium inducit : mox exclamat *Virgilium vidi tantum*, quia nempe Virgilius, ut probe scimus anno 735, supre-

mum obiit diem, quo tempore ipse Ovidius admodum juvenis, vix eum noverat. Quid vero sequitur:

« .... Nec avara Tibullo
» Tempus amicitiæ fata dedere meæ. »

Quorsum spectant hæc? eo, sane, ut poeta indicet lectori, Tibullum, postquam ipse qui nunc loquitur dulci ac mutua consuetudine amicitiæ usus esset non diu vixisse : sed usus est, certo, Tibullo amico, quod ex ipsa Elegia patet, qua illius luget mortem. Sed breve post tempus, dilecti sodalis nihil supererat nisi *parva urna*. Virgilium et Tibullum itaque tanquam poetas *illius*, non *hujus* temporis inducens, de Gallo quoque meminit, cui in Elegia successor fuerat Tibullus, sed transeundo tantum, et designationis causa. Deinde Propertium nominat; quippe qui pariter vita functus, temporis illius poeta fuisset. Denique se superstitem adhuc numerat:

« Quartus ab his serie temporis ipse fui. »

Ab his, scilicet a Gallo, a Tibullo, a Propertio, vel si mavis a Virgilio, Tibullo et Propertio : Gallus enim invocatione tantum comparet. *Serie temporis* sese quartum profitetur, quia non illius, non peracti temporis poeta ipse est, sed temporis præsentis, ac nunc prætereuntis. Quod si Propertium tamen Ovidio fuisse natu minorem contendas, non repugnat ista mea interpretatio. Potuit enim vel major vel minor cum Ovidio jure sodalitii junctus esse; sed fuit certe major, quinadeo, Tibullum non paucis annis anteivit, si interpretibus facultatem concedamus Romani ævi dimetiendi *pertica* illa, quam in Propertii Elegia invenerunt, quaque instructi, eum an. 713 adolescentem esse

jubent, iidem tamen imperant, ut Propertius Tibullo morem gerat, tamquam ætate provectiori, teste Ovidio, qui talia nusquam protulit, ut perspicue vides, amice lector. Immo vero Propertium majorem natu fuisse multis e locis facile evincerem; in præsentia sat erit monere Propertium in libri tertii Elegia prima sibi Græcæ Elegiæ Romam deductæ gloriam vindicare :

« Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos,
» Itala per Graios orgia ferre choros. »

Quæ jactatio, si Tibullus præivisset eum, quænam fuisset quantique, nullus est quin videat.

Ut paucis superiora repetam, de Propertio et ejus vita res non magis certa est quam de Tibullo, neque versus quos legimus aliquid habent, cur illius vitæ cursus Nostrum intra præfinitum tempus cogat : deinde non videmus, cur illi quatuor Ovidii versus ad diem natalem referri debeant, quum æque tempori, quo quisque poeta vel exstiterit, vel vita cesserit congruere possint. Denique addimus, nulla ratione certa versatos esse interpretes in illis explicandis. Quod si nostra minus placet, negari non poterit tam impedito, tam obscuro argumento abstinendum esse prorsus, præsertim, quum de expungendo Tibulli disticho agatur. At in ipsa Tibulli Elegia de qua disceptatur, multa Spohnius reprehendit. Primo carpit verba lib. III, Eleg. V, 16 :

« Nec venit tardo curva senecta pede, »

Quasi ambiguitatis aliquid haberent a Tibullo alienæ. Ovidius tamen Art. Am. II, 670 :

« Jam veniet tacito curva senecta pede. »

Ut ipse Spohn. locum citando agnoscit. Confirmat itaque

hunc versum imitatione sua Ovidius. Quod ille doctus vir de *crescentibus uvis*, deque *pomis modo natis* asserit, non referam; calculis enim ratiocinari mihi visus est, idque modo minime dilucido. Ut ut est, Ovidius hunc quoque locum comprobavit. Cecinerat Tibullus, III, V, 19:

« Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis,
» Et modo nata mala vellere poma manu? »

Ovidius sic Amor. lib. II, El. XIV, v. 23:

« Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis?
» Pomaque crudeli vellis acerba manu?
» Sponte fluant matura sua: sine crescere nata. »

Quum paulo infra Tibullus addat loc. citat. vs. 23:

« Elysios olim liceat cognoscere campos,
... .
» Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
» Et referam pueris tempora prisca senex. »

Hæc valde Spohnio offensioni sunt: « Quod sic poeta qui » qua ætate esset jam declaraverat eo, quod se post lon- » gam demum annorum seriem senem fore dixerat, quasi » id non satis sit, idem accuratius aliis verbis explicat. »

Quæ sequuntur adhuc morosioris sunt animi; Ovidio, si Sponhium audires, licebat esse loquacissimo, quippe qui *posteritati* scriberet. Tibullus contra « Ad amicos et » familiares scribit, qui profecto norant, quo anno natus » esset. Numina implorat infera, ut parcere velint insonti » et ætatem agenti, quæ a senili longe distet. Quid pu- » tas? Nonne ineptus fuisset, si annum natalem indicasset, » quo notato Dii inferi quasi dinumerare possent reliquos, » et subducta ratione intelligere eum adhuc juniorem » esse, quam qui ad ipsos descendere deberet? »

His fere fretus et aliis ejusdem farinæ argumentis, morosum ait esse eum, *qui nondum videat hæc Tibulli esse non posse*. Atqui ego *morosum* eum dico, qui, talibus nugis adductus, locum egregium ac poeticum Nostro abjudicat. Dijudicent cæterum quicumque poetas legere consueverunt.

Jam notavimus Petrum Crinitum, Lilium Gyraldum, Joan. Vossium nihil hic suspecti habuisse. Hieronymus Alexandrinus, in pervetusta Tibulli vita, eamdem sententiam, quam nos, protulerat: *Natus vero est Hyrtio et Pansa consulibus*. Nullum offenderat hic locus, prorsus nullum, donec Jos. Scaliger, Douza et doctorum fere integer exercitus in illum truci ac minaci vultu, et stricto gladio irrumperent. Nos vero certamen non recusamus, et, deletis jam quæ ex Ovidii loco hauserant argumentis, confutatisque illis quæ contra ipsum Tibulli locum attulerant, ad alia majoris momenti progredimur, ad ea nempe quibus contendunt tempora nullo modo conciliari posse, si Tibullo annus 711 ad nascendum concedatur.

Ait Vulpius : « Vix est ut credere possim Ovidium, » Tibulli memoriæ studiosissimum, quum animadvertis- » set se natalem diem vel saltem annum cum illo ha- » bere communem, qua erat præcipue diligentia in rebus » vel minimis, ejusmodi eventum silentio prætermissurum » fuisse. »

His Spohnius addit : « Profecto probabile videtur » Ovidium in reliqua, quæ in illo lugubri carmine con- » spicitur, minimarum rerum cura, hanc rem non fuisse » omissurum, quippe quæ maxime acerba et gravis esset. » Etenim non solum poetæ studiorum socio immatura » Tibulli juvenis mors deploranda fuisset, sed æquali,

» qui eodem anno, quo ille natus, eumdem ætatis annum »ageret. »

Merito Heynius hoc argumentum pro levissimo habuit, ut fere omnia ejusmodi argumenta a silentio deprompta, ubi memorationis causa nec idonea, nec necessaria fuit. Quid autem si, non nisi læsa Tibulliani loci fide, Ovidius se illius æqualem dicere potuerit? Novam hic ingredior viam, timideque sententiam enuntiaturus, precor atque iterum precor mihi veniam dent viri docti, a quorum opinione recedere nunc audeo, attentoque animo, quæ subsequuntur, legant.

Ovidius, sine ulla contestatione, anno 711 natus est, ut ipse distincte pronuntiavit Trist. IV, x, 5 :

« Editus hic ego sum ; nec non, ut tempora noris,
» Quum cecidit fato consul uterque pari. »

Pentametro quidem Tibulli usus est, sed hexametro, et verbis et sensu, longe diverso. Neque te hæc, amice lector, mirari par est; in aperto demonstratio. *Editus sum* idem ac *natus sum :* an etiam illud Tibulli *Natalem nostri primum videre parentes?* Fortiter nego idem significare *primum Natalem* et *Editum esse.* Quid enim *Natalis primus,* nisi diei quo superiore anno aliquis natus erat, reditus? *Natalis* etiam de ipso die, quo nascimur, usurpatur sane; sed, si *primum, secundum, decimum,* etc., adjicias, nullo modo ad ipsam ortus diem referri poterit : alias *Natalis secundus* dies esset, quo iterum nasceremur, et toties nasceremur quoties natalis numerandus esset novus. Quum apud scriptorem legimus, alicui celebratum esse natalem trigesimum vel quadragesimum, inde merito concludimus, illum tunc fuisse triginta annos vel quadraginta natum, qui tamen

unum annum supra triginta vel quadraginta numeraret. Ut hæc Tibulliani loci interpretatio sana dici posset, ipse Ovidius nobis favet, Heroid. XV, vers. 61; quippe qui dixerit :

> « Sex mihi natales ierant, quum lecta parentis
> » Ante diem lacrimas ossa bibere meas. »

Ubi interpretes, quod sciam, omnes, adscripsere *septimum vix annum attigerat,* quibus sextus intelligendus fuisset, si de die ageretur, quo Sappho nata. Hinc sequitur, parentes Tibulli tunc *primum* vidisse *natalem,* quum ipse jam annum unum degisset; et hoc in an. U. C. 711 incidit; ita ut necessario noster poeta, præcedente anno, id est 710, natus fuerit. Quæ res, si ita se habet, potuit æque ineunte ac exeunte an. 710 nasci poeta; quin adeo kalend. April. editus esse videtur, si accurate diei annuum reditum in pentametro notavit, ut, nullo contra faciente, facile ei integrum annum ætati annumerandum largiamur.

Nunc intelligis, amice lector, cur non se ejusdem anni ac Tibullum esse jactaverit Ovidius, et causam habes, cur se juniorem prædicet alibi. Etsi, ut concesserim Vulpio et Spohnio, non probabile est ab illo esse prætermissum se cum Tibullo natalem diem, vel saltem annum, habuisse communem, sese tamen, mea interpretatione, Tibulli studiosissimum præbuit : quippe qui, licet integro anno esset minor, nihilominus ad ætatem declarandam eodem usus sit versu; immutatis tantum in priore distichi parte iis quæ diversa erant, et sic innuens se, juniorem Tibullo, tunc editum esse, quum illius parentes jam primum natalem celebrarent. Ovidius admirationem qua Tibullum prosequebatur manifesto hic professus est, quum, salva rerum fide, nihil

solemnius tamen, quo diem insigniret annumve, excogitavit, quam ut modo quocumque se ipse illi comitem daret, illiusque verbis ad accuratiorem notitiam uteretur. Hæc sunt, quæ me impulerunt, ut Tibulli ann. natalitium 710 Urb. cond. esse crederem, nullo damno carminum quæ nunc exstant, nulloque scalpro in antiquas ac venustas Poetæ elegias adhibito. Quod si forte nimis audaculus videar, mihique invideant viri docti, quod parvulum illum annum inde lucratus sim, huic exiguo temporis spatio renuntiare non recuso, remque ad annum 711 reducam, si jubent: neque hoc quidquam in poetæ vita erit, quod nos offendere poterit.

Confusionem in multis rebus esse aiunt, si vitæ cursum ab anno 711 ad 735 vel 736 definias; ita ut Tibullus, annos XXIV vel XXV natus, interierit. Janus quidem Douza, Vulpius et Vossius, quibus accedit Spohn. sibi demonstrare videntur Tibullum, si illo anno natus fuisset, juvenem quatuordecim, ad summum quindecim annorum, bello Aquitanico strenuum et fortem militem, non sine gloria pugnasse; quippe qui lib. I, El. VII, vs. 9, scripsit ad Messalam:

« Non sine me est tibi partus honos : Tarbella Pyrene
» Testis, et Oceani litora Santonici;
» Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna. »

Quomodo autem puerum quatuordecim annorum esse cogunt nostrum poetam? Falsa annorum computatione. Nam, qui natalem paulo ante, secundum æram Varronis an. U. C. 711 tribuerant, nunc Catonianam ratiocinandi viam ineunt, qua Messalæ de Gallia triumphum duobus integris annis citius vero ponant. Qui tamen, si Catonem sequendi eos desiderium teneret, æqua lege Tibulli natales ad annum

709 referre debuissent. Sin vero minus, etiam in hoc loco Varroni illos adhærere par erat, secundum quem notat ipse Heynius; Messala triumphum egit anno Varroniano 727. Hi quoque omnia subvertunt, qui, ut fecit Ayrmannus, bellum Aquitanicum anno 724 adscribunt, triumphum vero inde secutum tribus annis differunt. Intercidisse videtur Asiatica expeditio, ut apud ipsum Tibullum videre est, lib. I, Eleg. VII; non ita tamen ut necessario dicas Messalam, antequam in Ægyptum proficisceretur, triumphum nondum egisse. Historiarum scriptores hanc rem in incerto relinquunt; et Tibullus, qui Elegia illa natalem celebrat, de triumpho meminit fortasse jam peracto, loco citat. vs. 5:

« .... Novos pubes Romana triumphos
» Vidit...... »

Et vs. 7:

» ...... te victrices lauros, Messala, gerentem
» Portabat niveis currus eburnus equis. »

Ubi vero ad Cydnum convertitur poeta, et novas res commemorat, de triumpho jam silet, qui forte antea habitus erat. At hunc post Asiaticam expeditionem differamus et nos; minime tribus opus est annis; hos quoque interpone: nihilominus nostra ratione Tibullus, sedecim annorum juvenis, quo tempore ætatis Romani plerumque prima stipendia faciebant, Messalam comitatus est. Quinadeo, septemdecim annos natus, huic bello interfuit [1].

Verum enimvero aliud admovent ejusdem momenti argumentum, et Glyceram sibi vadem sumunt, quæ apud Horatium, lib. I, Od. XXXIII, Tibullum domo excludit,

[1] Si, quod vero similius est, opinaris Messalam paulo post victoriam, vel post utramque expeditionem triumphasse.

tanquam ætate provectiorem, et juniori favet, licet ille duodecimum ageret annum, adeo ut necessario Glycera fasciis involutum adamaverit puerum. Hanc odam enim ante Actiacam pugnam, quam in an. 723 incidisse liquet, conditam esse volunt, licet Heynius ipse notet; « Esse » tamen hoc argumentum adeo validum non videtur, » quum odas Horatii non secundum tempus, quo quæque » scripta est, collocatas esse constet. » Neque Spohn. multum huic argumento tribuit. Ego vero suspicor Horatium ea non ante annum 734 cecinisse, tunc præcipue, quum Neæra, quæ, mea sententia, eadem est quæ Glycera, sævitiam in Tibullum exerceret suam ; et ipsa hæc Neæra, nulla alia erat quam Delia nupta, ut optime subodoratus est Spohn. Infra ostendemus Tibullum ad hoc usque tempus amore in Deliam arsisse: agebat tunc, nostra sententia, ætatis annum vigesimum quintum et fieri potuit, nullo sinceri eloquendi generis detrimento, ut *junior*, id est, adolescens *læsa* prænituerit *fide*, non quia *junior*, non quia Tibullus provectioris erat ætatis, quod perquam ridiculum esset; sed casu factum fortasse, ut rivalis nondum idem ætatis ageret, et fortasse contemptui dictum quod Horatius cecinerat. Hic, nullus dubito, familiaritate Tibulli usus, sæpe sæpius adfuerat ejus querimoniis, inter quas certo has etiam proferebat : se indigne ferre, quod adolescens, quod puer fere lactens, vix pueritiæ fines egressus, nunc ipsius puella frueretur, quæ *læsa fide*, pristinique amoris oblita, Tibullum juvenem, ac flore ætatis insignem negligeret. Certo hæc interpretatio nihil habet quod grammaticæ rationi repugnet. Possis tamen cum Dacerio statuere accipiendam esse vocem illam, ita ut *junior* dicatur, qui

ultimo loco sese puellæ amori obtulerit, qui Tibullum, pristinum amatorem, de sede dejecerit.

Horatium alio adhuc modo sibi opem laturum vocant, qui Tibullum aliquot annis onerare volunt. Douza omnino negat illum qui anno 689 natus, si viginti annis major fuisset quam Tibullus, unquam dixisse Epist. I, IV, 1 :

« Albi, nostrorum sermonum candide judex. »

Et Heynius : « Verisimilius itaque est æqualem Horatii » Tibullum fuisse. Emunctæ naris hominem, qualis erat » Horatius, jam octo lustris vivendo exactis, scripta sua » accuratissime elucubrata, homini adolescenti, viginti » duobus annis ipso juniori, castiganda committere, jure » ac merito puduisset. » Sed quis unquam *castiganda* dixit? De judicio agitur, non de castigatione. Quis unquam sanus poeta talem judicem recusaret? quis elegantissimi scriptoris sententiam rejiceret, juvenilem ætatem causatus, quæ tamen aptissima carminibus? Denique, quis Horatium cultissimum Romanorum, impediet quominus Tibullo, pariter egregio poetæ, meritam tribuat laudem, eamque, qua comitate erat, etiam supra veri fines extollat? Perquam absurdæ sunt hujusmodi subtilitates, quod Spohnius quoque intelligere videtur. « Nihil amplius tamen ei tribui potest, quam parum probabile esse Horatium amico et familiari atque *sermonum judice* usum esse, qui circiter unius et viginti annorum spatio junior esset. » Mihi vero secus videtur : exempla non desunt; neque opinor nostris diebus ullum ætate provectiorem poetam illustris *Casimir Delavigne* judicium recusaturum, licet eum pluribus præcedat annis.

Ecce jam aliud quidpiam afferentes recurrunt. Nam Ovidius, Trist. II, vs. 464, ad Augustum scripsit

« ...... legiturque Tibullus,
« .... et jam te principe notus erat. »

Quî fieri potest, exclamant, ut poeta anno 711 natus, anno U. C. 727 jam notus esset. Hoc enim Octavianus princeps salutatus. Nonne sibi, prætexta nondum posita, carminibus compositis gloriam quæsivit? Mira sane consecutio, quæ nos in fugam verteret, nisi, ipsa facti mentione foret manisfestum, Ovidio, aliquid hic proferri, quod præter solitum accidisset; aliter non video, cur de hac re meminisset, quod certo minus fecisset, si Tibullus annum expectasset trigesimum, antequam Musas coleret. Cui bono, quæso, voce *jam* usus est, nisi ut declararet illum, admodum adhuc juvenem, pulchre cecinisse, atque omnibus admirationi fuisse. At annos nunc ipsos numerare libet. Nostra ratione decimum octavum agebat ille; illorum vero ratione, qui 711 pro natalitio agnoscunt, decimum septimum. Id ætatis pariter erat magnus Galliarum poeta, *Voltaire*, quum *jam notus* epicum carmen condidit. Idem ætatis fere erat ille, quem paucis abhinc lineolis nominavi, quum sublimibus odarum numeris patriæ clades deflevit, nostrosque milites celebravit, qui, licet occisi, truci adhuc vultu eum pavorem injiciebant hostibus, ut ne victores quidem illos intueri auderent. De stultissima lectione *natus*, quam nemo hoc loco defendit, omnino tacendum existimo.

Quæcumque nobis impedimento erant jam longe removentur. Restat tamen, ut illos insulsitatis arguamus, qui Tibullum jubent ante an. 711 nasci, eumque ad an. 690

usque retro trahunt; quorum rationibus anno demum trigesimo tertio prima stipendia fecit, vel, si annum 695 eligas pro natalitio, nulli ante octavum et vigesimum annum interfuit expeditioni; quin adeo, ut hæc evincas, opus erit, ut nulla certa fide confirmatam suppositionem sequaris, nempe interfuisse Nostrum jam Actiacæ pugnæ, ut volunt quidam; cui, si minus interfuit, non ante annum trigesimum et sextum stipendia meruit prima. Idem obtinet, licet minus absurde, si Tibullum an. 700 vel 705 cum Ayrmanno procreare velis.

Domitii Marsi epitaphium Tibulli quoque interpretum rationibus aliquid turbationis adtulit :

« Te quoque Virgilio comitem, non æqua, Tibulle,
» Mors JUVENEM campos misit ad Elysios. »

Juvenem? quomodo *juvenem*, quem annis onerarunt, ausus est Domitius Marsus hoc loco dicere! Ad Servii ergo Tullii leges confugiunt, e quibus *juniores* appellabantur, qui annum ætatis XLVI nondum excesserant. Num etiam puellis in amatore deligendo hac politica divisione utendum erat? ut ego opinor, ne poetis quidem. Horatius nobis in promptu erit. Hic aperte testatur æternas naturæ leges etiam Romæ præcipuum obtinuisse locum, utpote qui ipse de se dicat, Od. II, IV, 22 :

.... Fuge suspicari
Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere lustrum.

Vulgari sermonis usu *juvenes* dicebantur, qui revera juvenes: non eodem modo loquitur poeta, quo magistratus, qui ad arma capessenda provocat. Neque concesserim Domitium Marsum id simpliciter eo indicasse, Tibullum tempore, quo nondum exspectari potuerit, ereptum esse; quod, si

illi in animo fuisset, facile potuisset exprimere. *Juvenem* dicit Nostrum; et Hieronymus Alexandrinus interpretatur, « *obiit adolescens.* » Contra Heynius Sallustium memorat, qui C. Cæsarem triginta sex annos natum, quum summi pontificatus apicem peteret *adolescentem* vocare non dubitavit. Sed quid ad rem? Idem fecit, quod in dies adhuc vidimus : nam simul ac quemdam comperimus munus sibi vindicantem quod provectioris ætatis plerumque viris tribuitur, eadem fere locutione utimur, *adolescentemque* eumdem declaramus, quem fortasse ut seniorem irrideremus, si amori indulgeret, more juvenum : nam illius respectu tantum *adolescens* est, quod adhuc immaturus petit ac ambit, quodque plerumque senioribus tantum, vel lege, vel consuetudine conceditur. Multum autem abest, ut *juvenis* vulgari sermonis usu idem dicatur, vel etiam adolescens. Restat adhuc, ut de alio referam argumento, quod Spohn. suppeditat, nempe « quod Tibullus e Douzæ ratione an» num ætatis agens XLV obiisset; quæ quidem ætas pro» vectior videtur, quam ut Tibullus Virgilio, LI annos » nato, itaque sex tantum modo annorum spatio seniori, » non *æqua* morte juvenis additus comes dici potuisset. » Huic tamen interpretationi non nimium tribuam fidei, quippe quæ etiam aliorsum trahi possit.

In hac disquisitione, argumentis ex Carmine IV, 1, sumptis omnino abstinui, utpote quod a tenebrione quodam profectum sit. Sibi habeat ille versum 189, lib. IV, carm. 1:

« Nunc desiderium superest; nam cura novatur. »

Et ibid, vs. 185 :

« Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci; »

Suaque faciat argumenta inde nata, quæ Tibullum jam

urbis conditæ anno 713 adultum esse volunt. Perspicua sunt quæ docuimus, nituntur que ita validis rationibus, ut etiamnum iterare assertionem ausim, quæ Tibullum an. 710 nascentem nobis ostendit.

Cæterum equestri ordine ortus est, sed parentes ignorantur; ignoratur quoque prænomen, neque de patria satis constat. Sed ut merito notat Bachius, conjicere licet eum rure primam pueritiam exegisse, ex Eleg. X, lib. I, 15:

« Sed patrii servate Lares; aluistis et iidem
» Cursarem vestros quum tener ante pedes. »

Et si, ut aiunt, opes pro parte, Principis gratia, recuperavit, non multum a vero recedere videntur, qui eum locum poetæ pro natali assignant, ubi Latinorum olim oppidum, Pedum nomine exstitit, medium inter Tibur et Præneste. Nam Horatius Epist. lib. I, IV, 2:

« Quid nunc te dicam facere in regione Pedana? »

Sed hoc mera conjectura est, non satis firma ratione fulta, quæ tamen non parum verisimilitudinis inde lucratur, quod sub finem vitæ, paternas sedes adhuc possidebat Tibullus, ut ex elegia de Nemeseos avaritia patet: « *Sedes jubeat si vendere avitas.* » Poeta, cujus opes imminutæ erant, non plura videtur retinuisse prædia; et si illud in regione Pedana habuerit; si avitæ sedes dominum nondum mutarint, lubenter dixerim Albium nostrum ex hac Latinorum prisca regione oriundum esse.

§. II. *De puellis quas amavit Poeta.*

Si quæ supra diximus placuerint, duo erunt omnino, quæ manifesto e Tibulli carminibus eminere dicentur: nempe illi tunc *natalem* celebratum fuisse *primum*, quum *cecidit fato*

Consul uterque pari; et hoc insuper, interfuisse poetam nostrum bello Aquitanico; deinde Messalæ ad aliam expeditionem accinctum, et comitem morbo oppressum, Corcyræ remansisse. Verum multa sunt præterea quæ facile aliunde haurire possis; et te jam monuimus id successu maxime prospero ab illustri Spohnio factum esse; qui eruditus vir nihil non fecit, ut nostri poetæ vitam per varias rationes illustraret, diligenter carmina legendo, atque inter se componendo. Non tamen in omnibus eamdem sententiam amplexi sequimur; quæ res, ut jam dixi, me impulit, ut novam disserendi viam ingrederer.

At nunc jam in eo sumus, ut indagemus quot puellas amaverit Tibullus, quæ et quales fuerint, quo ordine et quo tempore eas amore prosecutus sit; nam in hoc quoque dissentiunt editores.

Quatuor omnino in carminibus comparent: Delia, quæ in libro primo celebratur; Nemesis, cujus est secundus; Neæra, quæ tertium habet; denique Sulpicia, quæ, una cum Cerintho, minora carmina libri quarti et secundam libri secundi Elegiam tenet. Horatius insuper de Glycera quadam meminit, lib. I, od. XXXIII:

« Albi, ne doleas plus nimio, memor
» Immitis Glyceræ: neu miserabiles
» Decantes elegos. »

Hinc sequitur, ut Albio nostro quinque etiam puellas largiri possis. Nos vero sententiam, quam in argumentis declaravimus, demonstratione censemus fulciendam: dicimus nempe, Tibullo duas omnino fuisse puellas; Neæramque et Glyceram nihil esse aliud quam ficta nomina illius, quæ Delia in primo libro vocatur. Quod ad Sulpi-

ciam attinet, jam dudum apud omnes constat eam non a Tibullo, sed ab ejus quodam amico adamatam fuisse, ita ut poeta carmina ad hunc ignem celebrandum suppeditaverit.

Plerumque argumentis ab illustri Spohnio prolatis utar, licet in ordinandis elegiis multum ab eo recedam; præivit enim ille meam sententiam. Non tamen dixerim Tibullum, per omnem vitæ cursum, duabus tantum puellis usum esse : ipse obloqueretur, Eleg. I, v, 39;

> « Sæpe aliam tenui... »

Ex quo patet indulsisse interdum variis voluptatibus poetam nostrum. Id solum assero, nullas amore prosecutum esse præter Deliam et Nemesin; nullasque alias carminibus celebrasse. Id etiam contendo, fictitia fuisse et hæc nomina, quibus addas Phrynen; cui appellationi manifesto sublatet * Nemesis, in eadem elegia decantata.

Nunc anquiramus, quænam fuerit Delia illa, quæ Tibulli prior fuit puella, et de qua Ovidius, Amor. III, IX, 53 :

> « ..... Nemesisque, priorque. »

Hoc enim loco manifeste patet hanc Deliam ordine temporis ante Nemesin, neque eamdem cum illa fuisse, ut quidam interpretes, magnam animi levitatem professi, voluerant. Legimus, Am. III, Eleg, IX, 53 :

> » Cumque tuis sua junxerunt Nemesisque, priorque
> » Oscula; nec solos destituere rogos.
> » Delia discedens : Felicius, inquit, amata
> » Sum tibi : vixisti, dum tuus ignis eram.
> » Cui Nemesis, Quid ais? tibi sint mea damna dolori?
> » Me tenuit moriens deficiente manu. »

Et paulo supra, vs. loc. cit. 31, idem Ovidius cecinerat :

* vel textus depravatio, vel lena illas tabellas portans quas scripserat Nemesis, etc.

« Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt;
» Altera, cura recens; altera, primus amor. »

Ita nihil superest dubiiTibullo duas præcipue dilectas fuisse, quarum prior Delia, altera vero Nemesis. Reliquas autem vel minoris fecit, vel saltem iisdem, Deliæ nempe vel Nemesi, alia nomina tribuit.

Deliæ ipsum nomen fictitium fuisse claris verbis nos edocet Apuleius : ait enim ; « Eadem opera accusent Ca- » tullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit; et Pro- » pertium, quod Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet; et » Tibullum, quod ei sit *Plania* in animo, Delia in versu. » *Plania* itaque verum Deliæ nomen erat; sed in hoc quoque multum variant libri et interpretes, ut jam ad lib. I, El. 1, vs. 57 notavimus. Apud Hieronymum Alexandrinum in edit. Huschkii legimus: « Tibullus, qui ad Deliam elegiaco » metro scripsit. Sic enim, quæ nomine vero Plautia voca- » retur, hoc isto ficto nomine, ac non suo appellavit. » Spohn. existimat errori typographorum deberi, quod apud Brouchkusium exscriptum est, Plantiam legi in codice Fulvii Ursini, teste Scipione Gentili. Idem Spohn. notat : « Neque tamen negligendum est Planciæ nomen » placuisse Petro Crinito, lib. III, de Poet. latin. Præ- » terea vero Casaubonus, p. 133, conjicit Flaviam eam » appellatam fuisse, quod a Colvio probatum est, uti re- » fert Brouchkusius, et ab Elmenhorstio editum, p. 279. » Idem Colvius *Plancam* suspicatus est, quod nomen » Ayrmanno placuisse Heynius perhibet. » Hæc præfatus, declarat Spohn. se in vulgata *Planiæ* lectione acquiescere, donec e novis codicum copiis aliud nomen magis fuerit comprobatum. Nos idem facimus cum Pricæo et Brouckhu-

sio. Codices Rom. et Flor. etiam conspirant. Sed quod, mea sententia, litem omnino dirimit, Lapides a librariorum errore immunes, firmis ac æternis literis, *Planiæ* nomen servant, ut mere Romanum; quæ causa fuit cur exclamaret Brouckhusius : « Esto igitur Plania nomen » Romanum; sed sic ut Deliæ datum fuerit, vel a domina, » vel a patrono : erat enim libertinæ conditionis. » Nos vero videamus quomodo hanc in genuinum statum revocare possimus, triste Brouckhusii judicium effugientes, aliorumque, qui, non pauci numero, puellam ab ingenuitate arcent. Omnes in hoc anteivit Turnebus, Advers. I, XXIX, c. 31, p. 1074: « Honestæ et ingenuæ matronæ » vittatæ et stolatæ erant; non item libertinæ, ut hinc » suspicer amicam Tibulli libertinam esse. Nam in libertinis non vindicabantur Veneris furta, ac ex eo ordine » multæ meretrices erant. »

Quod vero Turnebus suspicatus erat, alii pro certo edixere, ut Heynius, Præfat. pag. 64, in Obs. pag. 150; Wunderlich. pag. 81; Bachius, pag. 35 et 72; H. Vossius, pag. 10. Solus, quod sciam, Ayrmannus ante Spohnium Deliæ partes suscepit. Heynius Ayrmannum confutare noluit, remque verbis nimium superbis confecit, *temere contra id pugnante Ayrmanno*. Quibus argumentis usus sit Ayrmann. prorsus ignoro; nam, licet nihil non fecerim, ut opusculum quod an. 1719, Wittembergæ, de Vita Tibulli edidit, mihi inspicere liceret, tamen illud non assecutus sum. Nullus enim bibliopola mandata mea de hac re perficere potuit, etsi maximam adhiberet diligentiam. Comperio nunc, ex ipsis Spohnii verbis, eum non felicius in hac re versatum fuisse, quippe qui dicat: « Quum vero

» neque ex ipso auctoris libello, quem nondum vidimus, » neque ex alio quoquam ejus argumenta cognoverimus, » nova jam sunt nobis quærenda. »

Tibullus ipse adeundus est; nam nituntur plerumque interpretes loco qui apud eum lib. I, Eleg. VI, vs. 67, occurrit:

« Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos
» Impediat crines, nec stola longa pedes. »

Nunc alios quosdam Ovidii versus inducamus, ut inde illius formulæ sensum et nexum explicemus.

Ait, Art. Am. I, vs. 31:

« Este procul vittæ tenues, insigne pudoris;
» Quæque tegis medios, instita longa, pedes!
» Nos Venerem tutam, concessaque furta canemus,
» Inque meo nullum carmine crimen erit. »

Idem, Trist. lib. II, Eleg. Unic. vs. 245 ad Augustum:

» Neve quibus scribam possis dubitare: libellus
» Quatuor hos versus e tribus unus habet.
» Este procul, etc....... »

Et subinde pergit hoc modo:

« Ecquid ab hac omnes rigide submovimus arte,
» Quas stola contingi vittaque sumta vetat?
» At matrona potest, etc......... »

Et vs. 255, addit:

« Nil igitur matrona legat....... »

Spohn. tertium adhuc locum laudat, depromptum ex Epist. ex Ponto, lib. III, ep. III, vs. 49, ubi, ad Amorem Deum conversus:

« Scis tamen.............
» Non me legitimos sollicitasse toros.

» Scripsimus hæc istis quarum nec vitta pudicos
» Contingit crines, nec stola longa pedes.
» Dic, precor, ecquando didicisti fallere nuptas? »

Nullus sanus inficiari poterit apud Ovidium istis verbis designari matronas pudicas et honestas; an etiam apud Tibullum? Primum, ipsa si conferas loca, non tanta intercedit similitudo, ut necessario dicas Tibulli distichon Ovidio, quum hæc scriberet, ob oculos fuisse. Spohn. cui hanc observationem acceptam refero, addit utrique eamdem vestitus speciem indicandam fuisse, ita ut *vittam et stolam longam* nominare debuerit uterque, æque ac *crines* et *pedes*. Cæterum, nulla similitudo adest. Sequitur Tibulli distichon aliorsum facile trahi posse. Spohn. opinatur de Vestalibus agi, quæ, æque ac matronæ, stolis ac vittis insignes, Deliæ opponi possunt hoc loco, ubi de pudicitia et castitate maxime sermo est : itidem fecit Bauer, qui existimat poetam monere ut amica se caste gerat, licet Vestalibus non sit adnumeranda. Quis enim, dummodo mentis compos sit, puellæ suæ statum libertinum objiciat. Sic locum interpretatur : « Fac modo, cara mater, ut filia » minus peccet, quamvis non nimis pudica sit; atque ut » minus saltem aliorum amore captetur, etiamsi castos » matronæ pudicæ, virginisve Vestalis mores non imite» tur. » Parum apte, opinor, diceret : « Doceas filiam pu» dicam esse, et minus peccare, quamquam libertina sit, » et nescio an parum conveniret, ac deceret ipsum, ut nobiliore loco natum, facta ejus rei mentio. Mireris enim poetam, qui amicam et dilectissimam amicæ matrem admoneat humilioris sortis, et inferioris loci quo sint natæ.

Alia insuper attulit Spohn. eaque adhuc majoris mo-

menti. Locum ipsum transcribam, ne forte referendo aliquid illi ponderis demam.

« Neque vero illud animadvertisse videntur interpretes, » Tibullum de præsenti futuraque puellæ vita loqui, *quamvis non vitta ligatos impediat crines, nec stola longa pedes* dicentem. Si ista quam inesse volunt, horum » verborum inesset vis ac significatio, potuisset Tibullus » antea, quum illa adhuc puella esset, hoc dicere ; saltem » per verborum significationem hoc liceret. Eo autem » tempore, quo dixit, ne hæc quidem illam explicationem » admittit, alioquin diceret etiamnum eam libertinam » esse, atque illa sorte et conditione uti. Non potuit au- » tem hoc dicere, quum illa jam esset uxor *divitis viri*, » manusque *gemmis signoque* haberet ornatas, id est an- » nulis qui sculpta imagine et gemmis essent conspicui. » Inde minus etiam quam antea convenire videtur ista » explicatio : *castam esse doceas, quamvis non sit honesta* » *matrona, sed libertina*. . . . . . Si fuit libertinæ originis, » saltem ex hoc loco id doceri nequit, quod etiam Tur- » nebus probe sensisse videtur, quippe qui se *suspicari* » tantum declaraverit. Quod si quis ex illis manuum or- » namentis aliisque rebus colligat Deliam, neque condi- » tionis libertinæ fuisse illo tempore, neque omnino ori- » ginis ; is alteram illarum explicationum e qua Tibullus » optasse putatur, ut mater castam esse doceat, quamvis » Vestalium virginum pudicitiam non imitetur, præferat » necesse est alteri quæ hæc est : doceas modo castam esse, » etsi nunquam castissimarum matronarum mores habi- » tumque velit imitari. »

Hæc Spohnius, quibus addam Neæræ res easdem esse,

quam Deliæ, ut infra ostendemus, unde sequitur Neæram, si ingenua fuit, Deliæ quoque genuinum statum servare. At de Neæra nihil dubii adesse manifestum est ipsis Tibulli versibus.

Verum enimvero ad Deliam revertendum est. Hæc in Tibulli Elegiis libri primi, I, II, III, V, VI, comparet; et lubenter crediderim decimam ejusdem libri huc referri pariter, ac tertium decimum quarti libri carmen : optime enim hoc modo cum poetæ vita conciliantur. Scimus ex Ovidii Am. lib. III, El. IX, Deliam Tibulli primum fuissse amorem. Adamavit eam itaque juvenili ætate florens, ut ait Spohn. Quod ad me attinet, opinor illum anno ætatis fere decimo septimo, vel decimo octavo, e Gallia reversum, amore in Deliam captum fuisse. Sed jam novum instabat iter novusque belli labor. Messala qui vix Gallos subegerat, Ægyptios nunc aggressurus, et Italia cum classe profecturus, Tibullum etiam comitem ac clientem sibi sumserat. At ille, amori deditus, bellicas nunc artes detestatus, tunc carm. X, lib. I, ratione temporis primum, exclamatione vehementissima et animi maxima perturbatione edidit :

« Quis fuit horrendos primus qui protulit enses ?
» Quam ferus, et vere ferreus ille fuit! »

Tibullus ille, qui nuper bellator, Gallos devicerat, nunc, puellam in deliciis habens, id tantum curat ut se illius amori servet incolumem, ibid. 14:

» Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis
» Hæsura in nostro tela gerit latere. »

Deliæ nomen, licet in hac Elegia non occurrat manifesto, in id tempus incidit, quo Tibullus illam deperiit. Nam

duabus tantum expeditionibus interfuit, Gallicæ nempe et Ægyptiacæ; neque huic ad finem usque, utpote qui valetudine impeditus, Corcyræ remanserit. Ipse ait I, III, 3:

« Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris. »

Utram nunc eligas expeditionem de qua imminente talia caneret ille, in Deliæ amorem incidat necesse est; nam fuit hæc poetæ primus amor, cujus illecebris, post susceptam iterum militiam, adhuc tenebatur. Nam ipse, I, III, 9:

« Delia non usquam est quæ me quam mitteret urbe,
» Dicitur ante omnes consuluisse deos. »

In Eleg. x, lib. I, de qua hic agimus, iter illi jam ob oculos versabatur, et hanc novam expeditionem detestabatur, non animi prava ac imbelli indole; fortiter enim sese gesserat in Gallia; sed vinculis mutui amoris a cæde et præliis avocari videbatur, etsi in Elegia de puella tacet. Hinc sequitur decimam Elegiam ordine primam esse, et ad Planiam, vel potius ob Planiam, scriptam fuisse, quæ jam in *animo* erat, nondum *in versu*, ut Apuleii verbis utar.

Proficiscitur tamen Tibullus, et, morbo oppressus, tertiam libri primi Elegiam scribit: nunc primum Deliæ nomen comparet, et fictum quidem. Ex ipsis quas memorat rebus cognoscimus poetæ amorem prospere successisse, antequam Roma discederet. Ibi nempe, 23 sqq.

« Quid tua nunc Isis mihi, Delia? quid mihi prosunt,
» Illa tua toties æra repulsa manu?
» Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
» Te, memini, et puro secubuisse toro? »

Inter ægritudinis sollicitudines nihil antiquius habet, quam ut, mox refectus, Romam repetat. Ibid. 89:

« Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante:
» Sed videar cælo missus adesse tibi. »

Et bello redux composuit, mea sententia, illud carmen quod nunc in fronte libri legitur (I, 1,) : in hoc quoque bellum abominatur; vs. 57 :

« Non ego laudari curo, mea Delia; tecum
» Dummodo sim, quæso, segnis inersque vocer. »

Ad idem tempus carmen XIII libri quarti referendum; idem ruris amor, idem eminet gloriæ contemtus; ibi scilicet, vs. 7 sq. :

« ...... procul absit gloria vulgi,
» Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. »

Et paulo infra vs. 9 :

« Sic ego secretis possim bene vivere silvis. »

Hæc sunt carmina, quæ Tibullus tunc cecinit, quum maxima felicitate uteretur, atque puella sine æmulo frueretur eaque adhuc innupta et virgine, ut e tota Elegiarum ratione intelligitur. Delia etiam in Elegia secunda, in quinta et in sexta nominatur; sed modo longe diverso : Tibullus ipse testatur fuisse eam alius cujuspiam uxorem, lib. I, Eleg. II, vs. 43 :

« Nec tamen huic credet conjux tuus......

Ibid. vers. 57 :

« Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
» Non sibi, si in molli viderit ipse toro. »

Ejusdem libri, Eleg. VI, vs. 8 :

« Sic etiam de me pernegat usque viro. »

Ibid. vers. 29 :

« Non ego te læsi prudens..... »

Et vers. 33 :

« Quid tenera tibi conjuge opus.... »

In quinta Elegia ejusdem libri, vs. 48, imprecatur Lenæ, cui

infortunii causam tribuit; denique in idem tempus carmen decimum quartum libri quarti refero, ubi surdas sibi aures esse vellet, ne malum de puella rumorem reciperent.

Quî fit tamen ut puella illa quæ nuper omnis Tibullo adhærebat, subito alterius uxor memoretur, nulla interposita transitione, nullis querimoniis a poeta editis? Quî fit ut illa nihil curet, nisi ut more libidinoso novum decipiat maritum? Evanuitne ille exquisitus amor? an ille qui amicam puro ac flagrante deperibat igne, tam subita mutatione, ea tantum pro pellice usus est; neque alienas nuptias deflevit, antequam perficerentur? Hoc ut concesserim, nullo modo adduci possum. Spohnium audiamus mecum sentientem.

« Quæ ad virginem scripta sunt, omnia dulce, suave et » mite produnt ingenium, amorem produnt flagrantissi» mum, talemque cujus causa poeta gloriam et honores » posset aspernari. . . . . Nihil in iis lasciviæ, nihil in» temperatæ libidinis; plura autem tenerrimi sensus in» dicia deprehenduntur. Agrorum solitudinem vitæque » rusticæ umbram, cujus laudibus referta sunt omnia, » sibi quam maxime exoptat, in qua cum Plania felix et » beatus vivere possit. Illam vero puellam in hisce car» minibus celebrat, non tanquam primam modo, sed » unam, quam amet, quam possit amare, et ad mortem » usque amaturus sit. In reliquis autem, quæ ad nuptam » data sunt, lene illud et suave ingenium, tranquillum, » mite et sedatum dicendi genus, vitæ rusticæ desiderium » prope nusquam conspicitur, nisi quando ad priorum » temporum memoriam relabitur, ut lib. I, El. V, 9-36; II, » 67-80. Sed florens, pictum et expolitum genus ora-

» tionis furtivos et illicitos amores adumbrat, elatum et » irascentem ostendit. Variis animi affectibus agitatus, » inter minas et preces modo incitatius, modo lenius Pla- » niam permovere studet, ut maritum fallat. Ubique non » solum hilare, sed leve etiam vivendi genus et sentiendi, » petulans adeo et lascivum fruendi potius quam amandi » studiosum, potest animadverti. Quid multa? illic amave- » rat, hic concupiscit; quæ quomodo differant conspi- » cuum est. »

Tanta rerum commutatio non aliter fieri potuit, quam si concedas medium præterlapsum fuisse tempus satis longum, quod etiam Spohn. declaravit : « Num probabile » putarunt Tibullum, qui tanto desiderio tantaque ve- » hementia Planiam amabat, ne versiculum quidem fe- » cisse, ut mœrorem ex infelicissimo amore conceptum » declararet? Ferreus fuisset Tibullus, planeque a se de- » fecisset, si Planiam flectere ac permovere, si ad pristi- » nam benevolentiam, amicitiam, fidem eam revocare ne » tentare quidem voluisset. Potuisse enim Tibullum facere » ista omnia, nemo sanus negabit; ac si verbis opus esset, » ne ad carmina libri tertii provocem, Horatius testaretur » periisse multa carmina quibus Neæram celebravit; alia » quibus perfidiam Glyceræ defleverit, nonnulli sumserunt. » De carminibus quibus Planiam, omnium maxime ama- » tam, sibi ereptam deplorarit, nemo monuit. »

Huic lacunæ ut medeamur, ad Neæram transeamus. Interpretes sese in explicando nomine exercuerunt. Vulpius hoc a Græcis verbis νέος et ἄιρω derivat; Vossius in præfatione putat apud Virgilium, Eclog. III, vs. 3, et Horat. Epod. XV, vs. 11, eo servas aut libertas Græcæ originis

indicari. Bachius autem præfat. XXXVIII annotavit, Neæræ nomen jam apud antiquissimos in usu fuisse; et eo usus est Homerus, Odyss. lib. XII, vs. 133:

« ... Θεαὶ δὲ ἐπιποιμένες εἰσὶν
» Νύμφαι εὐπλόκαμοι, Φαέθουσά τε Λαμπετίη τε
» Ἃς τέκεν Ἠελίῳ Ὑπερίονι δῖα Νέαιρα. »

Inter primarias Lemni mulieres numeratur *Neæra*, Valerio Flacco, lib. II, vers. 141; cujus Neæræ faciem induerat Fama, ab irata Venere missa, ut Lemniadas ageret in furorem parricidialem. Brouckhusius, hisce exemplis fultus, pronuntiat: « Est enim *Neæra* nomen proprium, absque » ulla probri aut dedecoris significatione. » Forcellinus in Lexico ait Neæræ nomen Nymphæ esse, aut puellæ cujuslibet. Bachius, quem supra citavimus, ait « Ad puellas » proprie translatum esse, quæ levitatis et perfidiæ no- » mine suspectæ haberentur. » Georg. Fabricius id nomen pro quavis intemperante muliere et lasciva poni contendit. Sane Aurelius Prudentius eo sensu illud usurpavit. Alius qui, æque ac Fabricius, in Prudentium glossas adtulit, *Neæram pellicem* vel *concubinam*. Spohn. solus ad hanc diem, scopum attigisse videtur, qui notat ex omnibus poetarum locis nihil amplius posse demonstrari, quam usitatum fuisse iis hoc nomen, quo amatam quampiam puellam indicarent; eosque haud raro aut fictam aut veram amicam hoc nomine significasse. Sic eo usus esse videtur Horatius, lib. III, Od. XIV, vs. 21, ut amicam quampiam advocaret, aut fingeret saltem se advocare. Eodem modo Virgilius, Eclog. III, vs. 3, quodvis aliud nomen ponere potuisset.

Pergit Spohn. demonstrando, et ait : « Prudentius de » Coron. Hymn. X, vs. 239 :

« Fusos rotantem cernimus Tirynthium ;
» Cur, Si Neæræ non fuit ludibrio ? »

» Et contra Symmachum, lib. I, vs. 139 :

« Hanc jubet assumtam fervens post vina Neæram
» Secum in deliciis fluitantis stare triumphi. »

» Illic Omphalen Herculis, hic Ariadnen Bachi innuens. » Quum amicam et amatam puellam omnino potuisset in- » dicare, certo quodam nomine usus est, quod in indi- » candis ejusmodi puellis præcipue usitatum esse cogno- » verat. Simili modo inter nostrates dicere posset aliquis, » alius cujuspiam amorem commemorans : hanc ille de- » periit Lauram, hanc iste Cæciliam, et, si quod præterea » nomen celebratum est a claris poetis, aut suos aut alio- » rum amores canentibus.

» Inde patet poetas hoc nomine tum quoque uti po- » tuisse, quum amicam indicare vellent quæ minus » esset fida; ita Horatius, Epod. XV, id adhibuisse vide- » tur, non quod levis ejusmodi puella significaretur, sed » quod hoc nomine eam appellare mallet quam Chloes, » vel alio quopiam. »

Absint itaque quæ Heynius inter somnia de origine Græca narravit, peregrinam propriis sumptibus Romam adducens cui postea justis nuptiis cum equite Romano interdicit; ipse tamen fatetur Neæram non humili loco natam esse. Bachius hanc juvenilibus Tibulli annis insignem fuisse vult, invito Ovidio, qui Deliam priore loco nominat. Ayr-

mannus Neæram cum Nemesi confundit, etsi omnia quæcumque scimus, contra faciant, et Deliam potius requirant.

Primum, ut videtur, nata erat Neæra illa in domo liberali, non humili loco; parentes habuerat divites atque honestos. Legimus enim lib. III, Eleg. IV, vs. 92 :

> « Sed culta, et duris non habitanda domus. »

Idem colligit Vossius e sumptuoso apparatu quo poeta funus suum ab illa ornari vult : jubet ut ossa lacte spargant Neæra et mater; III, II, 23 :

> « Post hæc carbaseis humorem tollere velis,
> » Atque in marmorea ponere sicca domo.
> » Illuc, quas mittit dives Panchaia merces,
> » Eoique Arabes, pinguis et Assyria
> » Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem. »

De parentibus autem Deliæ legimus, lib. III, IV, vs. 93 :

> « Et longe ante alias omnes mitissima mater,
> » Isque pater, quo non alter amabilior. »

Alio in loco se a Neæræ matre mortuum lugeri vult, III, Eleg. II, vs. 12 :

> « Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.
> » Sed veniat caræ matris comitata dolore,
> » Mœreat hæc genero, mœreat illa viro. »

Nunc tu, amice lector, in memoriam revoca quæ de Deliæ matre cecinit Tibullus, libro primo, El. VI, vs. 5, ubi pariter ejus benevolentem in se animum laudat, quamvis infidæ puellæ succensens :

> «...... Sed tua mater
> » Me movet, atque iras aurea vincit anus. »

In eadem Elegia, vs. 63, ipsam alloquitur matrem :

« Vive diu mihi, dulcis anus : proprios ego tecum
» Sit modo fas, annos contribuisse velim. »

Et vers. 65 :

« Te semper, natamque tuam, te propter, amabo.
» Quidquid agat, sanguis est tamen illa tuus. »

Fuit, ut videtur, mater Deliæ a Tibulli partibus, sub ipsum mutui amoris initium. Nam, Corcyræ valetudini obnoxius, et de reditu cogitans, exclamat I, III, 84 :

« Assideat custos sedula semper anus. »

Quinadeo, illa jam nupta, nihilominus Tibulli ignem fovebat mater, tempus et occasionem significans, ut uterque furtivo amore frui posset; lib. I, Eleg. VI, vs. 59 :

« Hæc mihi te adducit tenebris, multoque timore
» Conjungit nostras clam taciturna manus;
» Hæc foribusque manet noctu me affixa, proculque
» Cognoscit strepitus, me veniente, pedum. »

At in Neæræ matre eadem benevolentia erga Tibullum, unde necessario statuamus, et Deliæ (id est, Planiæ), et fictæ illi Neæræ, matrem fuisse pariter nostro poetæ faventem, pariterque miti indole præditam.

Videamus nunc an Neæræ res ita comparatæ sint, ut si illas inter Deliæ priores et posteriores interponas, cohærentem inde narratiunculam efficere possis. In prioribus enim amatorem vidimus eumque flagrantissimum et simul beatissimum; nullus adest rivalis, puella tota ejus est qui tam fervido et puro animi affectu amat. In posterioribus, lascivia et effrenata cupido quidquid delicatius erat in amore sustulerunt. Non fieri potuit quin aliquid medium interveniret, et quum semel agnoscamus fictum esse Neæræ

nomen, superest ut indagemus cujus modi fuerit amor in puellam sub hoc nomine latentem. Facile legendo certiores fimus, poetam nusquam ardentius amasse : molles preces et blandas querelas adhibet; sponsam ereptam deplorat; hilaritas hinc prorsus exsulat; anxius amator et mœstus, ærumnarum finem non nisi in morte sperat; denique suspiria et compotationes miscet, varie jactatus, quasi in poculis solatium invenire posset. Æmulus enim, ut apparet, apud Neæram potiore loco erat. Spohn. qua sagacitate est, ex ipsis Elegiis hæc expiscatus est de Neæra: « Poeta » illam sibi *caram conjugem* exoptat, lib. III, El. III, præ» cipue vero, vs. 32; illius conjugium sibi et ab Apolline » promissum dicit (Ejusd. lib. El. IV, vs. 79), et ab ipsa » puella, quam sibi nuptam dicit loco citato, v. 60, fidem » vero datam non servare, ibid. vs, 61, sed alius viri uxo» rem esse malle, ibid. 58, queritur. Præterea quam certo » sperare potuerit fore ut illam in matrimonium ducat, » patet ex Lib. III, Eleg. I, vs. 20. Illa mihi referat *An* » *minor, an toto pectore deciderim*; atque ibid. vs. 23, et » Eleg. II, vs. 14, quibus, propter certissimam conjugii » spem et exspectationem se *maritum*, puellam vero, quam » alibi *nuptam* dixit *conjugem* appellat, et *uxorem* sibi ere» ptam (Eleg. II, vs. 4 et 30). Unde hoc quoque patet » alii cuipiam illam nupsisse. »

Nonne sunt ista Tibulli carmina de quibus interpretes, inter quos eminet Heynius, somniant quum ad lib. III El. IV, vs. 56, *Carminibus celebrata tuis, formosa Neæra*, subjiciant interiisse multa? At quænam quæso, periere, si Delia celebrata in primo libro, nunc Neæra, novo et pariter ficto nomine nuncupatur. Nimium mihi sensum verbi *celebrare*

urgere videntur, qui opinantur periisse carmina de Neæra, quia nihil nisi querelas habemus, minime vero laudes; sed et isti verborum tyranni nobis consentiant necesse est, si illis integrum librum primum concedamus, cui verbum *celebrandi* applicare possint. Mihi vero carmina de Delia, jam ad tædium usque dixi, deesse videntur, minime de Neæra. Hæc si illis adjungas, nexum habebis nulla interruptione Planiæ vitam amoribus comitantem. Hujus enim libri carmina respiciunt tempora longe priora ac feliciora, qualia Tibullus, lib. I, Eleg. I; Eleg. III; Eleg. X; lib. II, Eleg. I, et lib. IV, Eleg. XIII, cecinerat, vel, si mavis, celebraverat; Libri tertii vero Elegiæ, id temporis indicant, quo poeta de amore ac fide puellæ dubitare cœperat, evanescente paulatim spe quæ supererat, et crescente in dies perfidiæ suspicione, donec omnis dubitatio evanuerit.

Quum duas tantum puellas ab Ovidio memoratas vidisset Heynius, merito inde conclusit Ovidium eas modo nominare voluisse, quæ præcipue essent insignes aut potiore loco habitæ : Neæram vero putat idcirco prætermissam, quia concubina fuerit. Sed id ipsum nobis fulcro est, quia Neæram, si cum Nemesi conferas, ubique insigniorem ac potiorem invenies. Nam, ut Spohn. notat, in quamnam plura fecit carmina et puellam magis celebrantia? Quatuor Nemesin memorant; at vero, pergit Spohn. ipse dinumeres cum Heynio aliisque quot Neæræ habeant, habuerintque nomen, quum, præter quinque illa, lib. III, I, II, III, IV, VI, multa periisse putet, quibus hæc fuerit celebrata; Nemesis vero earum erat quibus cum aliis communiter frui possunt libidinosi juvenes. Sequitur Ovidium, si Heynio morem gerere voluisset, Neæram debuisse commemorare,

non Nemesin. Cur minus fecerit, in aperto est; eamdem bis nominasset, qui diversas insignire volebat.

Ne nauci quidem facienda est difficultas quam suscitant interpretes, non facile tria nomina ab Ovidio tractari potuisse, qui aliis in locis se nunquam versu impediri passus est, quominus ea ediceret quæ in animo erant. Nullus certo dubitat, Ovidium omnia quæ in vita Tibulli præcipue insignia essent commemorare voluisse; nihil mutavit, nihil omisit. Cur de Neæra, cur de Glycera silet, quæ ab Horatio memoratur, quæque Tibullum ita excruciaverat perfidia, ut præ mœrore ac tristitia, mentis compos non esset? Firmum stat Ovidii testimonium. Planiæ igitur, et Nemeseos amore tantum incensus, nullam aliam diu ac vehementer amavit Tibullus, ita ut necesse Neæræ nomen cum altera earum conveniat; idem de Glycera statuendum. Nusquam indicat Noster se Nemesin in matrimonium ducere velle. Accedit quod eam moriens, teste Ovidio, amabat, tunc quum Delia jamdudum alii nupsisset, quumque Neæra sese jam leviorem esse ostenderat. Adde morum ac conditionis diversitatem. De Nemesi Spohn. hæc notat:

« Etiam hanc libertinæ conditionis fuisse suspicantur, » et majore profecto probabilitate, quam Deliam. Misere » hæc poetam urebat, lib. II, El. IV, vs. 1-7; quapropter » aditum ad dominam nimis duram sibique difficilem car» minibus quærebat, ibid. vs. 19, 20. Neque vero omnino » difficilis erat, sed donis demulceri volebat; de ejus ergo » avaritia queritur, ibid. vs. 20, 55. Spem quidem sui fa» cere solebat, lib. II, El. VI, vs. 27, 49, 50. Attamen, » aliis admissis, 47-52, Tibullum, præsertim quum per» dita lena ita juberet, vs. 44, spretum excludebat.

» Hæc levem profecto ac petulantem animum, et impudicam potius cupiditatem ac libidinem, quam flagrantem amorem produnt. Scit Nemesin alios admittere, neque tam voluptatis et delectationis quam lucri et quæstus studio; ægre quidem id fert, sed profecto non propter amorem quo solus frui vult, sed quod exclusus est, dum alii pulchra illa et amabili puella perfruuntur. »

Vides, amice lector, Nemesin cum Neæra minime convenire, neque cum Glycera; quæ certo si talis fuisset, numquam Nostro *miserabiles elegos* eripuisset.

Dacerius ad Horat. I, Od. XXXIII, ait : « Ce passage » nous peut faire croire que nous avons perdu beaucoup » de pièces de Tibulle, puisque dans ce qui nous reste, il » n'y est point parlé du tout de cette Glycère. » Ego enimvero lubenter cum Spohnio exclamaverim : « Neque desunt » sane testimonia doloris; non desunt carmina, quibus » puellæ fidem et amorem confirmare et stabilire studeat; » quibus declaret quam felix, si fida manserit, quam miser, » si alterum illum ipsi præferendum censuerit, futurus » sit; non desunt quibus eam a consilio capiendo retinere, » a capto revocare, a perficiendo deterrere tentet. Neque » desunt quibus Deliam ereptam lugeat, quibus Glyceram » deploret; habemus tristes illos elegos quos Horatius legerat; leguntur in libro tertio. »

Miram opinionem de Glyceræ et Tibulli amoribus protulit H. Voss. Is enim, postquam asseruisset Ovidium de Glycera siluisse, quod eam omnino non noverit, adfirmat Glyceram a Tibullo post Nemesin amatam fuisse. Unde sequeretur post mortem amasse adhuc Tibullum : nam, si Ovidio confidamus, Nemesis est, quam moriens tenuit *deficiente manu*.

At nos ad propositam demonstrationem jam revertamur, et ostendamus, quam apte Neæræ liber tertius inter Planiæ Elegias intercalari possit.

Hic a Spohnii opinione prorsus recedere coactus sum, qui Bachium ideo insulsitatis incusat, quia de discessu Neæræ secundam Elegiam, et de itinere interpretatus erat. Heynius aliique idem statuerunt; noli tamen inde concludere matrem amori obnisam esse. Potuit multis de causis Roma proficisci, et profecta est sane; neque mirum si, post tot sæcula, ignoratur cur abierit. Abiit certo, neque aliter intellexerim quæ *de dulci reditu*, Eleg. III, III, 27, leguntur. Quod si id significare voluisset poeta, quod ei obtrudit Spohnius, non simpliciter *reditus* voce usus fuisset, alioque modo reditum in gratiam indicasset. Cæterum omnia nostram interpretationem tuentur, licet in absurdum Spohn. cogere velit quæcumque nobis favent poetæ verba, exclametque: « Num in omne tempus abfutura erat Neæra, » neque unquam reditura? Aut in via peritura? » Quis nescit amantibus nihil acerbius evenire posse, quam ut separentur. Contendit Spohnius inficetos fore e nostra ratione versus, lib. III, eleg. II, 1:

« Qui primus caram juveni, carumque puellæ
» Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
» Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
» Vivere et erepta conjuge qui potuit. »

Inficeti erunt sane, si illum ultra interpretationis fines progredientem in hunc locum sævire sinas; scilicet hoc modo ille delirat: « Qui primus dilectam ab alio quopiam vir» ginem sibi in itinere sociam adscivit, dilectumque ab

» aliqua puella juvenem in itineris societatem vocavit, is » profecto ferreus fuit. » Nihil omnino in poetis legitur, quod sic torquendo et depravando in ridiculum sensum non agere possis. Apud omnes constat discessum inter amantes maximum esse infortunium, et inde plerumque calamitates oriri : cujusmodi sunt pristinæ fidei oblivio, vel novi amoris occasio, ut de ipso absentiæ cruciatu taceam. Nihil itaque *eripiendi* verbo inest, quod offendere possit. Poeta hic non matrem designat, nec quemquam in specie, sed omnes quicumque puellas a caris amatoribus, amatoresque a dilectis puellis exsulare jusserunt. Qua exclamatione nihil fervidius, nihil aptius ad designandam Tibulli mœstitiam, ob amicam nunc longe remotam. Nullus itaque dubito, quin Elegia quæ inscribitur secunda, revera et ratione temporis prima fuerit, illas subsecuta quas ediderat felix poeta, tum quum sine rivali puellam amaret, et jucundissima frueretur consuetudine. Profecta vero puella, primos doloris ictus patitur poeta, sed in tertia elegia pro reditu vota facit. Nihil ad hanc usque de rivali compertum habet, nihil supra absentiam ipsum torquere posse existimat, is qui magnas messes negligit, dummodo, procul divitiis, puellam in amplexibus habeat, III, III, 7 :

« Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ,
» Inque tuo caderet nostra senecta sinu. »

In eadem Elegia, quo tristi animi affectu est, de funere cogitat. Itidem in superiore fecerat ; in hisce nulli æmulo imprecatur, nullum adhuc reformidat. Sed in quarta, res jam alio modo se habet ; poeta fortasse audierat amicæ suæ fidem a rivali quodam sollicitari. Quod ne illam offen-

deret, artificio utitur perquam ingenioso, et Apollinem ipsum inducit loquentem III, IV, 52 :

« Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
» Quantum nec cupido bella puella viro :
» Pro qua sollicitas cælestia numina votis;
» Quæ tibi securos non sinit ire dies :
» Et quum te fusco somnus velavit amictu,
» Vanum nocturnis fallit imaginibus :
» Carminibus celebrata tuis, formosa Neæra
» Alterius mavult esse puella viri. »

Neque tamen in desperatis amorem habebat, ibid., vs. 63 :

« Sed flecti poterit; mens est mutabilis illis.
» Tu modo cum multa brachia tende prece. »

Immo poeta his tantis malis fidem recusat, vs. 83 :

« Nec tibi crediderim votis contraria vota,
» Nec tantum crimen pectore inesse tuo. »

Et vs. 79 :

« Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse;
» Felix hoc; alium desine velle virum. »

Ubi Spohnio Delius videtur de industria dici Deus, ut hoc ipso Deliæ nomen simili fere sono in memoriam revocaretur : « Saltem non plane inepte aliquis in reliqua carminis indole, qua omnia tanto artificio composita sunt, » et quodammodo imaginum involucris tecta latent, tectum » quoque consilium in hoc nomine, neque alio quopiam » eligendo suspicari possit. Nos tamen id urgere nolumus, » quamvis Petrarcæ memores simus, Lauræ nomen verbis » *Lauro, L'aura*, et voces *Laura ora*, hac *l'Aurora* celantis, atque aliorum poetarum. »

Sed hic ancipitis vocabuli usus ab antiqua simplicitate,

qua præcipue Tibullus insignis est, mihi prorsus alienus videtur; mera affectatio, nimiaque absconditi sensus consectatio est, quod Spohnio artificium vocatur hoc loco. Poeta qui de puella jam sollicitus erat, Kalendis Martiis, quibus dona ac munera feminis mittebantur, versus suæ fundit, III, I, 8:

« Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis. »

In hac Elegia, incerti atque adhuc sperantis animi indicia conspiciuntur, ibid. vs. 6 sqq.:

« Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen. »
....
» Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
» An minor, an toto pectore deciderim.
....
» Sive sibi conjux, sive futura soror.
» Sed potius conjux: hujus spem nominis illi
» Auferet exstincto pallida Ditis aqua. »

At in sexta et in septima, de perfidia Planiæ jam certior factus, pocula et compotationes requirit, quo importunum possit arcere dolorem; nihil tamen Neæræ vel Planiæ imaginem ex ægri mente depellere potest, qui cum aculeo et subito illius commonefactus exclamat, III, VI, 25:

« .... Illaque, si qua est,
» Quid valeat læsi sentiat ira Dei.
» Quid precor ah! demens! venti temeraria vota
» Aeriæ et nubes diripienda ferant!
« Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neæra,
» Sis felix, et sint candida fata tua. »

In septima ejusdem libri, vs. 19, idem notandum; nempe poetam, ubi se jam sanatum putat, subito relabi:

« Ergo quid toties fallacis verba puellæ
« Conqueror? ite a me, seria verba, procul. »

Credideris certo illum resipiscere, nisi illico subjiceret :

« Quam vellem longas tecum requiescere noctes,
» Et tecum longos pervigilare dies !
» Perfida nec merito nobis, nec amica merenti
» Perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen. »

Hæc perpetua infelicis amoris et animi non resipiscere valentis pugna, hic diversorum affectuum conflictus, Tibullum eo adduxere, ut febri correptus in vitæ discrimen venerit, lib. III, eleg. V, vs. 5 :

« At mihi Persephone nigram denuntiat horam.

Et ibid. vs. 23 :

» Elysios olim liceat cognoscere campos. »

Hæc exclamat in Elegia illa celeberrima, quam ad amicos dedit, qui Baiis agebant. Tunc, ni fallor, ægri amici infortunium intelligens Horatius, perscripsit ad eum quæ legimus, lib. I, Od. XXXIII :

« Albi ne doleas plus nimio, memor
» Immitis Glyceræ, neu miserabiles
» Decantes elegos, cur tibi junior
» Læsa præniteat fide. »

Convaluisse videtur poeta ; quo facto Horatius, quum adhuc ille rure esset, aliam solatii viam ingressus, epistolam lib. I, IV conscripsit. Seriis enim verbis Tibullum alloquitur, atque monet, ut ad hilare vivendi genus velit redire, vs. 6 sqq.

« Non tu corpus eras sine pectore : Dî tibi formam,
» Dî tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
» Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
» Qui sapere et fari possit quæ sentiat, et cui
» Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
» Et mundus victus, non deficiente crumena ? »

Paulatim tamen se ipse refecit Tibullus, ut rursus ad lit-

terarum studium accederet, et ad mitiorem vitæ modum. Spohn. cui hoc in loco consentimus, hæc ita narrat: « In-
» tellexerat tenero illi amori, quo Planiam erat amplexus,
» non esse locum; evulsæ debebant esse ejus radices ea-
» rumque fibræ; alioquin resipiscere non potuisset.....
» amovere, immo despicere et aspernari debebat, quos antea
» toto pectore foverat, tenerrimos amoris sensus, et ad
» aliud genus amoris descendere, si, pristini doloris im-
» memor, vita ejusque voluptatibus volebat frui. Deflexit
» igitur ad id genus, quod et hilare et leve, a petulantia
» et lascivia fruendique et sese oblectandi cupiditate non
» magis erat alienum, quam prius illud, cui se dederat, a
» mœrore et spe et exspectatione melioris conditionis.

» Emersit e variis fortunæ fluctibus, sed, quod inde ne-
» cessario sequitur, non idem ille, neque eodem quo
» antea fuerat animo. Succubuisset enim et periisset, si in
» eodem perseverasset statu. Hinc profecto factum est, ut
» pæne nihil de mœrore, de paupertate, de vitæ rusticæ sua-
» vitate, de bonis amissis, de dulci otii et solitudinis desi-
» derio, in qua possit cara conjuge frui, deprehendatur
» in iis Tibulli carminibus, quæ post hanc tantam animi
» commutationem sunt conscripta. Traxerunt ea colorem
» hilaritatis, quæ alacri et concitato labitur cursu, et le-
» vitatis quæ ad lasciviam nonnunquam deflectit, immo ad
» protervam interdum petulantiam. Planiæ, formosissimæ
» puellæ, nondum oblitus erat, sed frui volebat ea atque
» potiri, licet alii esset nupta. »

Hæc Spohnius, a quo in ordinandis carminibus iterum recedo: nam secundam libri primi Elegiam priori loco ponendam censeo. *Novos dolores* ibi memorat Tibullus ob

custodiam qua a puellæ janua arcetur, et *novos* appellat, illos certo respiciens quos antea ob illius perfidiam senserat. Secundæ quintam successisse opinor; lib. I, v, I :

« Asper eram, et bene discidium me ferre loquebar. »

Videtur quidem adeundi veniam accepisse, lib. I, El. VI, 9-16, 25-32, 59-62. Plania tamen non Tibullo magis fida fuit quam marito, et aliorum amore oblectabatur, quod ubi compertum habuit poeta, libri quarti carmen XIV fecit, ubi vs. I :

« Rumor ait crebro nostram peccare puellam. »

Non facile hoc carmen aliorsum traheres; nam de Nemesi res in aperto; non rumore opus erat, et Delia antequam nuberet, non peccasse videtur.

Tibullus vero, ubi se iisdem artibus deceptum intellexit quibus maritum ipse deceperat, Elegia sexta maritum admonuit, ut uxorem custodiret, matremque imploravit, ut filiæ levitatem coerceret. Neque tamen cum Spohn. crediderim hanc Elegiam revera marito datam fuisse : poetarum more, absentem et inscium illum alloquitur. Insanus prorsus fuisset Tibullus, si ipse commissa furta revelasset, sibique ipse januam præclusisset. Evanuit tamen iste amor paulatim, sive ipse a Plania, sive Plania ab amatore defecerit; quod neque scire possumus, neque scire operæ pretium est.

Hic Planiæ amor Tibullum ab anno U. C. 726 ad 734 vel 735 incendit, utpote qui juvenis septemdecim annorum amare incœpisset, ad ætatis annum vigesimum et sextum constanter amaverit.

Restat ut de Nemesi pauca addamus: Deinde Marathus et Pholoe, Cerinthus et Sulpicia inducendi erunt ordine quisque suo. Sed antequam hæc aggrediamur, H. Voss. nobis abigendus est; is enim integrum Tibullo librum auferens, Lygdamum quemdam ex ingenio creat, cui Neæram puellam condonat, simulque pro dote venustissima carmina quibus illa celebratur.

§ III. *Lygdamus*.

J. H. Voss. qui de antiquis poetis propter egregias suas versiones optime meruit, opera minus felici in arte philologica versatus est; ex ingenio plerumque librorum lectiones subvertens, suos, non auctoris, sensus proferens, multaque gladio resecans per causam restituendi sinceri textus. At in Tibullum præcipue sæviit magnus ille Germaniæ poeta; quippe qui minoribus in eum delictis non contentus, integrum librum Lygdamo cuidam vindicare ausus sit, qua in re Eichstadtium assentientem habuit in programmate quod ita est inscriptum: DISPUTANTUR NONNULLA DE IIS QUÆ NOVO TIBULLI EDITORI VEL CAVENDA VEL FACIUNDA SINT. IENÆ 1806. Accesserunt Wernickius, et Bellermannus. Ille quidem in commentatione quæ schedis philologicis (*Breslau*, 1817) inserta est; hic vero in libello *de Versibus nonnullis Tibulli*.

Verum Wernickius et Bellermannus pauca de hac re proferentes, Vossii argumenta sufficere opinati sunt. Quod ad Eichstadtium attinet, hic, licet summa doctrina ornatus, nihil tamen novi attulit, sed pæne iisdem verbis usus est,

quibus antea H. Voss. Unde factum fuisse eleganter scripsit Spohnius, ut in solo Vossio ab adversariis tela omnis generis interdum acerrime figerentur.

Primum, quo utitur, argumentum hoc est : dicit auctor hujus tertii libri se anno natum esse, quo *cecidit fato consul uterque pari*; qui Tibulli natalis non esse potest. Oportet itaque ut hic liber ab alio quodam scriptore profectus sit, cujus natales facile ad annum U. C. 711 referri possint. Spohn. et alii quidam, celeberrimum illud distichon cultro ferientes, Vossium jurgiis petunt, quod non fecerit hoc loco idem quod in aliis innumeris nulla dubitatione commisit, quodque sese unius hujus distichi tam fidum præstiterit custodem, neque tamen præacuta gladii sui acie integro libro pepercerit. Nos vero, librum æque ac distichon servantes, non multum in his argutiis confutandis sudabimus. Nam, ut in hujus vitæ initio ostendimus, nihil est quod nos premat, vel impediat; et dies ille, quo Voss. tam difficili partu filiolum suum Lygdamum enixus est, optime pro Tibulli natali sumitur. Noli tamen mirari repuerascere doctum illum Germanum, qui jam Hirtio et Pansa Coss. filium, eumque poetam procreaverat.

Ejusdem farinæ secundum est argumentum. Ovidius non nisi duas nominavit puellas, Deliam et Nemesin; in tertio vero libro Neæra commemoratur. Nos in superiore capite ad tædium usque demonstravimus, non potuisse Ovidium de Neæra dicere, nisi bis eamdem celebrare voluerit, quam etiam e Vossii rationibus quater induxisset, primo Planiam dicens, tum Deliam, deinde Neæram, denique Glyceram. Sed aliam insuper insulsitatem adtulit illustris vir, quum dixerit Tibullum, si Neæram amasset,

id priore tempore quam in Deliam amore arsisset, fecisse, hoc certe contra Ovidii testimonium asserens.

Ecce nunc recurrit tertio validoque argumento : poeta sese ipse Lygdami nomine indicat III, II, 30 :

« Lygdamus hic situs est; dolor huic et cura Neæræ
» Conjugis ereptæ, causa perire fuit. »

Recte quærit Spohn. : Quid, quæso, ipsius Vossii carminibus, quid omnino poetis fieret, si carminis auctor esset, quicumque in eo aliquas egit partes? Voss. e Lygdamo Græculum effingit hominem, liberti cujusdam filium, qui fortasse ipse manumissus fuerit; addit illud nomen apud infimæ sortis homines fuisse usitatum. Sed jam Wagnerus monuit in libello quem inscripsit: *Elegia ad M. Val. Corvin. Messalam. Lips.* 1816, Romana origine oriundum esse auctorem; ait enim lib. III, Eleg. I, vs. 2:

« Exoriens nostris hinc fuit annus avis. »

Quî fit, ut Græco Romani sint avi? alia de Lygdami egestate somniat Vossius, quem in hoc optime refellit Spohn. Primum e funere quod sibi sumptuosum a Neæra matreque parari vult, deinde e compotationibus inter amicos habitis, ubi audimus poetam dicentem III, VII, 31 :

« Jamdudum Syrio madefactus tempora nardo,
» Debueram sertis implicuisse comas. »

Ut merito quoque notat Spohnius versus qui legitur, lib. III, El. III, vs. 23:

« Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neæra, »

non eam conditionem, qua sit et quam cum Neæra lu-

benter ferat, sed talem indicat qualem ferre possit neque velit recusare, modo illam habere possit uxorem. Adde quod Neæram, honestis et locupletibus parentibus natam (fatente ipso Vossio), sponsam nuptamque suam appellat, et conjugem sibi ereptam deplorat, ignotum torum, ignobiles amores suis opponit, amicos habet ac familiares, qui in Thermis Etruscis versantur; hos rogat, ut Plutoni nigras pecudes promittant, quum ipse ægrotet.

Spohn. ostendit H. Vossium sibi repugnare in iis quæ de Lygdami ingenio poetico effutiit. Sed non possum mihi temperare, quominus quædam huc afferam eorum quæ ab egregio illo viro contra Lygdami vanam umbram disputata sunt.

« Quum enim Vossius eumdem et præstantem et mise-
» rum dixerit poetam, duplici ratione utamur necesse est.
» Ex altera quidem parte iis quæ disputata sunt hoc ad-
» damus, si non ignobilis fuit poeta, quî tandem factum
» est, ut nemo eum noverit? Perierint carmina, nomen,
» neque ab Ovidio, qui eum imitatus esse creditur, neque
» ab alio quopiam fuisse commemoratum? sed plane
» periisse, vix est probabile. Ex altera parte autem cla-
» rum est, quantum statuatur ineptiarum, si Ovidius, uber-
» rimus et elegantissimus poeta, adeo miserum hominem
» compilasse, atque ex ejus penuria lucrari voluisse pu-
» tetur. Quo tandem pacto, ut hoc addam, explicari un-
» quam possit, quî factum sit, ut Ovidius hujus libri locis,
» et consulto quidem, ita uti, et eos imitari posset, ac si
» Tibulli essent? In præstanti enim carmine, quo mortem
» Tibulli luget, sæpe hujus poetæ locos et respicit, et imi-
» tatione quadam exprimit. Jam vero non solum et primo

» libro et secundo locos, qui ad eam rem apti essent, ad- » hibuit, sed ex ipso quoque tertio. »

Sequuntur apud Spohnium exempla imitationis, quæ non opus est referre. Promiscue, ut quisque videre potest, imitatus est Ovidius et Lygdamum, et Tibullum; neque unquam illum nominavit. Hæc ad confutandum Vossium sufficerent.

Sed quartum affert argumentum, nempe traxisse hujus libri carmina colorem a Tibulliano prorsus alienum. Eichstadtius longius adhuc processit : « Desinemus tandem » Lygdamica illa Neæræ scripta admirari, quæ Tibullia- » norum carminum libro tertio continentur. Quibus in » Elegiis tantum abest, ut Albii, quem sub Lygdami » Græco nomine latere suspicantur, ingenium agnoscamus, » ut nihil inveniamus, nisi imitationem Tibulli inepte in- » stitutam ab homine qui, pro munda simplicitate quam » Heynius reperit, exilitatem sententiarum et orationis, pro » ingenuo nitore, imagines modo otiosas, modo perplexas, » et ornamenta jejune corrasa, pro affectuum veritate, » affectationem et frigus attulisse nobis videtur. »

Nimia morositate et modo valde decretorio pronuntiavit doctus vir. Ego vero in alia prorsus discedo ; et cum Bachio *in his animi perturbationibus verum agnosco Tibullum.*

Nova hoc loco exoritur quæstio; scilicet cur Tibullus ficto nomine sese designaverit? et alia insuper, cur Planiæ ademerit Deliæ appellationem, Neæram ad breve tempus vocans, quam in posterum iterum Deliam dixit? Spohn. ad sextum caput hanc disquisitionem distulit; sed immatura morte consumptus est illustris et doctus juvenis. Lubenter fateor, me etiam in locis ubi a luculento illo scriptore prorsus

dissentio, non parum lucis lucratum esse. Nullus sane altius rem quamcunque rimatur; nullus meliore argumentandi ratione utitur: nihil omnino prætermittit, nihil intentatum relinquit, et difficile est aliquid novi proferre in iis quæ semel ab illo tractata sunt. Breviter tamen quæ de iis nominibus sentiam, exponere placet. Plerumque Elegiarum auctores puellas ficto sub nomine celebrant, ut verum hoc artificio dissimulare possint, nisi forte quum libertinæ conditionis sint illæ, vel infimæ sortis. Plania autem, quum esset honesto loco nata, ne omnium ore circumferretur ejus amor, neve ipsa monstraretur digito prætereuntium, latere voluit, perinde ac apud nos *Eucharis* et *Catilie*, quas cecinit BERTIN, Tibullum sæpe feliciter imitatus. Planiæ itaque dedit Deliæ appellationem, quæ quamdiu felici amore poeta Romæ fruebatur, perduravit. At, profecta puella, tempore quo jam innotuerat arcanum illud, novum inveniendum erat nomen et puellæ, et sibi, sub quo latens ipse, ignotam quoque sollicitare posset. Hunc scopum ut attingeret, utque securo Elegias vel potius epistolas mitteret, tali appellatione usus est, quali quotidie poetæ uti solent. Interposita fortasse, ac nobis incognita persona a tabellariis Tibulli carmina accipiebat Deliæ tradenda, et hanc absenti Deliæ adfuisse crediderim, epistolarumque commercio clam favisse. Hæc mea observatio non parum inde fulcri sumit, quod in quinta Elegia, quæ unica non ad Neæram scripta est, hoc fictitium nomen nusquam compareat, quippe quo non opus esset; amicis enim scribit Tibullus, quibus sine ullo artificio litteras mittere poterat. Eadem de causa, licet ob nimium ægrotet amorem, Neæram non nominat, quam certo Deliam appellasset, ut antea.

Verum enimvero quum, dolore jam sanato, Planiam tunc nuptam in viri fraudem, iterum concupiscendo sollicitare cœpit, pristinum ei nomen restituit, sive ut tenerrimi amoris memoriam revocaret, atque sic facilius amica potiretur, sive quia, nulla jam interposita persona, ipse quæ vellet, vel scriptura, vel præsens significare poterat. Utut est, hæc mera conjectura proponitur, quam non pluris facio quam revera est. Idem de Lygdami appellatione valet: suum ipsius nomen dissimulandum censebat Tibullus in carminibus, quod si hoc neglexisset, nihil mutando puellæ nomine profecisset. Notum profecto erat ab Albio nullam nisi Deliam carminibus peti, ut eo ipso epistolæ apud tabellarios deprehensæ, licet falso puellæ nomine eas inscripsisset, occulta divulgassent consilia.

Sunt quidam, qui integrum hunc librum Tibulli esse censeant, sed ita ut alienos amores, aut plane fictos celebraret. Quinadeo alii quidam eo audaciæ atque protervitatis venere, ut Tibullo puellas omnes eriperent, simulque contenderent eum non nisi ingenii lusibus indulsisse, neque unquam amasse. Non in istis ineptiis refellendis operam consumere volumus: aut omnino non legerunt Tibullum illi inficeti homines, aut non digni erant, qui eum legerent.

Attamen, ne insulsitatis ullum genus intentatum relinquerent viri docti, Deliam, Glyceram, Neæram, Nemesin, Sulpiciam, perinde ac in metalli officina, liquefaciunt, et inde unam ac eamdem puellam maximo nisu conflare conantur, ita ut hac Tibullus contentus sit, aliis vero abstineat. Istius opinionis sectatores duobus præcipue nituntur argumentis: primo loco aiunt Apuleium non nisi Deliam com-

memorasse; deinde objiciunt nobis Martialem Nemesi tribuisse, quæ poeta de Delia cecinerit. Scilicet Martialis, lib. XIV, Epigr. CXCIII, dixit:

« In tota juvit quem nihil esse domo. »

Qui pentameter Tibullianus est ex lib. I, Eleg. V, vs. 30. Sed hæc quantuli sint, quis non videt? Potuit Martialis memoriæ lapsu ad Nemesin trahere, quæ ad solam Deliam pertinebant. Num idcirco evanescet alterutra puellarum quas Ovidius memorat? Huic certo fides tribuenda est: æqualibus Tibulli scribebat, in ipso mortis tempore; cur ficta protulisset de re omnibus nota? Duas nominavit diversas, duas itaque amavit noster poeta, Deliam scilicet ac Nemesin, de qua in sequente paragrapho agemus.

§ IV. *De Maratho, et aliis qui in Tibulli carminibus comparent.*

Nemesis, quam libertinæ fuisse conditionis contendunt, in quatuor omnino Elegiis celebratur, quæ leguntur libri secundi III, IV, V, VI. Ovidius jam nos docuit fuisse hunc amorem Tibulli ultimum; nam, ejus mortem deplorans, ait de Nemesi, Amor. III, IX, 32:

« Altera cura recens.....;

Et ipsam inducens loquentem, vs. 58:

« Me tenuit moriens deficiente manu; »

ut perspicuum sit poetam, non nisi sub vitæ finem, Nemesin amasse. Sed aliunde etiam comperimus, quamdiu eam in deliciis habuerit: ipse enim in lib. II, Eleg. V, de Messalæ

filio, in Quindecimvirorum collegium cooptato, vs. 109 prædicat:

« ....Jaceo quum saucius annum,
« Et faveo morbo; tam juvat ipse dolor!
» Vixque cano Nemesin, sine qua versus mihi nullus
» Verba potest, justos aut reperire pedes. »

Multum disputant hic interpretes utrum de Messalæ filio natu majore, an de juniore agatur, et Brouckhusius longam iniit dissertationem, qua doceat Valerio Corvino Messalæ filios fuisse Marcum et Lucium; quorum prior consulatum gessit cum Cornelio Lentulo Getulico a. U. C. DCCL; alter vero per adoptionem datus genti Aureliæ, dictusque L. Aurelius Cotta Messalinus Volusus, factus et ipse consul cum Cn. Cornelio Cinna Magno a. U. C. DCCLVII. Brouckhusius Ovidii locum subjicit ex quo patet familiariter usum esse poetam Lucii amicitia, vel inter exsilii ærumnas. Deinde Plinii citat quædam, ubi hic Messalinus ab admissis in genu hirudinibus insanabilia vulnera accepisse dicitur; tum de anseribus meminit quorum palmas pedum condire reperit Messalinus Cotta. Denique fatetur Brouckhusius se, cognomine Messalini deceptum, hoc nostri poetæ carmen ad natu minorem retulisse; sed nunc agnoscere Marcum æque hoc cognomine usum esse, ut nos quædam loca Velleii Paterculi, Taciti et Dionis satis docent, quinimo ipsius Ovidii. Hinc profectus, in ejus partes discedit Brouckhusius, « præcipue quum ei » poeta in fine hujus carminis et consulatum auguretur et » triumphum. Quale augurium minori fratri dare, majore » præterito ac neglecto, cujus foret rusticitatis? » Valde urbane versatur in hisce Brouckhusius; sed alia sunt quæ-

dam eaque majoris momenti, quibus adducor ut statuam de filio natu priore hæc intelligenda esse. Bach. in præfatione, p. XXXVI, annum huic Elegiæ assignat 734 ; sententiam vero p. CLIII, in argumento retractat, et de anno 730 loquitur ; quod nullo modo fieri posse concesserim ; imo annum 734, vel 735 huic rei assignandum firmiter puto. Nam, si Eusebii rationibus adhæreamus, secundum quas Messala pater an. 695 natus est, et inde ab an. 695 ad 735 dinumeres, quadraginta omnino habes annos inter patrem et filios dividendos, ita ut, etiamsi natu majorem eligas, nihil supersit temporis ultra constitutam ætatem cooptati in collegium sacerdotis : quinimo opportet ut Messala ille perquam juvenis, justis nuptiis vinctus, liberis procreandis operam dedisse dicatur ; aliter nullum filium Tibullo adhuc vivo, in sacerdotum collegium immisisset. Hinc sequitur Tibullum, qui tunc temporis *jam saucius annum* jacebat, non nisi anno 734 vel 735, et sub ipsum finem vitæ, Nemeseos amore captum fuisse. Hinc quoque sequitur vitam illius reliquam ab anno 726 vel 727, quo Deliam primum viderit, ad 734 usque, ad eam ita pertinere, ut puellam nullam aliam in deliciis habuerit ; nisi forte eas dinumerare velis, quas interdum ad voluptatem tunc temporis adhibuit, quum Planiam perfidam esse cognoverat, de quibusque ait : *Sæpe aliam tenui.*

De Nemeseos prava indole, satis ab ipso Tibullo discimus avaram fuisse :

« Illa cava pretium flagitat usque manu.
» Quin etiam sedes jubeat si vendere avitas,
» Ite sub imperium, sub titulumque, Lares.
....
» Illius est nobis lege colendus amor. »

Discimus quoque scortum fuisse :

> « Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit.
> » Quisve meam teneat, quot teneatve modis.»

Multum itaque abest ut cum Plania procacem illam atque avaram Nemesin conferre possis.

Non sine maximo tædio ac fastidio de puerorum turpi amore nunc agam, sed Elegiæ libri primi IV, VIII, IX, manifesto produnt, fuisse nostrum poetam infamis hujus libidinis non expertem, et præcipue Marathum dilexisse. Quando eum amaverit non facile dictu ; nullibi enim constat: sed conjectando assequi possumus Albium, quum puro amore in Deliam arderet, fœdo ac turpi abstinuisse hoc desiderio; neque tunc ab illo se rapi passum esse, quum jam, puellis iterum deditus, Nemesin caneret. Quapropter non valde a vero errare videtur, qui Marathi res amatorias inter utrumque in puellas studium locandas censeat. Adde quoque, quod ætate provectiores in pueros plerumque rapiuntur, non adolescentes; id denique reputa, poetam morientem Nemesi devinctum fuisse, et nihil dubii supererit quin recte tempus constituerimus.

At quis fuit ille Marathus? quæ Pholoe, cujus mentio fit Elegia octava? Non multum in hac re sudabimus; non lubet enim in tam obscœnis rebus operam impendere. Id tantum monere voluimus, Horatium lib. I, Od. XXXIII, de eodem, ut videtur, cecinisse :

> « Insignem tenui fronte Lycorida
> » Cyri torret amor: Cyrus in asperam
> » Declinat Pholoen. Sed prius Appulis
> » Jungentur capreæ lupis
> » Quam turpi Pholoe peccet adultero. »

Marathus de quo agitur etiam Pholoes superbia agitatus, idcirco Brouckhusio idem fuisse dicitur. Regiis autem nominibus insignitos fuisse homines servos, multis veterum testimoniis didicimus. Cæterum nomen Marathi e Phœnicia profectum est; nam *Marathon* inter claras Phœniciæ urbes numerat Pomponius Mela, lib. I. c. XII. Juvenalis, Sat. V, 56 et sqq., testatur pueros Asiaticos atque etiam puellas, tunc in deliciis et summo in pretio habitos esse:

« Flos Asiæ ante ipsum, pretio majore paratus,
» Quam fuit et Tulli census pugnacis, et Anci;
» Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
» Frivola. »

At ut ad ipsum Marathum, vel potius Cyrum, revertamur, interpretes stultissimam vocis *turpi* qua Horatius usus est interpretationem dedere. Dacerius vertit, *les chèvres se joindront avec les loups avant que Pholoë se rende aux poursuites d'un amant si laid.* Unde hæc exspicatus sit nescio, sed sibi habeat. Aliis de causis Pholoe Cyrum aspernata est; nam forma insignis erat præcipue ille quem Dacerius nunc primum deturpat. Ut ut est, Tibullus Pholoen sic alloquitur:

« Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia Divi. »

Cæterum impudice Cyrum amasse et desultorie constat ex Horat. lib. I, Od. XVII, qua Tyndaridem invitat in fundum suum Sabinum:

« ....Nec metues protervum
» Suspecta Cyrum: ne male dispari
» Incontinentes injiciat manus,
» Et scindat hærentem coronam
» Crinibus, immeritamque vestem. »

De Pholoe Horatius etiam lib. III, Od. XV, 7, ubi uxorem *pauperis Ibici,* illius matrem fuisse comperimus :

« Non, si quid Pholoen satis,
» Et te, Chlori, decet; filia rectius
» Expugnat juvenum domos,
» Pulso Thyas uti concita tympano;
» Illam cogit amor Nothi
» Lascivæ similem ludere capreæ. »

Qua indole vero fuerit Marathus aperte declarat Tibullus :

« Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est,
» Et pretium plena grande referre manu. »

Ita nihil omnino infamiæ isti defuisse perspicue cognoscimus.

Sed tædet istius modi res longius persequi : superest ut de Sulpicia et de Cerintho referamus.

Qui Sulpiciam Tibulli puellam esse volunt, solo incedunt parum firmo, atque ipso halitus flatu humi sterni possunt. Poeta enim, si ipse amasset, lib. IV, carm. IV, vs. 15, non cecinisset :

« Pone metum, Cerinthe; Deus non lædit amantes;
» Tu modo semper ama : salva puella tibi est.
» Nil opus est fletu; lacrymis erit aptius uti,
» Si quando fuerit tristior illa tibi.
» At nunc tota tua est; te solum candida secum
» Cogitat; et frustra credula turba sedet. »

Non dixisset eodem libro, carm. VI, vs. 8 :

« Sed juveni, quæso, mutua vincla para. »

Objicient fortasse poetam sub Cerinthi nomine latuisse,

perinde ac sub illo Lygdami. Sed cui bono Elegiamlib. II tertiam ipse ad se scripsisset :

« Rura meam, Cerinthe, tenent villæque puellam. »

Nunc illis obviam eundum est qui e Sulpicia poetriam effingunt, quorum Brouckusius et Heynius sunt. Prior Caleni uxorem, quæ sub Domitiano floruit, quæque, teste Martiali, *Amores conjugales* scripsit, etiam hac laude ornatam esse vult, eique libri quarti carmina minora omnia condonat. Heynius, in ipso titulo editionis, Sulpiciæ nomen inscripsit, sed aliam Sulpiciam pro auctore agnovit, præeunte Vulpio, his potissimum argumentis, quod Sulpicia castos in Calenum maritum amores celebrarit, nostra autem Sulpicia furtivos cum Cerintho amores prosequatur; et quod Messala, carmine VIII memoratus, idem ille esse videatur in cujus contubernio vixit Tibullus. Recte inde concludit Heynius ad ejus ætatem ea carmina referenda esse. Adde Cerinthum in secundo libro Tibulli, et in Horatii sermonibus nominari, et nullus dubitare poteris quin de ætate recte senserint Vulpius et Heynius. Vulpius insuper, Tibullo hæc carmina vindicans, dictionis et numerorum similitudinem invenit; Brouckhusius contra, ea a Tibulli studioso auctore profecta fuisse putat, et Heynius, qua tetricitate est, ait esse hæc carmina diversæ utique indolis adeoque diversi coloris a superioribus, ut, quomodo a viris doctis Tibullo tribui potuerint, vix intelligas. Bach. ait : « Carmina ipsa juventutem auctoris præ se ferunt. » At ego facile ostendam et Tibulli esse, et seriores ad illius annos referenda. Tibulli sunt, dico atque iterum dico; eadem enim sentiendi ac cogitandi ratio; idem dictionis color

et numerorum delectus, neque ovum ovo similius quam hæc reliquis Nostri scriptis. Præterea patet non ab ipsis amantibus scripta fuisse, sed a media quadam interposita persona inter Cerinthum et Sulpiciam; cui epistolarum commercio quis aptior quam egregius poeta qui, ut ex Elegiis II et III libri secundi manifesto patet, Cerintho valde erat amicus? Sane nullum alium adiissent, ut carmina suppeditaret sibi, quam celeberrimum illum et amicissimum poetam, et inde jam magnum haurirem argumentum Tibullum hæc scripsisse quum jam innotuerit clarus poeta, si argumenta opus essent in re perlucida et aliunde facile determinanda. Ostendimus jam Tibullum in vitæ fine Nemesin amasse. Quid nunc, si te edoceamus eodem tempore et Nemesin coluisse et Cerinthum habuisse amicum? Non multis verbis opus erit:

« Rura meam, Cerinthe, tenent villæque puellam. »

Quæ puella Nemesis esse dicitur, v. 53. E secunda elegia ad Cerinthum comperimus nupsisse ei amicam. Hæc secunda elegia, mea sententia, non longe post quarti libri carmina conscripta est; nam ex ipso contextu patet recenter conjugio vinctos esse Cerinthum et uxorem, cujus fidos optat amores; quippe qui simul *prolem* optet, ut videatur nondum liberos procreasse cum uxore. Absoluta jam hac demonstratione, nihil amplius restat quam ut indagemus quænam fuerint et Sulpicia et Cerinthus.

Brouckhusius ait: *Græco nomine involvit ac dissimulat juvenem romanum.* Heynius feliciter pronuntiasse videtur: « Illud certe per omnia hæc carmina animadvertere mihi » videor, fuisse amorem Sulpiciæ talem, qualis futurus

» esset, si regia puella nostro tempore nobilem hominem » amaret. » Superba enim illa, carm. X, 3 :

« Si tibi cura toga est potior, pressumque quasillo
» Scortum, quam Servî filia Sulpicia ;
» Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,
» Ne cedam ignoto, maxima cura, toro. »

Sulpiciæ gentis nobilitatem fuisse summam, nota res est, sed perquam ridicule edicit Heynius : « Puella quam sibi » desponsam habet Cerinthus, lib. II, El. II, Sulpicia esse » nequit. » Quis eum de hac re tam certo modo edocuit? Brouckhusius, ut jam in notis diximus, aliam medelam excogitavit, qua Sulpicia, salva nobilitate, amari posset a Cerintho. Cornutum quemdam effutiit, eumque prætura urbana ornatum procedere jubet : sed hæc somnia sunt, mera somnia : de Cerintho nihil certi scimus ; videtur tamen haud ignobili loco natus, ex ipsis quæ ad eum pertinent carminibus. Bach. nullus dubitat quin Sulpicia Servii Sulpicii fuerit filia, illius quidem, qui periit in legatione Mutinensi a Senatu eo missus ad Antonium, Hirtio et Pansa Coss., quique paucis ante annis cum Claudio Marcello consulatum gesserat, eloquentiæ laude insignis, ut testatur Cicero, quo amico usus est Sulpicius. Lubenter in hanc sententiam iverim ; sed quod subjicit Bach. e computatione rerum ad Sulpicium spectantium colligi, non ad seriores Tibulli annos referri posse carmina quibus celebratur, fortiter nego. Cur enim non in eosdem annos inciderit Sulpiciæ ætas, qualis amoribus favet, non video. Potuit sane a patre procreari paucis ante mortem annis vel mensibus, ita ut anno 734 vigesimum quintum vel sextum ætatis ageret, et illud nostris rationibus optime convenit ;

nam ætate provectiorem fuisse illam quam Cerinthum manifestum est, Carm. III, 3 :

» Parce meo juveni.... »
« At tu venandi studium concede parenti. »

Carm. V, 17 :

» Optat idem juvenis, quod nos; sed tectius optat :
» Nam pudet hæc illum dicere verba palam. »

Si Sulpiciam majorem natu fuisse semel admittas, simulque Cerinthum agnoscas id jam ætatis fuisse quo tempore calent amore juvenes, oportebit ei ad minus annos tribuas sedecim, puellæ vero eum quem supra diximus numerum; alias nihil discriminis intercessisset, vel saltem non operæ pretium fuisset de discrimine meminisse; quod vix sub sensum venire potuisset.

§ V. *De carmine in Messalam.*

Carmen *in Messalam,* quod in fronte quarti libri sic inscriptum legitur, jam in notis a Tibullo longe arcendum esse declaravi, atque illi tenebrioni, quicumque fuerit, a quo profectum est, restituendum. Bach., idem mecum sentiens in disquisitione de Tibulli carminum *authentia,* dicit; « Dictio » apparet tam frigida, verborum structura tam inconcinna » et contorta, versuum decursus tam molestus et plumbeus, » ut auctoris studium ac virium contentionem, qua sudave- » rit, sentire videamur. » Heynius Tibullum, velit nolit, hoc fœdo carmine onerat : *Voluit auctor in illo poemate egredi*

gyrum ingenii sui, adeoque nil mirum si ei non successerit. Sed quî fit, quæso, ut ei alio loco successerit, ut lib. I, El. VII; lib. II, El. V. Ibi enim se nobilioribus carminibus idoneum esse ostendit Tibullus. Juvat quædam huc transcribere eorum quæ Bach. de auctore divinavit.

« Quem pro auctore hujus carminis habemus, adoles- » cens fuit atque unus ex iis qui cum Tibullo multisque » Romanorum nobilibus publicis calamitatibus afflicti, et » patriis bonis exacti erant. Augusto imperatore, anno 723, » bellum in Antonium instaurante, quum nova ex quocum- » que rerum eventu pericula imminerent, versificator Mes- » salam auctoritate pollentem doctrinæque laude florentem, » carmine, quod Panegyricum vulgo vocant, celebrare et » in ejus fidem atque clientelam sese commendare voluit. » Tanto autem conatui se vix parem sentiens, duce, ut » videtur, Valgio, inter subsellia Versificatorum expromsit » fœtum. Igitur non absimilis est encomiis quæ ex certis » componi solebant præceptis, de quibus vide Quintil. » Inst. II, 4, 20; III, 9. Hinc autem varia Græcorum » eruditione opus est refertum. Ad Homericæ potissimum » poeseos genium se inflectere et informare annisus est » auctor, et non mythicas tantum narrationes, sed singu- » las etiam voces et formas dicendi, quamquam parum » feliciter et ingeniose imitando, adumbravit. »

Hæc causa fuit cur in vita, quam e Tibulli ipsius Elegiis hausi, nusquam carmen illud mihi argumento sumserim: absint itaque versus 187 sqq.

« Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
» Et domino satis, et nimium furique lupoque:
» Nunc desiderium superest; nam cura novatur, etc. »

Accisas fuisse Tibulli opes aliunde constat; nam ipse l. I, El. I, vs. 19:

« Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
» Custodes, fertis munera vestra Lares. »

Et infra vs. 33:

« At vos, exiguo pecori, furesque lupique,
» Parcite; de magno est præda petenda grege.
....
» Non ego divitias patrum, fructusque requiro,
» Quos tulit antiquo condita messis avo.
» Parva seges satis est. »

Sunt qui Tibullum patrimonii decoctorem atque gurgitem fuisse velint; alii militum Cæsarianorum vim incusant et latrocinia; et Heynius, qui ejusdem opinionis est, existimat hac de causa Octavianum Cæsarem a Nostro nunquam fuisse laudatum, quum reliqui poetæ certatim undique tanti nominis principem celebrarent. Sed fortasse neutrum verum. Potuit alia quacunque de causa poeta paternas amittere opes, sed non ita quidem ut paupertati ac egestati obnoxius esset. Ipse nos docet sese ad finem usque retinuisse *sedes avitas*: nempe in Elegia ad Nemesin, L. II, IV, v. 53:

« Quin etiam *sedes*[1] jubeat si vendere *avitas*,
» Ite sub imperium, sub titulumque, Lares. »

Et Horatius in Epistola IV, lib. I, jam memorata:

« ..... Di tibi formam,
» Di tibi divitias dederunt, artemque fruendi. »

[1] Avitas Tibulli sedes in regione fuisse ubi Latinorum oppidum Pedum olim exstiterat, medium inter Tibur et Præneste, non male suspicatur Bach., Horatii versu fretus:

Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?

Itaque digni sunt qui risum moveant interpretes, quum ignem super illius foco exstinguunt, vel nobilioribus vinis illum abstinere jubent, ut passim in notis faciunt. Erat sane Tibullo *mundus victus non deficiente crumena.* Romanorum proceres inter familiares habuit; Macri, et Horatii amicitia gavisus est; egregius ipse poeta, maximis sui temporis vatibus acceptus ac carus fuit, ut merito cum Horatio exclamare possimus :

« Quid voveat dulci nutricula majus alumno ? »

Ad metam pervenimus. Noli irasci, lector benevole, quod, novam viam ingressi, inauditaque de Tibulli vita proferentes, fusius fortasse disseruerimus. Hoc apud alios gratiam, apud alios offensionem habet. Tu, qua humanitate es, comiter lucubrationum nostrarum fructus accipias.

ALBII TIBULLI VITÆ

SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

Anni U. C. Varroniani.	Anni ætatis Tibulli.	
695	.....	Hoc anno, secundum Eusebium, aut saltem duobus vel tribus ante, natus est Tibulli patronus, M. Valerius Messala Corvinus.
710	.....	Nascitur noster poeta et fortasse anno ineunte.
711	1—2	Hirtius et Pansa Consules occisi apud Mutinam pro patria dimicantes. Nascitur Ovidius.
		Sub exitum ejusdem anni adversarum partium proscriptio Romæ a triumviris facta; aiunt per hanc divitias paternas fuisse Tibullo ereptas, præter unam villam in agro Pedano.
		Proscriptus Messala se ad Brutum et Cassium recipit.
712	2—3	— Devictis Bruto et Cassio, Messala ad Antonium atque inde ad Octavium transit.
719	10-11	— Salassi, Taurisci, Japydes, aliique rebellantes populi, Pannonii item a Cæsare debellati, cui militiæ Messalam quoque interfuisse probabile est (Dio. XLIX, 34-37).
720	11-12	Iidem populi ab ipso Messala, Cæsaris legato, vincuntur. Ad hunc annum Sanadonius Horatii Epist. IV, l. I, perperam refert.
723	14-15	Consul una cum Cæsare factus, Messala pugnæ Actiacæ interfuit, cui etiam affuisse Tibullum somniat Sanadonius.

Anni U. C. Varroniani.	Anni ætatis Tibulli.	
725 726	16–17 17–18	Tibullus Messalam in Galliam secutus hoc anno prima stipendia meruit; inde Romam reversus Deliam amat. Elegiam x, l. I, iterum militaturus scribit, tum in Asiam proficiscens Corcyræ in gravem morbum incidit, et Eleg. III, l. III. At mox redux, Delia adhuc innupta, amori tenerrimo indulget lib. I, El. I; l. IV, El. XIII.
727	18–19	A. D. VII Kal. octobr. Messala de Aquitanis triumphum egit, atque Augusti jussu, inter alios triumphales viros, partem viæ latinæ muniendam suscepit. Brevi post triumphum Messalæ scripta est in ejus natalem libri I, Elegia VII. Elegia prima libri secundi illo adhuc absente edita est.
728	19–20	Cornelius Gallus primus Ægypti præfectus Augustalis, in invidiam Augusti adductus, ad necem sibi inferendam compulsus est.
733	24–25	Proficiscitur Neæra Roma, ac pristini amoris obliviscitur. Horat. Od. XXXIII, l. I.
734	25–26	Circa id tempus fortasse a Delia recessit, vel certo non multum ante, tunc a mutui amoris vinculis liberatus, postquam Neæræ (quæ ipsa Delia est) perfidiam deploraverat, et rursus cum illa nupta amori et libidini indulserat, se Maratho deditum et turpi insania raptum, ostendit El. IV, VIII, IX, l. I.
735	26–27	Eodem anno et sequente Nemesis Tibullum sibi devinxit, qui libri secundi Elegias III, IV, V, VI fecit et simul quarti minora carmina, ut hæc Sulpiciæ Cerinthoque ministraret. — Moritur Virgilius.
736	27–28	Tibullus moritur.

INDEX VERBORUM

IN

TIBULLUM.

INDEX VERBORUM

IN

TIBULLUM.

N. B. Primus numerus librum, secundus elegiam, tertius versum indicat.

I, vi, 67, 75. — dea; IV, vi, 14, *Juno*.—domus; III, iv, 60.—laurus; III, iv, 23. — manus; IV, iii, 20. — placent superis, II, i, 13.—soror; II, v, 122, *Diana*.

Castra Martia ponat in capto solo; I, ii, 70.—peto; II, vi, 9.—pingere mero in mensa; I, x, 32. — sequitur Macer; II, vi, 1. — tua sint nostra domo; II, iii, 36.—*castris* forove; IV, i, 44. — fossam prædacere; IV, i, 83.—geminis duplex victoria; IV, i, 105.—Rutulis lucent incendia; II, v, 47.—*castrum* Laurens; II, v, 49.

Casus meos notet palma; I, ix, 82.

Catasta barbara; II, iii, 62.

Catena Romana; IV, i, 118. — valida teneamur uterque; IV, v, 15. —*catenis* teneor; II, iv, 3.

Caterva consanguinea; III, iv, 87. — *catervæ* Cilicum victæ; I, ii, 69. — infernæ; I, ii, 49. — juvenum; I, vi, 81.

Catullus doctus; III, vii, 9.

Causa perire; III, ii, 30. — sontica; I, viii, 51. — *causam* amoris justi habent; I, iv, 10, *h. habent in se, cur jure amari putentur*. — per *causam*; I, vi, 26. — *causas* hic det avaritiæ; II, iv, 29.—fingere; I, vi, 11. — mortis demonstret litera *causam*; III, ii, 27.—ornandi; IV, vi, 5.

Causari aves aut omina dira, etc.; I, iii, 17.

Cautes obnoxia insanis ventis; II, iv, 9.

Cautior esse poteram ad laqueos tuos; I, ix, 46.

Cava dolia; I, iii, 80, *pertusa*.—*cava* manus; II, iv, 14.

Cecidi; vid. *Cado*.

Cedam (ne) ignoto toro; IV, x, 6.—*cedas* puero tuo; I, iv, 40.—*cedo* mea pignora; IV, xiii, 17. — *cessit* incola; IV, i, 56.

Celare perjuria; I, ix, 3.—*celari* vult sua furta Venus; I, ii, 36.—non *celari* ego possim; I, viii, 1. — *celandi* spes nec tibi sit; I, ix, 23.

Celeber deus; II, i, 83; IV, iv, 23. — Messala triumphis Aquitanæ gentis; II, i, 35.—in *celebri* fronte; III, ii, 28.

Celebrantur vobis numina Tuscæ lymphæ; III, v, 29. —*celebrare* penates patrios; I, iii, 33. — *celebrate* vos me magistrum; I, iv, 75. —*celebrem* Messalinum; II, v, 115. — *celebrent* vina diem; II, i, 29. — *celebret* ne juvenes multo sermone; I, vi, 17.—*celebretur* in annos sacrum; IV, ii, 23. — *celebrans* convivia impia sævis mensis Padæus; IV, i, 145. —*celebrande* Natalis; I, vii, 63. — *celebrata* carminibus tuis Neæra; III, iv, 57.

Celer canis; IV, iii, 14.—equus; I, ii, 72; IV, i, 91. — orbis; I, v, 70.—puer; I, v, 4.—Rhodanus; I, vii, 11.—rota; I, iii, 74.—sagitta; IV, i, 89. — Sol; IV, i, 161.—super equum edere corpus; IV, i, 115. — *celeres* flammæ; IV, vi, 17. — lupi; II, i, 20.

Centum ludis Genium concelebra; I, vii, 49.

Cera minor calamus jungitur; II, v, 32.

Cerberus audax; I, x, 36.— niger stridet ore serpentum, etc.; I, iii, 71.

Ceres distendit spicis horrea plena; II, v, 84. — illinc colit arva; IV, i, 164.—qua sua arva prospicit; II, v, 58. — *Ceres*, cinge caput spicis; II, i, 4.— dura; II, iii, 63.— flava; I, i, 15.

Cerinthus; II, ii, 9; II, iii, 1; IV, iii, 11; IV, iv, 15; IV, v, 1; IV, v, 5; IV, viii, 2; IV, xi, 1.

Cernere; IV, i, 103, *pugnare, decernere*. — *cernet* omnia; I, ii, 59. —*cernite*, ut eat agnus ad aras; II, i, 15.

Certa pompa discurrunt undique

Corpora fessa ; IV, iv, 10 ; IV, xi, 2.—*corpora* fœda pödagra ; I, ix, 73. —horrida ; II, iii, 78.—*corpora* luto tingit amor ; I, viii, 52. — *corpora* vulnerare ferro ; I, ii, 27. — *corpore* servato in uno duos restituisse ; IV, iv, 22.—*corpus* edere super equum ; IV, i, 115.—*corpus* nitidum ; III, iv, 36.—niveum ; III, iv, 30.—parvum ; IV, i, 197. — *corpus* movet ab arte non solita ; I, ix, 66.—*corpus* petere ferro ; I, ix, 22.—tetigisse nocet ; I, viii, 25.

Corrumpere puerum donis ausus es ; I, ix, 53.

Cortex viridis nucis ; I, viii, 44.

Corymbis frons redimita Osiridis ; I, vii, 45.

Crebras per urbes ; I, vii, 17.

Credas si mihi, illam sequar ad aras ; I, vi, 23. — *credas* mihi servandam ; I, vi, 37.—*credere* durum est ; I, vi, 7.— mendaci somno ; III, iv, 12.—nil cuiquam de nobis ; I, ii, 57.—ratem ventis ; I, vii, 20.—turbæ puerorum se ; I, iv, 9.—*credit* aratis sulcis semina spes ; II, vi, 21.

Credula spes ; II, vi, 19.— turba ; IV, iv, 20.—*credulus* tergebam genas ; I, ix, 38.

Crepitet bene laurea ; II, v, 81.— *crepitantia* arma ; II, v, 73.

Cres ; IV, i, 9.

Crescentes uvæ ; III, v, 19.

Crimen habere ; I, vi, 41, *in suspicionem venire.* — *crimen* inesse pectore ; III, iv, 84.

Crines disponere ; I, ix, 67.—solvere ; IV, ii, 9.—*crines* perque Minerva suos ; I, iv, 26.—*crines* intonsi ; III, iv, 27.— ligati ; I, vi, 68.— soluti ; I, i, 68 ; II, iii, 27. — *crinis* intonsus ; I, iv, 38. — pro *crinibus* feri angues ; I, iii, 69.

Crudele genus ; III, iv, 61, *sexus femineus.*—*crudeles* divi ; I, iv, 35. —*crudelia* somnia ; III, iv, 95.— *crudelius* urit deus, quos, etc. I, viii, 7.

Cruenta præda ; III, vi, 24. — *cruentum* os ; I, v, 49.

Cruor, cædes, mors ; II, iii, 40.

Crura candida ; IV, iii, 10.—compede pulsa sonent ; I, vii, 42. — sonant ferro ; II, vi, 26.

Cubantem juvat audire ventos immites ; I, i, 45.—neve *cubet* laxo sinu aperto pectus ; I, vi, 18.— languida interposita veste ; I, ix, 56.

Cultor odoratæ segetis Arabs ; IV, ii, 18.

Cumana rota ; II, iii, 50.

Cumulare aras ; II, v, 6.

Cuncta adnuit capite ; IV, i, 134. — *cunctis* janua nostra patet ; I, iv, 78.—*cunctos* illa regat ; I, v, 29.

Cupida equa ; II, iv, 58.—*cupidæ* Veneris gaudia ; IV, iii, 18.—*cupidi* Dei ; II, v, 54.—*cupidi* amantes ; I, viii, 56 ; IV, vi, 11.—*cupidis* ; I, ix, 58.—*cupidis* viris ; I, i, 76.—*cupido* viro ; III, iv, 52.—*cupidum* ; I, viii, 74.

Cupide jurasset quidquid amor ; I, iv, 24.

Cupido ; II, i, 67 ; II, v, 107.— fronte tristi ; II, iii, 35.— inter greges interque armenta natus ; II, i, 67.

Cupit obsidere immensos campos prædator ; II, iii, 43. — *cupienda* nulli viro ; I, viii, 40.

Cura est tollere albos capillos ; I, viii, 45. — *cura* est cui vendere formam ; I, ix, 51.—*cura* cui sua puella est ; II, iii, 33. — *cura* Bacchi, ager Falernus ; I, ix, 34. — *cura* Deum salve ; III, iv, 43. — fervida ne tibi sæque sim ; IV, xii, 1 —maxima *cura* ; IV, x, 6.— mutua si nostri est ; III, i, 19.—Neæræ conjugis ereptæ ; III, ii, 29.—novatur ; IV, i, 189.—nulla tibi superest mei ; III, vi, 29.—parvula sit nostri ; IV, i, 198. — pia tuæ puellæ ; IV, xi, 1. — potior ; IV, x, 3.— venandi ; IV, iii, 5.—*curæ* cui

DAR

FAC

III, VI, 13. — *facit* livorem Venus; I, VI, 14. — nec *facit* hoc vitio; I, IX, 73. — non *facit* hoc verbis; I, V, 43. — *facit* me ipsa Venus; I, II, 26. — *fac* stet lapis; I, III, 54. — *facere* coronam de flore; II, I, 60. — pocula fictilia; I, I, 39. — *facta* et mihi est tuba; II, VI, 10. — *facta* agresti falce lignea Pales; II, V, 28. — *facta* litera; III, I, 12. — *facta* ventis horrida coma; I, IX, 14. — *facta* est rara via sero; II, III, 18. — *facti* e stipite prisco Lares; I, X, 17.

Facta dicere; I, X, 30. — *facta* impia; III, VII, 10. — nefanda; III, V, 12. — *facta* parentis proles augeat; I, VII, 55. — *facta* referre; I, X, 44. — *facta* tegenda; I, IX, 28. — tristia; I, VIII, 28. — *facta* tua nec capiet titulus; IV, I, 33. — ierint per claros triumphos; IV, I, 176. — intexere chartis; IV, I, 6. — *factum* turpe; III, IV, 15.

Facundia dum tua major sit labor illius, etc. IV, I, 81.

Faginus scyphus; I, X, 8.

Falerna; III, VI, 6. — *Falerni* fumosi; II, I, 27.

Falernus ager, Bacchi cura; I, IX, 34.

Fallax Amor; I, IX, 83. — nox; III, IV, 7, *propter somnia*. — Pannonius; IV, I, 108, *v. not.* — puella; I, VI, 15; III, VI, 51.

Fallo : fallat eum puella tecta dolo; III, VI, 12. — nec *fallat* blanda prece lingua sordida; III, VI, 46. — *fallendi* vias mille ministrat Amor; IV, VI, 12. — *fallere* queis cantibus possis; I, II, 55. — *fallere* posse dedit deus cupidis; I, VIII, 56. — non *fallere* doctus; I, IX, 37. — *fallere* si qua didicit virum; III, IV, 62. — *fallit* puella te vanum nocturnis imaginibus; III, IV, 56.

Falsum visum; III. IV, 3. — *falso* plurima vulgus amat; III, III, 20. — *falsa* gaudia; III, VII, 1. — *falsa* timere; III, IV, 8.

Falx agrestis; II, V, 28. — curva; I, IV, 8. — dura; I, VII, 34. — sæva; I, I, 18.

Fama Gylippi; IV, I, 200. — *fama* majorum; IV, I, 29. — *fama* minor; IV, VII, 7 — *fama* Pylia; IV, I, 112; *Nestor famosus*.

Famem despicere; I, I, 78. — pellere glande querna; II, I, 38. — *fames* stimulans; I, V, 53.

Fana sacra; II, IV, 23.

Far pium; III, IV, 10.

Fas (si) est; II, III, 76. — *fas* sit modo; I, VI, 64.

Fastidia oderunt divi; I, VIII, 69.

Fastigia summa chartæ; III, I, 11.

Fastus omnes odit; I, VIII, 75.

Fata dum sinunt; I, I, 69. — abdita; II, V, 17. — mea querar cum muto cinere; II, VI, 34. — mea timeto; I, V, 69. — *fata* non dedere moram; I, IV, 36. — nulla statuent finem te canendi; IV, I, 204. — præmonuisse boves; II, V, 78. — puellæ qui metuit; IV, IV, 11, *de exitu morbi*. — senectæ; I, IV, 31. — seu nos fuisse volent; III, V, 32. — si reditum negant; III, III, 35. — sua querentes animæ; I, V, 51. — tua sint candida; III, VI, 30. — *fati* provida avis; II, V, 12. — *fato* pari cecidit uterque consul; III, V, 15. — *fato* properat mortem; IV, I, 206. — *fatorum* leges; III, IV, 48.

Fatale nomen tuum, Roma, terris regendis; II, V, 57. — *fatales* anni; I, III, 53. — *fatalia* stamina; I, VII, 1.

Fatenti ignosce; I, VI, 29. — *fateri* vitæ tot mala perpessæ tædia nata; III, II, 7.

Fatiget me quamvis adversa fortuna; IV, I, 183.

Fatiscit janua; I, V, 67.

Fave, Phœbe; II, V, 1; IV, IV, 21. — sancta; IV, VI, 7, *Juno*. — *fa-*

GAU GEL

HER HOR

IGN IMM

JAC

KAL

LAC — LÆD

x, 43.—*liceat* dum te teneris retinere lacertis; I, II, 75.—*licebit* tunc rapias cara oscula; I, IV, 53. — *licere* æquum est; I, IX, 5. — dum *licet*, utere; I, V, 76.

Licia firma adnectit telis *anus*; I, VI, 79.

Ligati crines; I, VI, 67.

Liger, Carnuti flavi cærula lympha; I, VII, 12.

Ligna grandia; II, I, 22.

Lignea Pales; II, V, 28.—*ligneus* Deus; I, X, 20.

Lilia alba; III, IV, 34.

Limina nova tentare; I, II, 17.—ad *limina* nunquam rediturum juravi; II, VI, 13. — a *limine* duro agnosco voces dominæ; II, VI, 47. — e *limine* marmorei tecti prodire; III, III, 3. — in *limine* non frustra perstat sedulus; I, V, 71.—*liminibus* sacratis dare oscula; I, II, 86. — *liminis* custos, canis; II, IV, 32.

Limitibus de nostris pellite mala; II, I, 18.

Lingua garrula; IV, XIII, 20. — impia; I, II, 82.—insana; III, V, 13. — sordida; III, VII, 14. — *lingua* fave; II, II, 2.—*linguæ* pugnantes; I, VIII, 37. — *linguæ* Theseæ perjuria; III, VII, 7.—*linguæ* tres, III, IV, 88, *Cerberi*.

Lino tecta sedeat; I, III, 30, *in cultu Isidis*.

Linter exiguus ire solebat per vada pulsa aqua; II, V, 34. — *linter* nat tibi in liquida aqua; I, V, 76. — in *lintribus* plenis servabit uvas mihi; I, V, 23.

Liquida aqua; I, V, 76; I, IX, 50. —*liquidæ* aquæ; I, IX, 12.—undæ; IV, I, 124.—*liquidum* merum; III, VII, 30.—*liquidus* aer; IV, I, 210.

Liquit otia ferus; II, VI, 5. — Olympum Juppiter; IV, I, 132.

Liquor uvæ; I, VII, 37.—*liquore* incepto nulla perlabitur unda; IV, I, 156, *h. liquida ut cæperat currere, pergit*.—*liquore* manus pias perfusæ; III, II, 16.—*liquorem* ne trahat digito; I, VI, 19. — *liquores* dulces; IV, I, 86, *fontis*. — *liquores* pressos pedibus dedit uva; II, I, 45.

Litera facta; III, I, 12. — demonstret causam mortis; III, II, 27.

Litora Oceani Santonici; I, VII, 10.—Sirenum; IV, I, 69. — *litore* de rubro; IV, II, 19.—Erythræo; III, III, 17.

Livor, quem Venus facit dente; I, VI, 13.

Loca signata funda tangere; IV, I, 97.—sola; IV, XIII, 12. — *locum* claudere ducto vallo; IV, I, 85. — *locum* esse vult blanditiis Venus; I, IV, 71.

Longa ætas; IV, I, 211.—cervix; III, IV, 27.—dies; I, IV, 17.—salus; III, I, 21. — *longa* stamina; I, III, 86.—*longa* stola; I, VI, 68.—via; I, I, 26; I, IV, 41; II, V, 62; II, VI, 3; I, IX, 16.—vita; III, III, 7; IV, I, 207. — *longæ* comæ; II, V, 8. — *longæ* noctes; III, VII, 21. — viæ; I, III, 36.—*longi* capilli; I, III, 91; III, II, 11. — *longæ* tempora vitæ; IV, I, 113. — *longos* dies; III, VII, 22. — *longior* ætas ne neget; IV, I, 11, *remotior posteritas*.

Longe nunc mihi gloria fortis abest; I, V, 2.

Loquaces oculi; II, VI, 43.—nutus; I, II, 21.— *loquax* quicumque fuerit; I, II, 41.

Loquebar bene me ferre discidium; I, V, 1. — *loquentem* me flevisse nunc pudet; I, IX, 29. — *loqui* facta nefanda; II, VI, 18.—facta tegenda; I, IX, 28. — magna; II, VI, 11. — nota; II, III, 61. — *locuti* erant digiti cum voce; III, IV, 41.

Lotos; IV, I, 55.

Lubrica terra; II, III, 50. — *lubrica* exta; II, V, 14.

II, I, 29, *ebrium esse.* — mero ; II, II, 8.

Madefacta serta meis lacrymis ; II, VI, 32.—vellera bis succis caris ; IV, II, 16. — *madefactus* tempora syrio nardo ; III, VII, 31.

Madidus Baccho pastor ; II, V, 87.

Magica auxilia ; I, VIII, 24.—*magici* Dii ; I, II, 64. — *magicum* carmen ; I, V, 12.—ministerium ; I, II, 44. — *magicus* nodus ; I, VIII, 5. — stridor ; I, II, 49.

Magister gregis ; II, V, 35.—*magistrum* me celebrate ; I, IV, 75. — *magistris* his vita desuevit glande pellere famem ; II, I, 37.

Magisteria mea vana ; I, IV, 84.

Magnifice mihi magna locuto ; II, VI, 11.—*magnificum* quidquam libeat ne dicere ; I, V, 6.

Magnus, a, um ; magna Dea ; I, VI, 50, *Bellona.*—gloria ; I, VI, 3 ; II, I, 34.—gratia ; I, IV, 23.—hostia ; I, I, 22.—laus ; IV, IV, 21.— proles deum ; IV, I, 68.—sacerdos ; I, VI, 43, *Bellonæ.*—Venus ; I, II, 81.—urbs ; I, VII, 61 ; II, V, 56, *Roma.* —*magna* mihi quæ est sola ante alios Deos, Juno ; IV, XIII, 16.—*magna* voce ; II, V, 118. — *magna* loquor ; II, VI, 11. — *magna* numina ; III, VI, 22, *irati Bacchi.* — volumina ; IV, I, 34.—*magnæ* messes ; III, III, 6.—opes regum ; I, VIII, 34.—*magne* Geni ; IV, V, 9.—Mars ; IV, II, 1.— *magni* Dii ; III, IV, 16.—lacus ; II, V, 86. — *magni* mundi opus ; IV, I, 18. — Gylippi fama ; IV, I, 200. — *magnis* opibus niteret domus ; IV, I, 184.—*magnis* rebus accingere se ; IV, I, 180.—*magnis* rebus insistere ; IV, I, 136.—*magnum* decus ; IV, I, 49. —fœnus ; II, VI, 22.—malum ; I, VI, 52. — *magnus* Garumna ; I, VII, 11. — labor ; I, VII, 39. — *magnus* in utroque orbe diceris ; IV, I, 177. — *major* facundia ; IV, I, 81.—*maxima* Baiarum unda ; III, V, 3.—cura ; IV, X, 6. — laus ; IV, I, 39. — *majora* peractis instant ; IV, I, 119. — *majora* quis gerit te castrisve forove? IV, I, 44. — quam tibi *majores*, *majus* decus ipse futuris ; IV, I, 32.—*majorum* fama non tua est contenta gloria ; IV, I, 29.

Major ; vide *Magnus.*

Mala (*poma*) candida ; III, IV, 34.

Male ferre pedes errantes ; II, I, 30.—*male* habet ; I, IV, 76, *torquet.* —*male* inepta ; IV, X, 2, *nimis.* — *male* sobrius ; I, X, 51, *parum.*

Maledicta hæc aliis cadant ; I, VI, 85. — ingeret juvenis potus puellæ ; II, V, 101.

Malum : mala dicere ; I, II, 11.— ferre ; I, VI, 82.—ferre lento pectore ; IV, XI, 6.—finire leto ; II, VI, 19.— multa subesse solent auro ; I, IX, 18. —nostra qui rides ; I, II, 89. — ad *mala* nostra vertimus ; I, X, 5. — *mala* pellere de limitibus ; II, I, 18. —perpeti ; III, II, 8.—*malis* multis præda est operata ; II, III, 38.—*malum* dare ; II, V, 108. — *malum* hoc peperit misero garrula lingua ; IV, XIII, 20.—magnum ; I, VI, 52.

Malus, a, um ; mala manu vellere ; III, V, 20.—*mala* mente fuisse ; II, V, 104. — signa ; II, V, 71.— somnia ; II, VI, 37. — verba ; I, X, 57.—*malas* herbas Medeæ tenere dicitur ; I, II, 53.—*malas* hæc fecere ; II, IV, 31.

Manat unda Etruscis fontibus ; III, V, 1.

Maneant vincula semper ; II, II, 18, *conjugii.*—*manebo* tuus usque ; IV, XIII, 21.—*manet* me hæc ; I, VI, 61. — *manet* quisquis in urbe, ferreus est : II, III, 2.—*manet* te invictus Romano Marte Britannus ; IV, I, 150. —*manet* te pœna ; I, VIII, 77.—*manet* seu longa vita ; IV, I, 207.

Manu deficiente te teneam mo–

NAV

NEN

Pluvias tristes ferre ; I, I, 50.
Pluvio Jovi supplicat ; I, VII, 26.
Pocula Circes ; IV, I, 61.—fictilia sibi primum fecit agrestis, de facili composuitque luto ; I, I, 39, 40.—infecit mortiferis succis ; III, V, 9.—lactis mixta mero ; III, V, 34.—madeant generoso Baccho ; III, VI, 5.—sicca ; III, VI, 18.—sobria supposita aqua ; I, VI, 28. — tristia cum multo felle bibat ; I, V, 50.
Podagra fœda corpora ; I, IX, 73.
Pœna sera venit tacitis pedibus ; I, IX, 4. — manet te ; I, VIII, 77.—tua me juvet ; I, IX, 81.—*pœnas* dixit tibi Delia, nescio quas ; I, VI, 55.—*pœnas* impia lingua luit ; I, II, 82.—minetur Bacchus severis ; III, VI, 23.—persolvet mihi ; I, IX, 13.—*pœnis* persequitur Venus tristia facta ; I, VIII, 28.
Poeta castus ; III, IV, 43.—*poetæ* docti ; I, IV, 61.—*poetas* servat Divum tutela ; II, V, 113.
Pollentes herbæ ; I, VIII, 17.
Pollice apposito ; II, I, 64.—*pollice* impellere chordas ; II, V, 3.
Pollicita est magico saga ministerio ; I, II, 44.
Pollue (ne) formam auro ; I, IX, 17, *tanquam rem sacram*.
Poma dulcia ; I, V, 31. — grandia ; I, I, 8 —modo nata ; III, V, 20. — legit ab arboribus ; I, VII, 32. — *pomis* et perfluat ante sinus ; I, X, 68.—*pomum* quodcunque educat annus ; I, I, 13.
Pomosi horti ; I, I, 17.
Pompa certa discurrunt munera ; III, I, 3.
Pomus consita ; II, I, 43.
Ponatur ruber custos in hortis ; I, I, 17. — *posita* est custodia puellæ nostræ ; I, II, 5.—inter hanc fertilis pars ; IV, I, 166. — *posita* lucerna ; I, III, 85. — *positum* lecto arsuro ; I, I, 61. —*pone* metum ; IV, IV, 15. — sagittas ; II, I, 81. —*ponere* castra in capto solo ; I, II, 70. — ossa in marmorea domo ; III, II, 22. — pedem nostra sede ; III, IV, 24.—pedem nullo sono ; I, II, 20. — vestigia tectis ; IV, I, 13. —*ponitur* pomum Deo ; I, I, 14.
Pondus divitis auri ; I, IX, 32. — grave auri ; III, III, 11.—par libræ ; IV, I, 40.
Ponti vasti æquora ; III, IV, 85.—*pontum* nudaret interrupto gurgite Charybdis ; IV, I, 75.—*pontus* confinditur ære ; IV, I, 174.— confluxerit in curvum orbem ; IV, I, 20. — vagus ; II, III, 41.—*ponto* qua continet Oceanus orbem ; IV, I, 148.
Populus alta (arbor) ; I, IV, 30.
Populus miratur ; III, III, 19.
Porcus hostia rustica plena hara ; I, X, 26.
Porrectus per novem jugera terræ Tityos ; I, III, 75.
Porta (in) Cerberus serpentum ore stridet ; I, III, 71. — in *porta* offensus pes ; I, III, 20.
Portabat te currus ; I, VII, 8. — *portarit* quasque sortes sacras Tiburs ; II, V, 70. — *portat* Lethæas aquas Danai proles ; I, III, 80.—*portatur* columna mille jugis ; II, III, 46.—*portet* Amor vincula conjugio ; II, II, 18. — Aurora Luciferum ; I, III, 94.—qui sibi aquam, II, VI, 8.
Poscas ne munera ; I, VIII, 29.—*poscite* Bacchi munera ; III, VI, 17.
Posset qui fundere gentes Aquitanas ; I, VII, 3. —*possim* bene vivere ; IV, XIII, 9.—laudare ; I, VI, 70.—*poterit* credere ; I, II, 57. —*possum* vivere ; I, I, 25.—*possit* se accingere ; IV, I, 180.—*poterit* flecti ; III, IV, 63 —*poterit* quæ te mihi reddere ; III, III, 25.
Post, pro *pone* ; II, I, 16, 89. — pro *postea* ; I, V, 56, et passim.
Post modo ; II, V, 102.

QUÆ QUA

RAT RED

fallacibus herbis; II, I, 19.—pro *segete* spicas ferre deo agricolæ; I, v, 28. — nec *segetes* præbent frugem; IV, I, 163.

Segnis inersque vocer; I, I, 58.—*segnis* non stat dies; I, IV, 28.

Sejunctim; IV, I, 104.

Selectæ arbores; I, v, 32.—*selecti* colores; II, III, 59.

Semelæ proles Bacchus, doctæque sorores; III, IV, 45.

Semina committere terræ; I, VII, 31. — persolvat terra nulla fide; II, III, 64. — sulcis credit aratis spes; II, VI, 22.

Senecta cana infecit caput; I, VIII, 42.—curva venit tardo pede; III, v, 16.—infirma; I, IV, 31.—nostra caderet in tuo sinu; III, III, 8.—pigra; I, x, 40. — *senecta* rugosa pallebunt mea ora; III, v, 25.—*senecta* victa; I, VI, 77, *femina*.

Senectus tarda; II, II, 19.

Senem colla subdere Veneris vinclis; I, II, 92.—facta prisci temporis referre liceat; I, x, 44.—*senem* hanc; I, VI, 82 —*senem* me deducat juvenum turba; I, IV, 80.—*senem* verba balba dicere cum puero; II, v, 94.—*senes* veteres; I, VIII, 50. — *senex* ille; IV, I, 50.—*senex* referam pueris tempora prisca; III, v, 26.—*senis* amplexus puella fugit; I, IX, 74.—circa *senem* stet veneranda proles; I, VII, 56.

Senior aliquis; II, IV, 47.

Senis pedibus; II, v, 16, *hexametris*.

Sensit clavim janua; II, IV, 31.—*sentiat*, quid valeat læsi ira dei; III; VI, 26.—*sentiet* ille de me uno nihil; I, II, 60. — Venerem e rabido mari esse; I, II, 42. — Venerem e sanguine natam; I, II, 41.—*sentire* tales dolores ne possim; II, IV, 7.—*sentis* deus omnia; IV, v, 19.—*sentis* nec tu, stultissime, quum, etc.; I, IX, 65.

Sensus meos relinquo hic; IV, VIII, 7.

Seposita vestis; II, v, 8.

Sepulcrum; ante *sepulcra* fleat; I, III, 8. — *sepulcris* elicit manes; I, II, 47. — *sepulcris* quærat herbas; I, v, 53. — *sepulcro* illius dona feram; II, VI, 31.

Sequar hanc pura cum veste; I, x, 27.—*sequar* illam unus ad aras; I, VI, 23.—*sequatur* currus Idææ Opis; I, IV, 68. — *sequitur* dum Messalam terra marique; I, III, 56.—*sequuntur* currum matris sidera; II, I, 87. —*sequens* hora; III, IV, 46.—*sequi* castra; II, VI, 1.—prædas et arma; I, II, 68.—somnos; I, I, 48.

Sera apposita; I, VIII, 76.—*sera* dura fulta janua; I, II, 6.

Serena dies; III, VI, 32.—nox; I, II, 63.

Seria verba; III, VII, 20.

Series juvenum; I, III, 63.

Serior; vide *Serus*.

Sermone multo celebrare juvenes; I, VI, 17.

Sero; II, III, 18, *lactis*.

Sero revocatur amor; I, VIII, 41.

Sero, is; *serenda* arva; II, III, 8. — *satos* sulcos; II, III, 72.—*seram* ipse vites; I, I, 7.

Serpens novus exuit annos; I, IV, 35. — *serpentum* ore stridet Cerberus; I, III, 71.

Serpis per vada; I, VII, 14, *de Cydno*.—*serperet* inter undas; IV, I, 72.

Serta annua; II, IV, 48.—florea; I, I, 12; I, II, 14.—madefacta meis lacrymis; II, VI, 32. — mollia; I, VII, 52; II, II, 6. — myrtea; I, III, 66.—spicea; I, x, 22.—*serta* de focis deripere; I, II, 84 — *sertis* implicuisse comas; III, VII, 32. — *sertis* vincta umbracula; II, v, 97.

Serus venerit; I, VII, 62. — *sera* pœna venit; I, IX, 4. —quies; III, IV, 22.—*serior* ætas; I, IV, 33.

TAC TAC

maris; IV, I, 194. — tacitæ; I, VII, 13.—per *undas* ire; I, IV, 45.

Unguenta stillent e nitido capillo; I, VII, 51.

Ungues subsecuisse artificis docta manu; I, VIII. 11.

Uni sæviet Deus; I, II, 90.

Urbs æterna; II, V, 23, *Roma*. — magna; I, VII, 61; II, V, 56, *Roma*. — parva; IV, I, 49.—ab *urbe* abducere; II, III, 63. — per *urbes* crebras volitet; I, VII, 17. — *urbes* per ignotas erraverit; IV, I, 52.—ter centenas expleat erroribus; I, IV, 69.

Urgeo; urgeat ossa lapis infelix; I, IV, 60.—*urget* quos graviter amor; II, I, 79. — rusticus opus terræ; I, IX, 8. — si quando onus inæquatum utrinque libra; IV, I, 42.

Uro; ure ferum et torque; I, V, 5. — *urantur* pia tura focis, *urantur* odores; II, II, 3. — *ure* caput meum flamma; I, IX, 21.—*urentur* sole capilli; I, IX, 15. — *ures* me audacius; IV, XIII, 19, *cruciabis*.—*uretur* facies; I, IX, 15. — *uris* quid messes tuas? I, II, 100.—*urit;* IV, II, 11; IV, II, 12, *amore incendit*. — crudelius; I, VIII, 7. — *uror* ego ante alias; IV, V, 5. — juvat quod *uror*, ibid.—*urunt* altaria flammæ; IV, VI, 17.—*ustus* capillus; I, X, 37.

Usus furtivus; I, IX, 55.

Ut liceat; IV, III, 11, *dummodo*.

Utcunque est; III, IV, 11.

Utere, quæso, dum licet; I, V, 75; I, VIII, 48.—*uti* lacrymis; IV, IV, 17. — *utitur* nihil forma magicis auxiliis; I, VIII, 24. — precibus ille meis; I, V, 18.

Utilis ægræ menti somnus; III, IV, 19.

Uva aurea; II, I, 45.—dulcis; II, I, 3.—jucunda; II, III, 65.—matura expressa; I, VII, 36.—*uvæ* crescentes; III, V, 19.—*uvæ* succos condit pax; I, X, 47. — *uvam* ferre; I, V, 27.—libare; I, X, 21.—*uvas* maturat annus; I, IV, 19.—pede feriet rusticus; II, V, 85.—servabit mihi plenis in lintribus; I, V, 23

Uxor inulta rideat dolis; I, IX, 54.—*uxoris* fidos optabis amores; II, II, 11.

Vaccæ tunc pascebant herbosa palatia; II, V, 25.—*vaccas* stabulis expellere; II, III, 15.

Vacuus Deus (v. l.); I, II, 90.

Vadum; per *vada* ibat linter; II, V, 34.—serpis, Cydne; I, VII, 14.

Vagari liceat tecum; IV, III, 11. —*vagantes* passim aves; I, III, 59.

Vagus Araxes; IV, I, 144.—aer; IV, I, 21. — navita; I, III, 39. — pastor; II, V, 29.—pontus; II, III, 41.—sol; IV, I, 76.—*vaga* æquora; II, VI, 3. — munera; III, I, 3.

Valet hæc et majora Amor; III, VI, 17.—*valent* si nihil ista; II, IV, 20.—*valeat* Venus, *valeant* puellæ; II, VI, 9.—*valeant* fruges; II, III, 69.—*valere* vetuit pater; I, IV, 23.—tam *valuisse* sibi manus; I, X, 56.

Valgius; IV, I, 181.

Validus bidens; II, III, 6.—bos; II, II, 14.—taurus; I, III, 41.—*valida* catena; IV, V, 15.—compes; II, VI, 25.—*validi* labores; III, IV, 65. —*valida* juga; II, III, 46.—*validis* habenis; IV, I, 116.

Vallis alta; II, III, 21.—umbrosa; II, III, 74.—*valles* altæ; I, IV, 49.

Vallus non erat; I, X, 9.—*vallo* ducto claudere locum; IV, I, 85.

Vanus jocus; III, IV, 68. — *vana* puella; III, VII, 29.—*vanum* te fal-

lit; III, IV, 56.—*vano* æstu; III, V, 27.—*vani*; III, IV, 3, *vanidici*.—*vani* timores noctis; III, IV, 13.—*vana* magisteria; I, IV, 84.

Variæ oves; I, X, 10.—vices operum; I, IX, 64.—*varii* flores; I, VII, 45.

Vastantur frigore; IV, I, 153.

Vastus Araxes; IV, I, 144 (v. l.)—*vastum* æquor maris; I, VII, 19.—mare; II, IV, 10.—*vasti* ponti æquora; III, IV, 85.—*vasti* amnes; III, III, 37.

Vates; II, V, 18; II, V, 65, *Sibylla*.—*vates* non fallax; III, IV, 49.—sacer; II, V, 114.

Vaticinata est mihi divino sono magna sacerdos; I, VI, 44.

Veho; *vehis* ratibus Troïa sacra; II, V, 40.—*vehit* plaustro rusticus; I, X, 51.—*vehet* dum robora tellus, cælum stellas, amnis aquas; I, IV, 66.—*vehar* volucris penna per aera; IV, I, 210.—*vexit* Æolios placidum per Nerea ventos; IV, I, 58.—*vectus* curru per inania Juppiter; IV, I, 131.—*vecta* est frenato pisce Thetis; I, V, 46.—ad juvenem puella; II, V, 36.

Vel absenti; I, VIII, 53, et passim.

Velabrum; II, V, 33.

Velavit te Somnus fusco amictu; III, IV, 55.—*velatus* filo; I, V, 15.

Velle (abundat); I, II, 94; IV, III, 8.

Vellere poma modo nata mala manu; III, V, 20.

Vellus molle; II, I, 62.—niveum; I, VI, 80.—*vellera* caris succis bis madefacta; IV, II, 16.

Velox edere corpus super equum; IV, I, 115.—*velox* cerva; IV, III, 13.—pes; I, V, 24.

Venandi cura; IV, III, 5.—studium; IV, III, 23.

Vendere amorem; I, IV, 67.—avitas sedes; II, IV, 53.—blanditias; I, IX, 77.—fidem auro, gemmis, I, IX, 32.—formam; I, IX, 51.—Venerem; I, IV, 59.

Venena tetra; III, V, 10.—*veneni* quidquid habet Circe, Medea; II, IV, 55.

Veneror; I, I, 11.—*venerata* virum tantum; I, V, 33.—*veneratus* amores veteres; II, IV, 47.—*veneranda* comis comptis; IV, II, 10.—proles; I, VII, 56.—unda Numici; II, V, 43, *sancta*.

Venio; *venit* candida nivea veste; IV, II, 12.—curva senecta tardo pede; III, V, 16.—diva superba ad Trojanos; II, V, 46.—domum e templis turba; II, III, 24.—iratus nimium nimiumque severis; III, VI, 21.—mors propior; II, III, 40.—mors rapax amanti; I, III, 65.—mors tacito pede; I, X, 34.—post multos una serena dies; III, VI, 32.—*venit* munere nostro; I, IX, 43.—sanguinolenta ad infernos lacus; II, VI, 40.—sera pœna tacitis pedibus; I, IX, 4.—somnus tacitus fuscis alis; II, I, 89.—tandem amor; IV, VII, 1.—vigilanda nox; I, II, 78.—*venite* pura cum veste; II, I, 13.—*veniunt* certamina Martis; IV, I, 98.—*venere* kalendæ festæ Martis Romani; III, I, 1.—*venere* ubi fata senectæ; I, IV, 31.—*venerit* quum e magna urbe agricola serus; I, VII, 61.—mihi quum suprema hora; I, I, 59.—quamvis inculto ore; I, VIII, 15.—si iste furor; I, VI, 73.—*veniant* prædæ; II, III, 52.—*veniat* caræ matris comitata dolore; III, II, 13.—ante rogum meum; III, II, 11.—sive hac, sive illac impetus hastæ; IV, I, 96.—*veniet* quum proximus annus; IV, VI, 19.—mors tenebris adoperta caput; I, I, 70.—tibi mors; II, IV, 43.—*ventura* aqua; I, IV, 44.—sors; III, IV, 5.—*venturam* dum mihi fingo; I, VIII, 65.

Ventus et ignis eripiant partas

II, IV, 40. — *venti* ferant perjuria Veneris; I, IV, 21; cf. III, VI, 27; III, VII, 18.— *venti* adversi; IV, I, 195.— *Æolii*; IV, I, 58.— discordes tenuerunt flamina; IV, I, 125. — immites; I, I, 45.—insani; II, IV, 9.—*ventis* credere ratem; I, VII, 20. —diripitur cinis; I, VI, 54.—horrida facta coma; I, IX, 14. — parentia freta; I, IX, 9.

Venus; I, II, 16; I, II, 36; I, II, 42; I, III, 58, etc. — aspera difficilisque; I, IX, 20.—magna; I, II, 81. —sancta; IV, XIII, 23.—*Venus* deseruit me; I, V, 40.—nata e sanguine; I, II, 41.—nulla sit sine me; IV, III, 19.—levis nunc tractanda; I, I, 73.— mitis; I, X, 66; II, III, 74.—mutua; I, VI, 14.—relicta; I, V, 58.—sublimis; I, VI, 83. —violanda est mihi ante alios; II, IV, 24.—*Venerem* jungere feris; I, IX, 76. — non laudant ferrea sæcula; II, III, 37.—vendere; I, IV, 59. — *Veneri* merenti; I, IX, 81. —*Veneri* servire; II, III, 31. — *Veneris* bella; I, X, 53. — cupidæ gaudia; IV, III, 18.—numina; I, III, 79.—perjuria; I, IV, 21.—præcepta; I, IV, 79.—vincla; I, II, 92.

Ver purpureum; III, V, 4.

Vera cano; II, V, 63.—dicere; I, VI, 31.—divi, exta monent; III, IV, 5; III, IV, 6. — loqui; III, II, 7.— *vera* insomnia; III, IV, 1.—oracula; III, IV, 77. — *vero* ore quod feram; III, IV, 50.

Verax saga; I, II, 43. — *veraci* capite adnuit; IV, I, 134.—*veracia* signa; IV, I, 120.

Verba (simpl. pro magicis); I, V, 43.—*verba* aspera; IV, IV, 14.—balba; II, V, 94.—blanda; I, II, 22.— bona; II, II, 1.—ebria; III, VII, 4. — fortia; II, VI, 12. — horrida; I, V, 6. — impia dicta in Deos; I, III, 52.—libera; I, IX, 26.—mala; I, X, 57. — mitia leni sono; I, VIII, 2.— pudenda; II, I, 74.—rustica; II, I, 52; II, III, 4.— seria; III, VII, 20. — singula; II, I, 32.— tristia; III, VII, 6; III, IV, 42.—*verba* deflectere ad laudis modos; II, V, 4.— fallacis puellæ conqueror; III, VII, 19.

Verber; I, V, 3.—intortum; I, IX, 22. — *verbera* multa; I, VIII, 6. — sæva; I, VI, 38; III, IV, 66.—torta; I, VI, 46, *torto flagello inflicta.*

Verberat suam quicunque puellam; I, X, 60. — *verberet* te imber; I, II, 7.

Verna garrulus; I, V, 26. — *vernarum* turba; II, I, 23.

Vernum rus; II, I, 59. — *vernus* alveus; II, I, 49.

Versat fusus opus; II, I, 64. — puer turbinem; I, V, 4. — *versatur* celeri Fors levis orbe rotæ; I, V, 70. —*versantur* membra Ixionis rota; I, III, 74.—*versare* solum bidente; II, III, 6.

Versibus gaudeat Neæra meis; III, I, 8.—*versus* sine quâ mihi nullus, etc. II, V, 111. — æternus; IV, I, 34. — *versus* alios aliosque componere; IV, I, 17.

Vertere fores cardine tacito; I, VI, 12. — iter fluminis; I, II, 46 (var. lect. Nos *sistit;* Ed.)—*vertat* in melius somnia Deus; III, IV, 95. — munera Deus in cinerem et aquas; I, IX, 12.—*verterat* dolor in lacrymas merum; I, V, 38. — *verterunt* nec pocula Circes solum; IV, I, 61. — *vertimus* ad mala nostra; I, X, 6. — *vertitur* per tempora annus; IV, I, 169.

Vertex aerius; I, VII, 15, *Tauri.*

Veru latus præfixa; I, VI, 49.

Vescar innoxia laurus; II, V, 64

Vestales foci; II, V, 52.

Vestem fulgentem subtemine; IV, I, 122.—*vestis* Coa; II, IV, 30.—pura; I, X, 27; II, I, 13. — seposita; II, V, 7. — tenuis; I, X, 61. — villosa;

tum retinent me; I, I, 55.— mutua para juveni; IV, VI, 8. — nunquam remittit amor misero; II, IV, 4. — pedum; I, VI, 38.—Veneris; I, II, 92.—*vincla* solvite Chio cado; II, I, 28. — solvite jugis; II, I, 7. — *vincula* flava conjugio portat amor; II, II, 19.

Vinco; vincit iras aurea anus; I, VI, 58.—obsequio plura amor; I, IV, 40.—ne *vincas* deam; II, VI, 28.—*vincat* ut ille, nudum latus dabis; I, IV, 52. — *vincere* honores priscos generis; IV, I, 31.—*vinci* poterat custodia; I, VIII, 55 — *vincitur* donis omnis amor; I, V, 60. — *vincuntur* molli pectora dura prece; III, IV, 76. —*viceral* amor quidquid erat medicæ artis; II, III, 14. — *vicit* Armenias tigres et fulvas ille leænas; III, VI, 16. — *victa* custodia; II, IV, 33. — querelis janua; I, II, 9. — senecta; I, VI, 77.—verbis janua; I, V, 67.— Iapydia; IV, I, 107.— *victa* lumina; I, II, 2, *sopore.—lumina* Baccho; IV, I, 57.—oppida ante currus ferre; II, V, 116.—*victæ* catervæ Cilicum; I, II, 69.—*victi* pretio amantes; II, IV, 39.— *victo* puero; I, VIII, 49.— *victus* Atax; I, VII, 4.—munere Bacchi amor; III, VI, 4.

Vinea culta; I, X, 35.

Vinum; vini certamen mite; III, VI, 11 —*vina* diem celebrent; II, I, 29.—*vina* bona; I, I, 24.—jocosa; III, VI, 20. — *vino* compescere dolores; I, II, 11. — depellere curas; I, V, 37.

Violare amores; I, III, 81.—amorem; I, IX, 19.—puellam; I, VI, 51. —*violavi* numina Veneris verbo; I, II, 81.—*violata* pascua solis; IV, I, 76. — *violanda* Venus mihi est; II, IV, 24.—clam *violanda* fœdera dare; I, IX, 2.

Violenta cædit suos lacertos; I, VI, 47.—*violenta* Charybdis; IV, I, 73.— strix; I, V, 52.—*violente*; IV, II, 3, *Mars*.

Vir quondam, nunc frater; III, I, 23.—*viri* ingrati impia facta; III, VII, 10.—*viro* cupido cara; III, IV, 52.—*viro* mœrere; III, II, 14.—*virum* fallere; III, IV, 62.—velle, ibid. 80.—*viris* cupidis prædæ; I, I, 76.— Tuscis; III, IV, 6.— *viros* audaces; II, I, 72.

Vires alterius necat alter aer; IV, I, 169.—*vires* infirmæ; IV, I, 2.

Virga; ex virgis exstruet ante casas; II, I, 24.

Virgineus pudor; I, IV, 14.— *virginea* figura; III, IV, 89.

Virginitas sit mihi æternum; II, V, 64.

Virgo marito primum deducta; III, IV, 31.

Viridis coma; I, VII, 34.— cortex nucis; I, VIII, 44.—frons; II, I, 40.—*virides* smaragdi; II, IV, 27.

Virtus cognita; IV, I, I.

Viscere atro pascit oves assiduas; I, III, 76.

Visere sacra Bonæ Deæ; I, VI, 21.

Visurus, visus, cf. *Videre*.

Vita; II, I, 37, *illa ætas, homines illius ætatis.* — *vita* felix; I, V, 19.— iners; I, I, 5.— longa; IV, I, 207.— tot mala perpessa; III, II, 7. —*vita* tunc mihi foret; I, X, 11.— *vitæ* longæ gaudia; III, III, 7.— *vitam* spes credula fovet; II, VI, 19.

Vitare canis ortus sub umbra; I, I, 27.

Vitis lenta; IV, I, 172.—mystica; III, VI, I. — tenera; I, VII, 33.— *vites* teneræ; I, I, 7.— *vitem* fraudare crescentibus uvis; III, V, 19.— *vites* aluit pax; I, X, 47.

Vitium hoc est divitis auri; I, X, 7.—*vitio* non facit hoc; I, IX, 73.

Vitta impediat ligatos crines; I, VI, 67. — *vittæ* jacentes; II, V, 53, *Iliæ*.

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC TIBULLI VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

EMENDANDA.

Pag. 2, *in not.* 2, *lin.* 16 : Isacii, Vossii, Gothanoque secundo; *lege* Isaaci Vossii secundo, Gothanoque.

Pag. 17, *not.* 7, *lin.* 8 : Livinezus, Paphelingius; *lege* Livinejus, Raphelengius.

Pag. 20, *not.* 23, *lin.* 3 : *post* metus cadit *adde* in puellas.
Pag. 22, *not.* 34, *lin.* 10 et 13 : exsecratione; *lege* exscreatione.
Pag. 39, *not.* 55, *lin.* 4 : Kirchen; *lege* Kirchman.
Pag. 56, *not.* 81, *alt. col. lin.* 7 : particulæ; *lege* post particulæ.
Pag. 138, *not.* 4, *lib.* 6 : Vossius, lib. III; *lege* Vossiano tertio.
Pag. 140, *alt. col. lin.* 37, aliter egere; *repone* legere.
Pag. 149, *not.* 75, *lin.* 12 : excussura; *lege* exjussura.
Pag. 162, *not.* 20, *lin.* 2 : capti; *lege* captos.
Pag. 171, *not.* 73 et 74: Georg. II, *et* IV; *lege* Georg. I; *et versus Ovidii pro* 683 *est* 783.
Pag. 175, *not.* 97, *alt. col. lin.* 6 : Funera; *lege* Funerea.
Pag. 187, *not.* 51, *lin.* 8, mens mihi; *lege* mens mea.
Pag. 240, *not.* 8, *fin. interpunctio post* Heynius *transponenda.*
Pag. 274, *not.* 208, *lin.* 8 : Hippodrome; *lege* Hippodromo.
Pag. 277, *not.* 12, *lin.* 4 : relegatis in quartum; *lege* quintum.
Pag. 295, *not.* 10, *lin. penult.* profuisse; *lege* pro (loco τοῦ) fuisse.
Pag. 334, media, *not.* 2 : *post* finxisse *majorem pone interpunctionem.*
Pag. 337, *lin.* 6 : ἀτρίμας ἂν; *lege* ὤν.
Pag. 347, *lin.* 4 : l'ont enfin; *lege* en vain.
Pag. 359, *lin.* 23 : *lege* de mundi materia; *ea vox e sede migravit.*
Pag. 360, *lin.* 3 : e maris, etc.; *lege* a maris.
Pag. 397, *lin. pen.* : efficacitata; *lege* efficacitate.
Pag. 401, *lin.* 5 : Pharnutus; *lege* Phurnutus.
Ibid. *lin.* 26: κρατὴς, κιράτὴς; *lege* κράτηρ, κιρατηρ.
Pag. 405, *lin.* 10 : præ ejus Genio; *lege* pro.
Pag. 410, *lin.* 1 : Babyloniæ; *lege* Babylone.
Pag. 447, *lin.* 15: *post verbum* sublatet, *integra lineola excidit; lege* : sublatet vel textus depravatio, vel lena illa tabellas portans quas scripserat Nemesis, etc.
Pag. 484, *lin.* 17 : exspicatus; *lege* exspiscatus.
Pag. 494, *lin.* 6, *in Tabula Chronologica:* El. III, lib. III; *lege* El. III, lib. I.

FINIS.

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 00419 0834

DO NOT REMOVE
OR
MUTILATE CARD